







S. Hydulphus 635. claro Neruiorum genere ortus, ex monacho Treuirensiū Archiepuš factus, Vosagum montem petens, constructo Mediano monasterio 36 annos sub Regula. S. Benedicti unà cum discipulis SS. Ioanne Benigno Spinulo & alÿs multis militans 707. idib. Iulÿ ætatis suæ 72. in liberandis Energumenis clarus migrauit ad xpm

HISTORIA MEDIANI IN MONTE VOSAGO MONASTERII ORDINIS SANCTI BENEDICTI EX CONGREGATIONE SANCTORUM VITONI ET HIDULFI.





ARGENTORATI,
Sumptibus JOANNIS REINOLDI DULSSECKERI.
M. DCC. XXIV.

HISTORIA
MEDIANI
IN MONTE VOSAGO
MONASTERII

Quatuor conſtans Partibus.

I.ª Continet S. Hildulfi ejuſdem monaſterii conditoris deſcriptam ex antiquis codicibus triplicem vitam, cum Commentario prævio & notis.

II.ª Continet libellum de Succeſſoribus S. Hildufi in Voſago uſque ad initia ſæculi xi. notis illuſtratum.

IIIª. Continet excerptam ex Joanne à Bayono ſubſequentium Mediani monaſterii Abbatum continuationem, cum intermiſta Rerum Lotharingicarum Hiſtoria ab anno M. x. uſque ad annum M. cc. xx. in quo deſinit hic Auctor hactenus ineditus.

IV.ª Denique continet poſteriorum ejuſdem monaſterii Abbatum Mantiſſam ex domeſticis aliiſque nonnullis monumentis & chartis deprompptam, uſque ad annum M. dcc. xx.

Opera & ſtudio R. Patris Domni Humberti Belhomme ejuſdem monaſterii Abbatis.

Fa-

Facultas Capituli generalis Congregationis Sanctorum Vitoni & Hidulfi.

Nos humilis Præsidens & Difinitores Capituli generalis Congregationis Sanctorum Vitoni & Hidulphi, Ordinis S. Benedicti, in monasterio Sanctæ Mariæ Dervensis congregati, facultatem impertimur Reverendissimo Patri Domino Humberto Belhomme *Abbati Medianensis monasterii, ejusdem Ordinis & Congregationis, typis mandandi Historiam monasterii sui ab ipso compositam. In cujus rei fidem has litteras manu Secretarii nostri subscriptas & Sigillo Congregationis nostræ Ordinario munitas concessimus. Datum in præfato monasterio S. Mariæ Dervensis die tertia Maij, Anno Millesimo septingentesimo vigesimo primo.*

Locus Sigilli.

De Mandato Capituli D. Romualdus *Loupot* Scriba Capituli.

Monitum Authoris.

Primam partem hujus Historiæ cum Eruditissimis Sociis Bollandianis communicavimus, ut in actis Sanctorum ad diem XI. *mensis Julii insereretur; quod quidem à se factum esse ingenui pariter ac docti viri profitentur in brevi quam edidere synopsi tertii eorumdem Actorum pro dicto mense tomi, quem videre nobis nondum licuit.* Hildulfus *inquiunt* ex Episcopo Trevirensi Medii monasterii in Vosago Abbas ex hac classe (*Ecclesiastici nimirum status*) excludendus non videtur. Egregia ejus gesta insigni commentario operosè illustravit Humbertus Belhommius ejusdem cœnobii Abbas; quem ad nos transmissum atque ad normam nostram subinde reductum, nostrum fecimus. *Verum cum ingens illud actorum opus in paucissimis extet nostrarum partium Bibliothecis, nullaque Historiæ Mediani monasterii pars potior habeatur & cupidiùs appetatur quam hæc prima, novis illam priùs recognitam & auctam typis edere non modicum operæ pratium esse duximus.*

Series

SERIES ABBATUM
MEDIANI MONASTERII.

I. Sanctus HIDULFUS Archiepiscopus Trevirensis Mediani monasterii conditor & primus Abbas fuit, relicto namque circa annum 671. Archiepiscopatu, in montem Vosagum secessit, ibique solitudinis & contemplationis amore captus consedit. pag 37. & seqq.

Crescente in Mediano cœnobio fratrum numero & sæcularium undequaque advertantium frequentiâ, B. HILDULFUS metuens ne à dilecta suæ contemplationis quiete divelleretur, Domnum LEUTBALDUM venerabilem virum Abbatem constituit, qui fratribus pastorali vigilantiâ præesset & adventantium sese negotiis impertiret. pag. 102.

II. LEUTBALDUS anno 704. vita functus est & S HILDULFUS precibus Fratrum cedens, Abbatiale onus denuò suscepit ac gessit usque ad mortem, quæ contigit anno 707. v.° Idus Julii. pag. 112.

III. REGIMBERTUS seu REIMBERTUS concordi Fratrum voto electus, monasterio præfuit annis non minus quinquaginta & obiit anno 758, Calend Februarii. pag. 137. & 148.

IV. SUNDRABERTUS transactis in regimine triginta & amplius annis, decessit anno 789. aut 790., pridie Calend Augusti. pag. 150.

MALDAVINUS seu MADALVINUS duodecim annis monasterium rexit, obiitque anno 801. vel 802. pag. 150.

VI. FORTUNATUS Patriarcha Gradensis cum in aula Caroli magni Imperatoris degeret, diffidentibus de eligendo Abbate Medianensibus monachis, Caroli ejusdem autoritate monasterii curam suscepit, ipsumque rexit annis circiter viginti duocus. pag 152. & seqq.

VII. WALDO ex sorore MALDAVINI progenitus. pag. 168.

VIII. ISMUNDUS seu ISIMUNDUS quondam Episcopus. pag. 168.

IX. THEODERICUS. pag. 168.

X. REGINARDUS. pag. 168.

XI.

XXX.

L'.



HI-



HISTORIA MEDIANI IN VOSAGO MONTE MONASTERII

PARS PRIMA.

Continens Sancti Hildulfi ejusdem Monasterii Conditoris descriptam ex antiquis manuscriptis codicibus triplicem Vitam, cum Commentario prævio & notis.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De Sancti Hildulfi triplici Vita, deque illius Nomine, Genere, Patria, Ætate, Archiepiscopatu, Monasterio & Cultu.

A §. I.

§. I.

DE TRIPLICI SANCTI HILDULFI VITA.

I. TRes reperiuntur Sancti Hildulfi Vitæ. Prima hactenus inedita incipit ab his verbis: *Quicumque baptizati.* Illius varii extant Manuscripti codices quorum duos tresvé possident eruditissimi socii Bollandiani & unum servant Sammaximiniani Trevirenses. Habetur insuper unus in Mediano nostro Monasterio sed in fine mutilus. Hic teste R. P. Domno Edmundo Martennio * studiosissimo antiquitatis indagatore annos septingentos attingit.

* *In Thesauro Anecdotorum Tom. III.*

II. Secunda S. Hildulfi Vita ea est, quæ habetur apud Surium ad diem XI. Julii. Hanc non esse nisi Epitomen longioris & copiosioris ejusdem Sancti Vitæ meritò suspicatus est Jacobus Mosander, qui stylum illius modicé elimavit. Duos brevioris hujusce Vitæ manuscriptos codices penes se habent præfati Socii Bollandiani & apographum alterius ex illis ad nos humanissimé transmisit R. P. Joannes Baptista *du Sollier* Societatis JEsu Theologus iisdem Bollandianis aggregatus. Solo stylo tum à se invicem tum a Suriana editione discrepant hi duo codices.

III. Tertia denique S Hildulfi Vita nihil aliud est quam ipsamet prima Vita crebris & prolixis aucta interpolationibus, ut utramque attenté legenti perspicuum fit. Plures quoque reperiuntur hujus tertiæ Vitæ manuscripti codices quorum tres duntaxat nobis noti sunt. Primus est Paderbornensis cujus Apographum anno 1697. R. admodum Pater Dominus Hyacinthus *Alliot* Prædecessor noster à doctissimo simul & humanissimo Patre Daniele Papebrochio accepit. Secundus* est Epternacensis cujus variantes Lectiones nos ipsi excepimus. Tertius

tius verò Medianensis noster qui sæculo XII. desinente aut certé XIII. incipiente conscriptus & in plures Lectiones divisus fuit, pro officio Matutinorum Diei Festi & Octavarum S. Hildulfi. Paderbornensi & Epternacensi codicibus subnectitur libellus de Successoribus ejusdem Sancti in Vosago, qui in nostro Medianensi desideratur.

IV. Tertiam hanc Vitam ante hac ineditam ex Apographo nostro Paderbornensi descripsit & publici juris fecit mox laudatus R. P. Domnus Edmundus Martennius in Thesauro Anecdotorum Parisiis impresso anno 1717 * & existimavit eam esse primam & antiquam S. Hildulfi Vitam à Mabillonio *multum exquisitam & desideratam nec obtentam*. Verum fallitur Vir eruditissimus, nam primò Mabillonium latere non potuit codex Paderbornensis cujus exemplar jam inde ab anno 1697. obtinuerat præfatus R. P. D. Hyacinthus *Alliot* Mabillonii usque ad mortem amicissimus & quem ipse Mabillonius honoris causa nominans ait: * *cujus in nos benevolentiam & in historiam nostram Studium indefessum satis pro merito commendare non possumus*. Secundò eandem omnino S. Hildulfi Vitam Mabillonius anno 1696. cum Medianum monasterium altera vice inviseret jam viderat legeratque in manuscripto illo codice qui nostris olim pro Lectionario erat; nullum enim (si variantes Lectiones perpaucas excipias) inter utrumque hunc codicem discrimen aliud intercedit, nisi quod Paderbornensi adjunctus est libellus *de Successoribus S. Hildulfi in Vosago*, Medianensem verò nostrum subsequitur invectio in depravatos sæculi mores & Exhortatio ad Beatissimi Patris Hildulfi & Sanctorum Discipulorum ejus imitationem. Codicem hunc Medianensem non tantum vidit Mabillonius, sed etiam citavit sub nomine anonymi cænobitæ Mediani monasterii & pleraque ex illo desumpta retulit Annal. Bened. Tom II. pag. 17.

* *Tom. III.*

* *Annal. Bened. Tom. I. lib. XV. n. XV. & Tom. XI. lib. XIX. n. XXXVII.*

Quod autem hæc tertia S. Hildulfi Vita non sit prima illa & antiqua quam Mabillonius exquisivit ac desideravit nec tamen obtinere potuit, duæ sequentes rationes apertè demonstrant. Prima est quod eadem hæc tertia Vita

posterior sit illâ quam primo loco reposuimus; Author enim tertiæ hujus Vitæ primam illam non tantum interpolavit ut antedictum est, sed etiam emendavit & explicavit ut patet ex cap. III. ubi quod in prima Vita dicitur de Pipino Caroli magni Patre, intelligendum esse asserit de Pipino heristello Caroli Martelli genitore. Secunda est, quod Mabillonius aliam procul dubio S. Hildulfi Vitam non exquisivit ac desideravit, nisi primam illam & omnium antiquissimam de qua Joannes à Bayono sic loquitur in prologo historiæ Mediani nostri monasterii: *Prædictum cœnobium* (Medianum) *cuidam comiti hellino nomine jure beneficii traditur possidendum, qui Pipino Abbate expulso, Canonicorum Ordinem inibi instituit, sub quorum regimine codex Vitæ Beati Hildulfi, qui pro sui magnitudine proprio continebatur corpore amittitur. Post temporum autem multos decursus rursus reperitur; sed quia pro sua quantitatis magnitudine legentibus tædium subministrabat, adhibitis scholasticis breviatur; sed ob fratrum negligentiam rursus à medio cœnobio quorundam factione elabitur.* Atqui ut idem Author posteà narrat historiæ suæ nimirùm lib. II. capp. XVI, XXV, & XXVII. Canonici ab Hillino comite in Mediano monasterio constituti sunt circa annum 897. & amissa sub illorum regimine Vita S. Hildulfi circa annum 964 reperta est; consequens igitur est ut eadem Vita non tantum decimo sed etiam nono jam sæculo extiterit. At certum est, Vitam illam quam Paderbornensis codex exhibet undecimo duntaxat sæculo conscriptam & compositam fuisse, idem enim est Author illius ac subsequentis libelli de successoribus S. Hildulfi in Vosago ut constat ex ejusdem Vitæ cap. XXI. ubi sic loquitur: *Restant sane quam plurima Deo-dignissimi Patris nostri Hildulfi Successorumque ejus acta meritis illius condita, quæ pro fastidio Lectoris interim differenda & alio opusculo judicavimus deleganda.* Et in fine ejusdem Vitæ subditur: *Explicit Vita S. Hildulfi Trevirorum Archiepiscopi. Incipit libellus alius de Successoribus ejus in Vosago.* Quod autem hic Autor undecimo duntaxat sæculo scripserit inde patet, quod gesta sequentium Mediani monasterii Abbatum si non ad medium sæculum XI.
pro-

prosequatur ut Martennio visum est, saltem ad annum 1018. deducat, ut inferius ostendetur suo loco.

V. Adhuc superesse illam S. Hildulfi Vitam quæ circà annum 964. *adhibitis Scholasticis* id est litteratis Viris breviata est & hanc esse illam ipsam cui primum hîc locum dedimus, non tam verisimile quam verum ac certum nobis videtur. Nam primo hæc Vita non est nisi compendium quoddam primævæ illius S. Hildulfi Vitæ, quæ in volumine non parvæ molis continebatur, ut constat ex ejus tum initio quod tale est: *Incipiunt quædam de Vita Viri DEI Hildulfi Treverensis Archiepiscopi.* Tum etiam ex fine quæ talis est: *Hæc paucis dicta sunt de gestis Deo digni Antistitis quibus admirabilis huic mundo & acceptabilis superno Regi exitit dum humanis rebus interfuit. Cæterum ab his quibus contigit ejus sedulitate tunc temporis perfrui, veraci stylo digesta sunt ipsius acta, in volumine non parvæ quantitatis, quod præ incuria adeò vetustas consumpsit ut vix hæc minima quæ præmisimus excerpi exinde potuerint.* Secundò hæc eadem prima Vita non est simplex ac nuda narratio præcipuorum gestorum S. Hildulfi, sed est opusculum à *Scholasticis* hoc est ut diximus litteratis Viris, quales rude & indoctum illud sæculum ferre potuit diligenter elaboratum. Tertiò quo tempore Joannes à Bayono primùm breviatam fuisse asserit antiquam S. Hildulfi Vitam, eodem prorsùs hoc est sub finem X. sæculi primam hanc Vitam adornatam fuisse necesse est; cum manuscriptum illius codicem habeamus qui septingentos annos attingit & forte superat, neque tamen primigenium ejus exemplar esse videtur, quando quidem aliis quibusdam Sanctorum Vitis in uno eodemque codice permistum reperitur & in fine unius paginæ post absolutam sancti Hieronymi Vitam subjungitur hoc modo: *Explicit Vita Beati Hieronymi presbiteri. Incipiunt quædam de Vita Viri DEI Hildulfi Trevirensis Archiepiscopi.*

VI. Cæterum dicere vix possumus quam proclive nobis sit credere illos decimi sæculi *Scholasticos* qui priscum Vitæ S. Hildulfi volumen breviarunt, in Chronologia Regum, Archiepiscoporum & Episcoporum minùs quam par

erat eruditos fuisse, & nihilominus ut eruditionem aliquam ostentarent, nominibus communibus & appellativis, *Regis*, *Archiepiscopi* & *Episcopi* quæ sola (quantum conjicimus) in antiquo reperiebantur codice, nomina propria *Pipini*, *Milonis* & *Jacobi* adjecisse, ex quibus insuperabilis illa orta est difficultas vitam & gesta S Hildulfi cum adjectis hujusmodi notis Chronologicis conciliandi, quæ posteriores tantopere torsit Auctores.

§. II.

DE NOMINE, GENERE ET PATRIA S. HILDULFI.

I. Hildulfus aliàs Hidulfus, Hydulphus, Idulfus, Ildulfus, Idolphus, Ildolfus & Hildolphus nominatur, sed in antiquioribus Vitæ ejus manuscriptis codicibus codicibus constanter Hildulfus legitur. A Vosegigenis autem patriâ ac vulgari linguâ vocari consuevit *Saint Idou*.

II. Beatum Hildulfum ex claro genere ortum fuisse scriptores omnes perhibent, verum quænam illius patria fuerit non omnes pariter conveniunt; quidam enim illum hibernum *a.*, alii Scotum *b.* fuisse tradunt, sed levi potius conjectura, quam gravi aliqua Authoritate ducti, neque horum illorumvè sententia stare potest cum manuscriptis Vitæ illius codicibus; Licet enim in secunda Vita utpote compendiosiore nulla Sancto assignetur Patria, attamen in prima quæ amplior est disertis verbis dicitur *claro ex Nerviorum genere ortus*, In tertia verò quæ Interpolatoris alicujus manu aucta & identidem emendata fuit, legitur quidem *claro Nerviorum genere ortus*, sed mox ab eodem interpolatore subjungitur: *Circa illius temporis ætatem Garibaldus regebat eandem Noricorum hoc est Baioariorum gentem.* Ex quibus ultimis verbis evidenter apparet vocem *Nerviorum* primo loco positam ex ipsius interpolatoris mente nonnisi pro mendo habendam esse, neque *Nerviorum* sed *Noricorum legi debere.*

a. Brunnerus Annal. Boicor. part. I. lib. V.
b. Velserus Rerum Boicar. lib. V. & Hundius Metrop. Salisburg. Tom. I.

3. Fuit

III. Fuit igitur S. Hildulfus patria vel Nervius vel Noricus, sed uter fuerit restat inquirendum, nec res caret difficultate; Nam primò cum maxima sit inter Nervios & Noricos discrepantia, certè non potuit quasi parum aut nihil interesset Beatus Hildulfus indiscriminatim modò Nervius modò Noricus appellari.

Nervii ex Strabone lib. IV. & Cæsare Commentar. VI. Treviris jungebantur, illorum autem fines Cluverius Germaniæ antiquæ lib. II. cap. XXII. sic describit: *Terminus Nerviis à septentrionibus idem qui Atuaticis à meridie, ab ortu mosâ flumine à quinque illis populis qui uno nomine antea Germani, mox Tungri dicti fuere, deinde à Treviris separabantur. A meridie Rhemos attigisse inde colligo quod Cæsar Commentar. V. Arduennam Sylvam per medios fines Trevirorum à flumine Rheno ad initium Rhemorum pertinere asseverat; commentario autem VI. eandem ab ripis Rheni finibusque Trevirorum ad Nervios pertinere ait; Ab occasu ipso Scalde ad Camaracum usque ambianis; hinc verò ad scarpa confluentes ab Attrebatis dirimebantur. Continentur hodie Regiones his finibus istæ: Namurcensis Comitatus pars inter Mosam & Sabim, deinde Hannoniæ maxima pars, nec non è Picardia Tirassiensis Ducatus portio, item Cameracensis agri pars.* Hæc Cluverius, à quibus non recedit Carolus Spener in notitia Germaniæ antiquæ lib. VII. cap. V. nn. XXXIII & XXXIII. quamvis nº. XXXIV. hos Nerviorum limites seriore ævo plurimum turbatos atque confusos fuisse asserat, cùm in maris littore Notitia Imperii Romani & passim Authores Nervios nobis ostendant, Neruicum littus & Nervicanum tractum cum Armoricano conjungentes, atque ad Oceanum ponentes.

Noricos verò veteris Illyrici partem occupasse certissimum est, sed quam & quotam ut clarè definiatur distinguendum est inter priscum & recens hoc est medii ævi Noricum, priscum sic describit Ptolomæus Geographiæ lib. II. cap. XIV. *Noricum terminatur ab occasu Aeno fluvio ad Cetium montem; Ab ortu solis ipso monte Cetio; à meridie verò, parte Pannoniæ superioris quæ sub dicto est monte.* Quam descriptionem variis Authoritatibus confirmant & illustrant tum

tum Philippus Cluverius Tractatu fingulari de Vindelicia & Norico; tum Jacobus Carolus Spener in notitia Germaniæ antiquæ lib. vi. cap. xi. ubi ait quod *continentur hodie veteris Norici tractu magna pars Austriæ & Archiepiscopatus Saltzburgicus, cum omni Stiria & Carinthia Ducatibus.* Recens verò feu medii ævi Noricum longius verfus occafum protendebatur & præter prifcum Noricum, Vindeliciæ fivè Rhetiæ partem Lyco fluvio tenus, hoc eft omnem Boicam ad dextram Danubii fitam complectebatur, ut expreffe afferit Marcus Velferus Rerum Boicarum lib. iii. ubi addit quod cum Boii partem veteris Norici, recens verò totum ad ipfum Lycum tenerent, plerique Authores Boicorum Noricorumque appellationes habuere promifcuas.

At five prifcum five recens Noricum attendamus Nervios à Noricis longè diffitos fuiffe manifeftum eft. Minimè igitur confundi aut pro iisdem haberi unquam potuerunt, quemadmodum Noricis & Boicis feu Boiariis contigiffe videmus. Quapropter fi Beatus Hildulfus fuit patriâ Nervius, nullatenus potuit patriâ Noricus effe aut dici.

IV. Hunc nodum ut folvant aliqui fanctum Hildulfum genere quidem, non autem Patria, & forte etiam tam genere quam Patria Nervium fuiffe, fed aut parentes ejus priufquam nafceretur è Nerviis ad Noricos transmigraffe, aut ipfum jam natum eò deportaffe, feu deportandum dediffe, aut denique ipfummet adhuc puerum feu adolefcentulum eodem profectum effe & Ratifponæ Litterarum ftudiis operam dediffe, ibidemque clericali militiæ adfcriptum fuiffe opinantur.

Verum hæc omnia gratis fibi fingunt, cum in nulla ex tribus Vitis S. Hildulfi vel minimum extet Veftigium Transmigrationis, deportationis aut profectionis hujusmodi. Deinde quamvis in omnibus manufcriptis Codicibus primæ Vitæ nobis notis legatur Beatus Hildulfus *claro ex Nerviorum genere ortus*, tamen vix dubitari poteft, quin exemplar quo Interpolator illius Vitæ ufus eft, *Nori-*

ri-

ricorum non *Nerviorum* habuerit, hoc enim manifestè supponit mox subdens: *Circa illius temporis ætatem Garibaldus regebat eandem Noricorum hoc est Baioariorum gentem.* Consimilibus Exemplaribus usi videntur, tum Richerius Senoniensis, tum Joannes à Bayono medianensis historiarum scriptores, quorum ille circa annum 1260., hic verò anno 1326. historiam suam adornavit. Nam Richerius lib. I. cap. XI. sic loquitur: *In Bavariorum territorio in civitate quæ Renesborch dicitur, duo Viri fratres extiterunt ex nobilibus illius terræ genitoribus procreati, quorum unus Erardus, alter verò Hildulfus vocabatur.* Joannes verò de Bayono lib. I. cap. 18. de Sancto Hildulfo agere incipiens ait: *Qui claro Noricorum id est Bavariorum processit stemmate.*

His accedunt complures graves Authores & inprimis *Aventinus Annal. Bojorum lib.* III. *cap.* VII. *ubi de sancti Emeranni monasterio scribens ait, divum Arionardum & divum Hildolfum fratrem ejus genere Noricos fuisse.* Adlzreitter Annal. Boicar. parte prima lib. VII. n. XXXIV. ubi hæc habet: *per id temporis D. Erhardus qui & Eberhardus vel Arionardus Episcopus Ratisponensis ejusque Germanus nomine Albertus Boicam magnis virtutibus exornarunt. Habuere tertium fratrem Hildulfum quem Trevirensis Ecclesia coluit Antistitem. Fuerunt illi claro Boicorum sanguine non Scotico aut Norico uti visum est recentioribus.* Christophorus Brouverus Annal. Trevirens. lib. XII. n. 157. sic dicens: *Fuit Hydolphus claro ortus Noricorum seu Boiorum genere, non Scotico vel Nervio, ut visum est recentioribus, fratremque habuit Erhardum quem alii Eberhardum dicunt & Arionardum.*

§. III.

DE ÆTATE SANCTI HILDULFI.

Circa ætatem sancti Hildulfi maxima est difficultas; non enim de paucis annis, sed de integro fermè sæculo inter Authores disceptatur; aliis ipsum ejusque gesta ad septimum, aliis ad octavum sæculum referenti-

bus, Utriusque sententiæ fundamenta desumuntur ex triplici ejusdem Sancti vita; nam in qualibet illarum legitur ipsum Miloni in Archiepiscopatu successisse, & abdicatâ postmodum dignitate locum secessui aptum à Jacobo Leuchorum Episcopo sibi designatum petiisse. Certum est autem neque Milonem ante medium sæculum octavum interriisse ac sedem Trevirensem reliquisse, neque Jacobum ejusdem nominis unicum illorum tempo- Tullensem Episcopum ante idem tempus Ecclesiæ Tullensi præfuisse.

Præterea tam in prima quam in secunda sancti Hildulfi vita legitur, Pipinum Rempublicam Galliarum gubernasse, cum Clerus & populus Trevirensis eundem Sanctum in suum Antistitem unanimiter postularunt. Nec quemquam morari debet, quod idem Pipinus qui in secunda vita expressè dicitur Rex & Pater Caroli magni, in prima vita omisso Regis titulo dicitur duntaxat genitor Caroli magni; sive enim id evenerit cum Pipinus adhuc major domus erat, sive cum Rex jam evasisset, parum interest, cum paucorum annorum inter utrumque sit discrimen; maximè quo ad Austrasiam, in qua Pipinus etiam tanquam major domus principatum non tenuit, nisi postquam Carolomannus ejus frater rebus sæcularibus nuntium remisit, hoc est post annum 746^{m}.

II. Contra verò in prædictarum vitarum qualibet duo narrantur præclara sancti Hildulfi opera, quorum alterum Archiepiscopus Trevirensis jam factus, alterum autem dimisso jam Archiepiscopatu & Vosagi solitudinem inhabitans gessit. Primum est quod corpus sancti Maximini præsulis olim Trevirensis à loco quo eum sanctus Paulinus Aquitannus sepelierat, in alium transtulit; secundum verò est quod Ethiconis aliàs Ethici seu Athici Ducis Filiam à Nativitate cæcam baptizavit, quam sanctus Erardus *Carne quidem Beato Hildulfo germanus, ordine verò Coepiscopus* mente simul & corpore illuminatam de sacro fonte excipiens nominavit Othiliam.

Atqui hæc translatio corporis sancti Maximini multò

tò ante obitum Milonis Archiepiſcopi Trevirenſis, qui Pipino regnante apri dente percuſſus interiit, peracta eſt, ut ex ordine relationis Servati Lupi qui res divi Maximini anno 839. ſcripſit, rectè colligi cenſuerunt tum Godefridus Henſchenius in annotatis ad vitam ſancti Maximini die 29. Maij, tum Alexander Wilthemius in manuſcriptis Annalibus celeberrimi cœnobii ejuſdem ſancti Maximini, tum denique Mabillonius in Annalibus Benedictinis tom. III. lib. XV. n. 57. Poſtquam enim Servatus Lupus elevatas á Beato Hildulfo ſancti Maximini Reliquias narravit, miracula deinde conſecuta ſic recenſet ut temporis ordine incedat. Exorſus igitur à nobili quadam Franca Rodoara vocabulo, quæ diu deſideratam ſalutem ad ſancti Maximini memoriam recuperavit, progreditur ad Carolum Principem (quod de Carolo Martello interpretandum rerum ſeries ac conſequentia demonſtrat) qui longa febrium moleſtia gravique cibi ac potus faſtidio quo laborabat ibidem ſanatus eſt. Tum ſubdit recepta à duabus feminis & quodam Albone ejuſdem Sancti interventu beneficia. Et tandem Regis Pipini magni Caroli genitoris quemdam Clericum, nec non ejuſdem Pipini ex filia nepotem Cunibertum à dæmone liberatos narrat.

Cum igitur Exuniæ divi Maximini loco motæ fuerint priuſquam Carolus Martellus ope ejuſdem Sancti convaleſceret, conſequens eſt Beatum Hildulfum qui illas factus jam Epiſcopus movit, eſſe regno Pipini qui Caroli Martelli filius fuit, longè anteriorem, fierique minimé poſſe ut eodem Pipino jam regnante Trevirenſem Cathedram adeptus fuerit.

Confirmatur hoc argumentum ex antiquiore ſancti Maximini vita, quam ex pervetuſto ſancti Victoris Pariſienſis codice depromptam edidere Socii Bollandiani ad 29 diem Maij; In hac quippe vita translatio ſancti Maximini Beato Hildulfo non tantum adſcribitur, ſed etiam ſubſecuta miracula eodem prorſus ordine recenſentur ab Anonymo Sammaximinianenſi, qui ut Anthor prævii ad eandem vitam Commentarii ait, Pipini Regis ætate vi-

xisse & scripsisse videtur, cum ultrà eam haud quidquam referat, adeoque integro fermè sæculo senior Lupo fuit.

Similiter baptismus sanctæ Othiliæ non modo præcessit obitum Milonis regnumque Pipini, sed ab utroque tantopere dissitus est ut ad sæculum septimum omninò referri debeat. Probat id antiqua ejusdem sanctæ Othiliæ vita sæcul. III. part. 2. Actorum Ss. Ord. S. Bened. edita, * cujus Author Anonymus disertè asserit non solum divam Othiliam esse filiam *Illustris Ducis Adalrici qui alio nomine Etichin dicebatur, & Berehsinda Uxoris ejus, qua sicut a'sertione plurimorum didicerat, affinitate sancti Leodegarii redimita, Soror Beatissima Sigranda matris ipsius sanctissimi Leodegarii erat*; verum etiam Ducem Adalricum seu Ethichin qui & Ethico & ex voce *Adalricus* contracta *Aticus* dictus est, *temporibus Hilderici Imperatoris* seu Regis (quod de solo Childerico Chlodovei secundi filio intelligi potest) eidem Berchsindæ (quæ etiam Beresvinda dicebatur) matrimonio jam conjunctum fuisse ex illisque natam esse filiam à nativitate cæcam, quæ paucos post annos baptizata visum recepit.

* Pag. 486.

Idem confirmat fragmentum historicum quod Alberti Argentinensis Chronico præfixum & ab Andrea Chesnio recusum est tom. I. scriptorum historiæ Francicæ. * Ait quippe hujus fragmenti Author pariter Anonymus, *Athicum* seu Adalricum patre adhuc superstite & *Hilderico regnante Uxorem duxisse Beresvvindam nomine, filiam Sororis sancti Leodegarii & genuisse Othiliam, qua à sancto Erardo Ratisponensi Episcopo & Hildolfo Treverensi baptizata in sacro fonte visum recepit.*

* Pag. 782.

Dissentit quidem ut patet hic Anonymus à superiore circa Beresvindam Athici Ducis Uxorem, quam ille *sororem beatissima Sigrada matris sanctissimi Leodegarii*, hic verò *filiam sororis sancti Leodegarii* fuisse tradit. Verum hæc dissensio in præsenti quæstione parvi pendenda videtur, maximè cum neutrum absolutè repugnet. Po-

Potiorem tamen fidem Anonymo scriptori vitæ sanctæ Othiliæ quam Anonymo Auctori fragmenti Urstititiani habendam esse arbitratur Mabillonius, qui postremum hunc Auctorem deceptum fuisse ait, loco malè intellecto vitæ sancti Leodegarii, in qua idem San „ ctus Childericum Regem arguisse perhibetur, quod Re- „ ginam quam habebat conjugem, filia sui esset Avunculi „ id est Avunculi Childerici; quod tamen Author frag „ menti de sancti Leodegarii Avunculo perperam inter- „ pretatus est.

III. Idipsum evincunt pleraque vetera diplomata. Primum est ipsius Childerici II Regis qui Valedio Abbati sancti Gregorii Monasteriensis in Alsatia quædam ad fiscum pertinentia concessit & confectum ea de re præceptum inscripsit Atico Duci. Meminit hujus diplomatis Mabillonius * qui integrum illud suo loco dare proposuerat, sed cum id ab eo præstitum non inveniamus, idem ex veterrimo & eodem ferme tempore quo autographum ipsum confecto exemplo, quod in eodem sancti Gregorii Monasterio asservatur, summa fide descriptum hic attexere non gravabimur.

* Annal. Benedict. lib XV. n. VI.

*Childericus Rex Francorum Vir inluster Chadico * Duce Rodeberto comete. Illud nobis ad stabilitatem regni nostri procul dubium credimus pertinere si petitionebus Sacerdotum in quo nostris fuerint auribus prolata perducemus ad effectum. Ideo cognoscat magnetudo seutilitas vestra quia nos homines illos qui commanent in Monisfensisheim & Onenheim quantumcumque ad parti fisco nostro retebant, tam freta quam reliquas functiones, Valedio Abbate ad monasteriolo confluentis, hoc plena & integra voluntate visi fuimus concessisse. Quapropter jubemus ut neque vos neque Juniores seu Successores que vestris idem ex hoc contrarie non existetis, nisi sicut diximus quantumcumque memorati homines qui in ipsas de quas villas commanere videntur, totum & ad integrum ipsius Valedio Abbate omnes functionet reddere debeant. Et ut hac præ-*

* *De mira veterum in scribendis nominibus propriis varietate deque litteris c. & b. quibusdam vocabulis ab eis præter communem usum appositis, nec non de illorum styli Barbarie, vitiosa orthographia & litteras commutandi*

ceptro

licentia, vide Mabillonium de re diplomatica lib. II. cap. I. & supplement. capp. III. & XII.

ceptio pleniorem obtineat vigorem manus nostras subterscriptionebus subter decrevimus roborare . . . .

Childericus Rex recognovit. Subsequitur signum variis calami ductibus implexum.

Datum sub die quarto quod fecit mensis Martius Anno XII. Regni nostri.

Secundum est Theoderici Regis, fratris videlicet & Successoris præfati Childerici in favorem Ebersheimensis seu Novientensis Monasterii datum inscriptumque *Athico Duci & Adalberto Comiti caterisque fisci exactoribus.* Hoc diploma refert Wolfangus Lazius lib. 8°. de Suevis sed prætermissa illius data, quam supplevit Mabillonius ex veteri ejusdem Monasterii Chronico, ubi legitur datum mense Februario, die nona, anno decimo Regni ipsius Theodorici.

* Annal. Bened. Tom. I. pag. 488.

Tertium est Lotharii Imperatoris quo prima monasterii sancti Stephani Argentoratensis fundatio ac donatio ab Adalberto Duce Athici Ducis filio facta confirmatur augeturque. Nam in hoc diplomate quod integrum dedit dedit Franciscus Guillimannus in suo de Episcopis Argentinensibus Commentario, idem Imperator sic loquitur: *Omnium fidelium Sancta DEI Ecclesia & nostrorum prasentium videlicet & futurorum comperiat industria quod dilecta cognata nostra venerabilis Sanctimonialis & Abbatissa sancti Prothomartyris Stephani* Ruadrut *Majestatem nostram adiit, offerens obtutibus nostris Auctoritates & Munimenta Chartarum Illustris parentela nostra progenitoris Ducis Adalberti, qui fundavit jam dictum locum in parte sua hareditatis, qua sibi pertinuit inter ruinas veteris Argentorati & dotavit eum pradiis suis largè pro remedio anima sua & parentum suorum ibidem attributis, & Attalam sanctissimam Virginem Abbatissam prasidere ordinavit. Et quemadmodum in eisdem insertum continebatur Auctoritatibus, eundem locum per pragmaticam Regis Childerici constitutionem prarogativa Emunitatis libertate communiri impetravit. Data Idus Maij anno Christo propositio Imperii Domini Hlotarii in Italia XXIX. & in Fran-*

Francia VI. Indictione VIII. Actum publicè in palatio Regio Argentoraco cum iremus in Italiam feliciter Amen.

Childerici nomen Chilperici loco in hoc diploma irrepsisse contendit Cointius *, quod inficiari nolim; at ex infra dicendis manifestum fiet errasse Ulricum Obrechtum qui in prodromo Rerum Alsaticarum cap. 9. pragmaticam Constitutionem de qua hic est mentio, ad alium quam Childerium Tertium referri debere negat. Errorem suum, sicut accepimus, agnovit Vir eruditus, sed tardiùs, publici namque juris jam factus fuerat prædictus Prodromus.

* *Annal. Ecclesf. Francor. Tom. IV, ad, an. 712.*

Quartum est Theoderici Calensis Regis * *Liutfrido Duci & Eberhardo Domestico ac venerabili in Christo Domino Benedicto Abbati* inscriptum, quo idem Rex Monasterii Honaugiensi recens constructi regimen prædicto committit Benedicto, quem etiam *Tubanum* vocat. Hoc diploma refertur à Jodoco Coccio in Dagoberto pag. 131. sed in eo desideratur annus, quem ex charta mox proferenda facilè erit colligere.

* *Vide aliud ejusdem Regis præceptum Liutfrido Duci inscriptum pro Mauri monasterio apud Bruschium in chronologia monaster. German.*

Quatuor his diplomatibus adstipulantur duæ chartæ à Mabillonio * editæ. Prima est charta donationis factæ per Liutfridum Ducem & Eberhardum Comitem Adalberti Ducis filios eidem monasterio Honaugiensi in hunc modum: *Sacrosancto monasterio quod dicitur Hohenaugia in honore sancti Michaelis super fluvium Rhenum constructo ubi Dominus Benedictus Abbas præesse videtur, Liutfridus & Eberhardus cogitantes pro animabus nostris vel pro æterna retributionis venia, propterea complacuit nobis animus ut de ipsa insula qua dicitur Hohenaug & Rhenus circuit, de parte nostra quantumcumque genitor noster Adalbertus Dux nobis moriens dereliquit, ad ipsum monasterium condonare deberemus. Ideoque hæc omnia supra jam dicto monasterio vel agentibus vestris à die præsenti in vestram tradimus dominationem ad possidendum Datum tertio idus Decembris anno* III. *Regni Domini nostri Theodorici Regis. Signum Liutfridi Ducis qui consensit. S. Eberhardus Domesticus hanc Epistolam testamenti à me factam relegi & recognovi. S. Ego Eugenia ac si indigna Abbatissa quæ consensi.* Erat hæc Eugenia Abbatissa

* *Append. tom. II. Annal. Bened. nn. VIII. & XXI.*

tissa Neptis B. Othiliæ ejusque in Hohemburgensi Parthenone immediata Successrix.

Secunda est charta Eberbardi Comitis pro dotatione monasterii Morbacensis in qua idem Eberhardus post præfationem sic loquitur: *Ergo ego in Dei nomine Eberhardus filius Adalberti quondam Ducis, etsi vilissimus Christi famulus, dum non habetur incognitum qualiter ante hos annos, unà cum conventu Pontificum, Sacerdotum & germano meo Leutfredo Duce & conjuge mea Emeltrude, in re mea propria, in loco qui dicitur Maurobaccus, qui nunc vocatur Vivarius peregrinorum, in pago Alsacensi, in honore S. Petri Principis Apostolorum & S. DEI Genetricis Mariæ cæterorumque Sanctorum, a novo, meo opere sicut mihi vires DEUS dedit monasterium ædificavi, & illis diebus juxta quod in illo priore testamento continetur, de rebus meis aliquid ditavi; Nunc autem &c. Actum habendo castro. sive Romarico monte monasterio, publicè, anno octavo, regnante Domino nostro Theoaerico Rege.*

Ex quibus omnibus diplomatibus & chartis certum fit & evidens, primò Aticum Alsatiæ seu Alemanniæ Ducatum tenuisse Childerici II. Regis tempore.

Secundò eundem Aticum adhuc in vivis extitisse Adalbertumque Comitem ejus filium ac Beatæ Othiliæ fratrem perfectæ jam ætatis virum fuisse, cum ambobus hoc est *Athico Duci & Adalberto Comiti cæterisque fisci exactoribus* præceptum suum inscripsit Rex Theodericus frater ac Successor Childerici Secundi, anno decimo Regni sui, id est anno Christi 683.

Tertiò in Alsatiæ seu Alemanniæ Ducatu Athico successisse Adalbertum, qui monasterium S. Stephani Argentoratensis condidit eique præfecit sanctissimam Virginem Attalam (quam omnes authores filiam ejus & neptem divæ Othiliæ fuisse tradunt) ac insuper eundem locum impetrata à Rege Childerico pragmatica Constitutione communivit; qui profecto Rex Childericus nullatenus esse potuit Childericus III. ad cujus regnum non pervenit præfatus Dux Adalbertus, qui anno tertio Regni Theoderici Calensis hoc est anno Christi 723. jam obierat, ut ex præallata charta pro monasterio Honaugiensi liqui-

dò

dò constat. Unde vel Childericum II. vel potius Chilpericum II. ut Cointio placet, fuisse necesse est.

Quartò Adalberto Duci successisse Liutfridum, aliàs Leutfredum vel Leudofredum filium ejus, quod ambæ superiores chartæ perspicuè docent, ipsumque Ducatu jam potitum fuisse ante annum 723. ut ex prædictarum chartarum priore planum fit & evidens; Ac insuper divam Othiliam eodem anno 723. jam vivere desiisse ejusque locum in Hohemburgensi Parthenone tunc obtinuisse Eugeniam ejus neptem, quæ Donationi à Liutfrido Duce & Eberhardo Comite fratribus suis Haunagiensi monasterio factæ, anno III. Regni Theoderici Calensis subscripsit & consensit sub hac forma: *S. Ego Eugenia acsi indigna Abbatissa quæ consensi.*

Unde apparet beatam Othiliam vitæ suæ partem maximam sæculo septimo traduxisse & Baptismum eo durante recepisse, nec non à vero longe aberrasse Guebwillerum, Cointium, * Peltreum ** & alios qui hanc sanctam annis non minus centum tribus vixisse & anno duntaxat 760. vel 765. sub Pipino Rege è vivis excessisse tradunt.

* *Annal. Eccl. Francor. ann. Christi 690, num. LII.*

** *In vita sanctæ Othiliæ.*

Cum igitur Translatio sancti Maximini & Baptismus divæ Othiliæ quæ inter præclara sancti Hildulfi jam facti Archiepiscopi Trevirensis gesta memorantur, ad septimum sæculum referri omninò necesse sit; contrà verò obitus Milonis Archiepiscopi Trevirensis cui successisse beatus Hildulfus dicitur, & præsulatus Jacobi Episcopi Tullensis à quo secretum habitationis locum dimissa dignitate petiisse fertur, nonnisi sæculo octavo saltem mediante contigerint, & nihilominus in omnibus sancti Hildulfi vitis hæc & illa simul connectantur, mirùm videri minimè debet si circà ejusdem Sancti ætatem authores tantoperè discrepent.

IV. Verum in tertia vita quæ ut prolixior ita etiam explicatior est, plura insuper reperiuntur quæ Beati Hildulfi ortum, præsulatum & secessum in Vosagum sæculo septimo adscribi debere comprobant.

Primò enim tempus illius ortûs sic ejusdem vitæ Author designat: *Circa illius temporis ætatem Garibaldus regebat eandem Noricorum hoc est Baioariorum gentem . . . Ea quoque tempestate Austrasiis imperabat Theudebertus.* Atqui Garibaldus quisquis ille fuerit, sive pater Theodelindæ, quem hic Author cum nonnullis Rerum Boicarum scriptoribus in regnum quasi postliminio rediisse forsitan existimavit, sive Thassilonis filius quem Paulus Diaconus, *a.* Velserus, *b.* Brunnerus, *c.* Adlzreitter, *d* & alii patri successisse asserunt, constans est eorundem omnium Authorum opinio, hunc Garibaldum (seu primus seu secundus fuerit) non regnasse ultra duodecimum sæculi septimi annum, in quo ipse etiam Theudebertus Austrasiorum Rex regnum ac vitam amisit. Consequens igitur est ut Beatus Hildulfus eodem saltem anno Christi sexcentesimo duodecimo natus sit.

a. Lib. 4. cap. 4.
b. Rerum Boicar. lib. III.
c. Annal. Boicæ gentis part. 1. lib. VI.
d. Annal. Boicar part. 1. lib. IV.

Secundò narrat hic Author ejusdem vitæ capitibus II. & III. qualiter Beatus Hildulfus post expleta litterarum studia *moribus Ecclesiasticis jam assuefactus Reginoburgi Clericatus honore donatus est, ac tandem exemplo fidelis Abrahæ terra, cognatione, domoque parentum egressus, iter arripuit Sicambriam versus, subiitque civitatem Trevericam, quam tunc incolebat copiosus monachorum numerus, quibus spem sæculi irridens imperterritus Agonoteta Christi Sociatus, monasticam normam professione explevit & actibus . . . Eratque* (inquit) *in illis diebus in regio palatio Angisus Arnulfi filius administrans principatum sub nomine majoris domus, cujus quoque ætatem attigit Heraclius Romanæ Reipublicæ Augustus, qui revexit sanctissimæ crucis lignum à Chosroæ tyranni partibus . . . Pipinus post multum temporis patri Angiso decedenti succedens, Rempublicam Galliarum gubernavit florentissimè . . . . Hic & aliot filios habuit, sed ex his præcipuus Carolus extitit, qui ei in principatu successit. Quod idcirco fortassis plus justo visum est prosequi, ne similitudo nominum decursioque temporum in sequentibus injiciat scrupulum Lectori, nempe præfatus Dux Carolus primi ex Francis magni imperatoris Caroli extitit Avus.* Tum subdit *puplicis igitur utilitatibus invigilante Ansgiso jam dicto & Milone Archiepiscopo rebus hu-*

humanis exuto . . . tunc subito Hildulphi nomen per ora omnium sonuit: quod vir esset nobilis, scientia eruditus, lingua urbanus, vita DEO hominibusque placita, ac moribus clero & plebi proficuis congruisque compositus. Mox sermo in aula Regis percrebuit atque exiit Edictum ut vir talis ac tantus pastorale subiret ministerium. Atqui tum Heraclius Imperator, tum Ansgisus sancti Arnulfi filius ad sæculum septimum omninò pertinent; obiit enim Heraclius anno 641. floruit verò Ansgisus potissimum sub Regibus Sigeberto & Childerico, nec excessit annum 686., immò necem ejus longè citiùs contigisse plerique arbitrantur. Restat igitur ut perperàm hùc intrusum & demortuo tunc temporis Trevirensi Archiepiscopo malè affictum fuerit Milonis nomen.

Tertiò idem Author expressè asserit cap. 20. quod *emicuit ab ærumnabili incolatu hujus nostri exilii pissimus pastor Sanctus Hildulfus quinto idus Julii, cum ageretur annus ab Incarnatione JESU Christi septingentesimus septimus, Consulatu Justiniani Junioris Augusti à Leone* (seu Leontio) *contra eum rebellante narium detruncatione deformati*, iterumque Imperantis, *quinta indictione, anno trigesimo sexto habitationis suæ in hujus terribilis eremi vastitate, quadragesimo verò à gloriosa Domini Pontificis Maximini translatione.* Errat tamen hic Author dum subdit hanc mortem contigisse *sub Sergio venerabili Papa*, qui sex annis priùs è vivis excesserat.

Quartò denique adjungit ipsemet Author ejusdem vitæ cap. 21. quod *post gloriosi Pontificis Hildulfi transitum, Reimbertus vir spectabilium ornamentis decenter præditus morum, concordi voto fratrum Regiminis subiit officium, quodque illius tempora & opuscula sub Regibus Theodorico atque Childerico juniore Pipinoque filio Ducis Caroli sunt decursa.* Præfuit enim ut inferiùs dicetur idem Reimbertus Mediano monasterio non minus quinquaginta annis.

V. Variis prætereà hæc de Sancti Hilduld ætate sententia confirmatur argumentis aliundè petitis.

Primum petitur ex vita sancti Deodati Nivernensis Episcopi ab anonymo quodam Medianensi seu Abbate, ut Ruyrio placet, seu Monacho (ut credimus) conscri-

pta & ad Valdradum Sandeodatensem præpositnm directa, quæ quidem cum an. 1049. ad summum Pontificem Leonem IX. delata & in provinciali synodo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ recitata fuisset, ab eodem Pontifice decretum fuit ut in Ecclesia legeretur; unde in lectiones verbo tenus digesta fuit & in choro ad officium per multos annos à Canonicis Sandeodatensibus deinceps recitata, ut constat ex Legendario in illorum archivo etiamnum servato; de quibus vide Commentarium prævium in eandem vitam die 19. Junii in actis Sanctorum Bollandianis. In hac quippe vita dicitur primò quod *Beatissimus Hildulfus dignissimos sancti Maximini artus transtulit quando ab incarnato Domino sexcentesimus sexagesimus septimus annus volvebatur.* Secundò quod *decurrente sexcentesimo septuagesimo primo anno, semper imitandus pater Hildulfus Archipræsulatu Trevirorum abrenuntiato, semet ad commoriendum Christo addicens huic aridæ eremo, dulcissimus vicinus & pacatissimus affinis accessit suo Deodato.* Tertio quod *cum divina miseratio emeritum militem suum Hildulfum à nimio labore decrevisset in æternum requiescere, per dilectissimum sibi Deodatum dignatus est eidem transitus sui diem denuntiare & ut satageret ambas eorum cellas (sicut res poscebat) disponere . . . . Itaque fratribus sua cella designato Abbate Domno Reimberto, Valli autem Galileæ Domno Marcinanno, emicuit ab hoc exilio ab Incarnatione JESU Christi anno septingentesimo septimo.*

Cap. II. n. XI. — *Cap. III. n. XIV.* — *Cap. IV. n. XXXIII.*

VI. Secundum petitur ex mutua inter Beatum Hildulfum & sanctum Deodatum in Vosago jam commemorantes amicitia & societate. Exinde enim necessariò consequitur Beatum Hildulfum fuisse sancto Deodato coevum; at certum est sæculo septimo sanctum Deodatum floruisse & monasterium Vallis Galileæ construxisse; nec non eandem Vallem cum omni integritate à Rege Childerico II. & privilegium pro monachorum ibidem existentium quiete à Nemoriano Archiepiscopo Trevirensi impetrasse. Ut videre est in ejus vita ad prædictam diem 19 Junii.

Constat autem hæc amborum Sanctorum amicitia

&

& societas non solum ex eadem sancti Deodati vita in qua graphycè describitur, sed etiam ex ea quæ inter illorum discipulos, Sandeodatenses nimirùm & Medianenses monachos continuavit, societate ac necessitudine; maximé verò ex pia & usque ad medium circiter sæculum decimum septimum servata consuetudine ad se invicem singulo quoque anno deferendi primùm tunicas, deinde corpora sanctissimorum suorum patronorum. *Charissimi Pontifices* (inquit Anonymus Author vitæ sancti Deodati) *statuerunt semel in anno dum in hac vita manserint, alter alterius cellam invisere atque ibi sub noctem commanere, quam insomnes totam in sanctis colloquiis & divinis laudibus solebant expendere; diluculo autem ad suam redire . . . . Et Dominus quidem Hildulfus non procul à cella cum suis discipulis occurrebat venienti ad se Domino Deodato & suis, quem data manu ducebat ad orationem, secundum antiquorum Patrum consuetudinem & institutionem Sanctissimi Benedicti Abbatis; sicque pariter oratione fusâ, salutabant se invicem cum spirituali gaudio & tum demum sociabantur sibi in sancto illibata pacis osculo & in reliquo caritosa affectionis officio. Idem piissimus Pater Deodatus faciebat carissimo suo Hildulpho, cui cum suis occurrebat Mortha* flumine *transito; nam quoad vixit, cellam priorem apud sancti Martini oratoriolum non deservit.* Cap. III.

Post obitum verò Sanctissimorum Amicorum, *à devotissimis discipulis* (pergit Author) *observatum fuit quod à piissimis magistris recolebant traditum; videlicet ut semel in anno & isti inviserent cellas eorum & illi istorum, tanquam præcipua pignora praeferendo tunicas magistrorum, quibus cum tanta devotione occurrebatur & tanta veneratio exhibebatur, ut dulcissimi patres ad filios redisse post longa seculorum volumina crederentur . . . Ergo hac consuetudo tam pia & religiosa integerrimè conservata est inter hac duo cœnobia, donec sancta corpora plurimis miraculis declarata sublevarentur de terra gremio divina disponente gratia. Tunc quod consueverant facere in tunicis Sanctorum, usque ad nostra tempora conservarunt in corporibus eorum; cum eis invicem se visitando aut sibi complacito loco dulciter occurrendo, ubi inter se*

pias commutando sarcinas, aliquandiu velut proprios Dominos gestare amant.

Perseveravit hæc eadem consuetudo ad medium circiter (ut diximus) sæculum decimum septimum *, convenientibus hujus rei gratia singulo quoque anno, feria quinta post Pentecosten, ex una parte Canonicis sancti Deodati & ex altera parte Monachis Mediani monasterii, ad sacellum media inter utrumque cœnobium via erectum, in loco satis amœno qui Bellus campus ** dicitur & grandævis ac prætaltis fagis consitus est. Verum anno 1635. grassante in Lotharingia sævissimo bello & capsâ sancti Deodati cum magna parte sacrarum ejus Reliquiarum luctuoso concrematâ incendio, intermitti cœpit; nec deinceps restituta fuit, quamvis illam renovare Lotharingicâ pace factâ, hoc est post annum 1661. Medianenses nostri non semel tentaverint, eoque consilio ad prædictum sacellum, die solita, invitatis priùs Sandeodatensibus Canonicis, cum capsa Sancti Hildulfi aliquoties accesserint; præfati enim Sandeodatenses hanc provinciam sibi rursùs imponere detrectarunt, ipsique Medianenses ob nonnullos in longiore hac processione deprehensos abusus, ab ea penitùs abstituerunt.

* *Vide Systema Chronol Historic. Episc. Tullens. cap. 17. Sect. 3. ubi Riguetius asserit à se visos Canonicos & cives Sandeodatenses qui huic processioni interfuerant.*

** *Vulgo Bechamp.*

Ritus in hac mutua Sanctorum pignorum delatione & commutatione servari solitus sic describitur ad calcem officii proprii Sancti Hildulphi, Tulli Leucorum anno 1668. recusi. *Feria V. post Pentecosten. Hac die sic persolvi debet officium ut hora saltem sexta mediata discedi possit; dicta prius antiphona* Exurge Domine *& reliqua de more, ut in processionali habentur, statim à choro per navim discedixur, cantando Responsorium* De Jerusalem. *Tum quatuor Laici capsam Sancti Hildulfi in Sacello ejusdem Sancti præparatam accipiunt deferendam post Religiosos. Finito Responsorio supradicto dicitur Hymnus* Veni creator Spiritus *Deinde cantantur Responsoria sequentia* &c. *Cum autem perventum fuerit ad Crucem proximam capellæ, capsa deponitur super lapidem ad id deputatum ibique omnes remanent, si necdum venerabiles Canonici sancti Deodati advenerint; si verò jam adfuerint omnes eis statim occurunt hoc ordine: Primo Cantores*

rores intonant Responsorium Cum Discipulis. *Tum Cruces nostra pracedunt quas subsequuntur Vicarii nostri; deinde fratres per ordinem, duorum vel trium ad minus passuum inter unumquemque eorum interjecto spatio. Tum capsa ipsa sequitur Religiosos, quousque à venerabilibus Canonicis assumatur deferenda, quam intorticia nostra tam in exitu quam in reditu hinc inde comitari debent; posthanc verò populus incedit. Cuius autem tantillum progressi fuerint fratres, quatuor ex illis deputati paulisper à latere cateros Religiosos cum modestia & gravitate bini incedentes pracedunt, Capsamque sancti Deodati adeunt, quam cum reverentia suis humeris imponunt, ibique remanent usque dum cateri Religiosi ad pradictam sancti Deodati capsam eum cantu deducendam ad sacellum itidem accurrentes, ad illos pervenerint, quos subsequentur. Transeuntes autem fratres è regione Canonicorum, capitibus nudatis, medioeri eum reverentia illos salutant. Ubi verò perventum fuerit ad locum, depositis utrimque capsis ante saceollum* (propter nimiam facelli angustiam universo populo foris remanente.) *Fratres post Canonieos illud ingrediuntur, illius partem dexteram* * *occupantes genibus flexis è regione altaris toto Missa tempore permanent.*

Dicitur Missa. Post Offertorium celebrans ** *exhibet Brachium Sancti Hildulfi deosculandum Canonicis & nobis. Antiquior Canonieorum primus deosculatur (licet honestatis causa innitet Antiquiorem ex nostris) quem sequitur prafatus antiquior ex nostris. sicque alium Canonicum alius frater, pro numero Canonicorum ibi existentium . . . finitâ Missâ post Canonicos egredimur. Tum duo ex nostris intonant Responsorium* Ex locorum *ut infrà. Illi autem quatuor Fratres nostri qui capsam Sti Deeodati detulerunt, iterumeam accipiunt ac per eandem viam qua venerant in locum in quo aceeperant eam referunt, pracedentibus itidem Religiosis, dantque hominibus ad id deputatis, seseque fratribus statim conjungunt.*

* *Lavâ qua est latus Evangelii pro digniore habitâ & Canonicis concessâ.*

** *Parochus de Hurbaco, intra cujus parochia fines sacellum existit.*

Responsorium. Ex locorum vicinia & antiqua Notitia Deodato Chariffimus Hildulphus erat inclitus Alleluja. *Vers.* Qui primas Trevirenfium nuper intrarat thalamum. * Deodato Chariffimus. Gloria Patri & Filio. Deodato Chariffimus.

Quæ

Quæ omnia paulò fusiùs hìc enarrare operæ pretium esse duximus, quia constans & perpetua hæc consuetudo statim ab obitu Sanctorum Deodati & Hildulfi exorta, ad ætatem scriptoris vitæ sancti Deodati integerrime conservata, & ad hæc nostra fermé tempora religiosè continuata locupletissimum nobis videtur præbere testimonium de amicitia & coëtaneitate utriusque Sancti.

VII. Tertium petitur ex Libello de Successoribus Sancti Hildulfi in Vosago, hoc est in Mediano, quod condidit, monasterio; si enim obitus ejus ad finem sæculi octavi differatur, ut differri necesse est ab Authoribus oppositæ sententiæ, non relinquetur locus qui tribus primis ejusdem Sancti successoribus tribuatur. Certum quippe est Fortunatum qui quartus à dicto obitu Mediani monasterii extitit Abbas, administrationem suscepisse à Carolo magno initio sæculi noni, dissidentibus de eligendo Abbate Medianensibus Monachis. Contra verò cum Sancti Hildulfi obitus ad initium sæculi octavi revocatur & anno Christi 707. constituitur, assignati primis illis ejusdem Sancti successoribus anni integrum sæculum octavum perficiunt & usque ad imperium Caroli magni perveniunt, ut ex sequenti seriè patebit.

Sanctus Hildulfus obiit anno Christi - - 707

Regimbertus aliàs Reimbertus Sancti Hildulfi immediatus Successor *præfuit annis non minus quinquaginta, Illiusque tempora & opuscula sub Regibus Theodorico atque Childerico Juniore Pipinoque filio Ducis Caroli sunt decursa.* - - - 50

Vita III. Sancti Hildulfi. cap. 21.

Sundrabertus Regimberti Successor *post viginti & eò amplius annos* vel potiùs *post triginta & eò amplius annos*, ut testatur Joannes à Bayono qui posteriorem numerum legisse videtur in eo præfati libelli *de Successoribus S. Hildulfi codice* quo in conscribenda historia Medianensi usus est, quique hos *trigin-*

Histor. Median. lib. II. cap. X.

ta

ta & eo amplius annos conjici ait ex Chirographis illius temporis quo Sundrabertus vixit. Dentur ergo Sundraberto regiminis anni - - 32

Madalvinus Sundraberti Germanus & Successor rexit annis duodecim - - - 12

Qui omnes anni simul juncti efficiunt - 801

Non equidem diffiteor Fortunatum illum qui Madalvino successit Gradensem potius quam Jerosolymitanum fuisse Patriarcham, neque in Franciam venisse aut ad Carolum magnum accessisse ante annum Christi 803. ut ex Ughello *a.*, Cointio *b.* & Mabillonio *c.* colligitur. Quo posito consequens est, illum non fuisse priùs institutum Mediani Monasterii Abbatem. Sed primò nihil obstat quin Sundraberto qui *triginta & eo amplius annos* rexisse dicitur, triginta tres quatuorvè regiminis annos concedamus. Secundo *facile altercantibus inter sese de eligendo Abbate Medianensibus monachis Electio ad id tempus protrahi potuit*, inquit Mabillonius.

a. *Ital. Sac. tom. V.*
b. *Annal. Eccl. Franc. tom. VI.*
c. *Annal. Bened. tom. II. lib. XXVI.*

VIII. Quartum petitur ex eo quod opposita sententia funditùs evertit ac destruit totam Sancti Hildulfi historiam. Nam si hic Sanctus Miloni in Archiepiscopatu Trevirensi, Pipino jam regnante transfactoque jam medio sæculo octavo successit, certè nec divi Maximini Reliquias transtulit, nec sanctam Othiliam baptizavit, nec beato Deodato cœnobii vallis Galileæ conditori amicus fuit, nec denique Medianum construxit monasterium, in quo jam inde ab initio ejus sæculi florebat Reimbertus Abbas, quem secuti sunt Sundrabertus, Madalvinus & Fortunatus qui tempore Caroli magni eidem monasterio præfuit. Longè autem credibilius est Authores vitarum Sanctorum Hildulfi & Deodati qui hæc omnia accuratè recensent, exactam Principum & Episcoporum Chronologiam ignorasse, quam veram præcipuarum rerum ab his Sanctis gestarum historiam nescivisse. Unde ex hujusmodi rebus ab eis gestis certoque tempori alligatis

D emen-

emendanda potiùs venit, haud ſatis comperta prædictis Authoribus Chronologia, quam ex ejuſdem Chronologiæ repugnantia rerum ab ipſis relatarum veritas deneganda.

Quam verò ignota fuerit illorum temporum ſcriptoribus prædicta Chronologia evidenter patet exemplo Interpolatoris tertiæ Sancti Hildulfi vitæ, qui licet obitum ejuſdem Sancti expreſsè aſſignet V°. Idus Julii anni 707. & Pipinum (qui in prima vita Galliarum Rempublicam florentiſſimè gubernaſſe dicitur) non fuiſſe Pipinum Caroli magni, ſed Caroli Martelli genitorem multis oſtendat, attamen tanta laboravit inſcitia Chronologiæ Archiepiſcoporum Trevirenſium & Epiſcoporum Tullenſium, ut Beatum Hildulfum & Miloni Archiepiſcopo Trevirenſi ſucceſſiſſe & paucos poſt annos relicta Treverenſi Cathedra, Jacobum Epiſcopum Tullenſem de ſecreto habitationis loco conſuluiſſe aſſerat; ſicque obitum Milonis & Præſulatum Jacobi, quos nonniſi poſt medium ſæculum octavum contigiſſe certum eſt, ad medium circiter ſæculum ſeptimum neceſſariò revocet.

IX. Quintum denique petitur ab authoritate graviſſimorum ac doctiſſimorum Virorum, qui quæſtione de ætate Sancti Hildulfi ſuperiore ſæculo accuratiſſimè diſcuſsâ, hanc ſententiam tanquam veriorem ac certiorem ſequuti ſunt; ac præſertim Godefridi Henſchenii in ſua de tribus Dagobertis Francorum Regibus Diatriba lib. IV. §. V. Et in annotatis ad vitam ſancti Maximini Trevirenſis die 29. Maij cap. 2. Caroli Cointii in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum ad annum Chriſti 667. num. XXXIV. & ad annum 676. num. XXIII. Joannis Mabillonii in Annalibus Benedictinis lib XV. num. LVIII. & lib. XVI. num. LXXXVII. Franciſci Riguetii inſignis Eccleſiæ Collegiatæ ſancti Deodati præpoſiti in ſuis Memorialibus hiſtoricis & Chronologicis ad vitam ejuſdem ſancti Deodati, nec non in ſuo ſyſtemate hiſtorico & Chronologico Epiſcoporum Tullenſium capp. XV. & XVII. Quibus jure meritò

tò accensendus est R. P. Alexander Wilthemius Societatis JEsu presbiter in manuscriptis Annalibus Sammaximinianis ab eo adornatis. Quamvis enim hic author pro conciliandis oppositis de ætate Sancti Hildulfi sententiis, duos Hildulfos statuendos esse opinatus sit, unum scilicet qui Nemoriano, alterum qui Miloni in Archiepiscopatu Trevirensi successerit: nihilominus laté probat Hildulfum Numeriani Successorem, pariter fuisse sancti Maximini translatorem, divæ Othiliæ Baptistam, beati Deodati Amicum & Mediani cœnobii Authorem, quæ omnia sæculo septimo contigisse indubitanter affirmàt.

X. Opponi quidem hic nobis potest Epistola S. Lutgeri ad Rixfridum Trajectensem Episcopum à Surio vitæ S. Suitberti adjuncta ad primam diem mensis Martii, in qua legitur sanctum Stephanum Papam ad petitionem *christianissimi Regis Pipini* * *commisisse vices suas ad experiendum actus*, * *virtutes ac miracula sancti Suitberti ad canonizandum ipsumSanctum vice ipsius, venerabilibus Patribus & Pontificibus Sancto scilicet Hildolfo Trevirorum & Bonifacio Moguntinorum Archiepiscopis* &c. Verum supposititiam esse hanc sancti Lutgeri Epistolam & contentam in ea de Canonizatione sancti Suitberti narrationem merum esse figmentum, jam pridem Viri docti qnam plures ostenderunt; omnium verò eruditissimè (inquit Mabillonius *) Socii Bollandiani in Commentario prævio ad vitam sancti Lutgeri die XXVI. Martii.

* *Anno 755.*

* *Acta Ss. Ord. S. Bened. sæculo III. part. 1. in Elogio hist. S. Suitberti.*

§. IV.

DE ARCHIEPISCOPATU SANCTI HILDULFI.

I. NOn est hic quæstio de nomine sed de Re, hoc est de Pontificatu Trevirensi, fuerit ne Sanctus Hildulfillo decoratus vel non? Cum enim Archiepiscopi nomen seriùs usurpari cœperit, prædictum Pontificatum nisi

ſub Epiſcopi nomine procul dubio obtinere non potuit.

Epiſcopis Trevirenſibus Beatum Hildulfum omnes Auctores accenſent, ſed duo ſunt quæ Recentioribus nonnullis aliquem dubitandi locum dederunt, utrum verus ac proprius Eccleſiæ Trevirenſis Epiſcopus fuerit, an verò Chorepiſcopus tantùm, hoc eſt Epiſcopus vicariam duntaxat habens in Civitate vel Diœceſi Trevirenſi adminiſtrationem. Primum eſt quod in uno aut altero veteri Epiſcoporum Trevirenſium Catalogo nulla Hildulfi mentio facta reperiatur. Secundum verò eſt quod ab omnibus vitæ ejus aliiſque poſterioris ævi ſcriptoribus Miloni in Epiſcopatu Trevirenſi ſubſtitutus fuiſſe dicatur, quod nullatenus fieri potuiſſe ex mox dictis liquidò apparet.

Verum hæc tanti non ſunt momenti ut nos ab antiqua & communi de Epiſcopatu Sancti Hildulfi ſententia dimoveant; nam primò certum eſt plures in diverſis Eccleſiis reperiri imperfectos Epiſcoporum catalogos, in quibus non pauci deſiderantur quos aliundè conſtat earumdem Eccleſiarum Epiſcopatum geſſiſſe.

Secundò Beatus Hildulfus Sedem Epiſcopalem Trevirorum longè ante mortem dimiſit & in Mediano quod condiderat monaſterio diem clauſit extremum. At frequens occurrit in veteribus Epiſcoporum catalogis omiſſio illorum qui in ſua ſede defuncti non ſunt, uti ſe obſervaſſe per litteras ad nos datas teſtatus eſt in hoc genere verſatiſſimus R. P. D. Edmundus Martennius, qui & ſequentia ſuppeditavit exempla. In veteri Archiepiſcoporum Rhemenſium catalogo conſignati non reperiuntur niſi manu recentiore quatuor Archiepiſcopi videlicet Abel, Hugo Viromandenſis, Gerbertus & Manaſſes, qui omnes ſede ſua pulſi aut ſpontè cedentes aliò receſſerunt. In nullo etiam ex antiquis Ebredunenſium Archiepiſcoporum catalogis reperitur Chramlinus, qui Theodarici Regis tempore in Conventu Epiſcoporum Marlaci

laci (ut ex ejusdem Regis diplomate Mabillonius conjicit*) habito, destitutus fuit.

* *Annal. Bened. tom. I. lib. XVI. n. 79.*

II. Consultò ne an casu fieret hæc talium Episcoporum omissio judicent eruditi antiquitatis investigatores. Crediderim ex Diptychis & Necrologiis EcclesiarumCathedralium plerumque conflatos fuisse catalogos Episcoporum: in hisce verò Diphychis & Necrologiis ut plurimùm inscripta non fuisse nomina Episcoporum qui è sede sua vel dejecti fuerant vel alia ex ratione etiam pia recesserant. Certè supra nominatus Abel Rhemorum Episcopus fuit vir sanctus deque Ecclesia Rhemensi benemeritus, nec tamen in ejusdem Ecclesiæ Diptychis nomen illius extabat; Nam de illo hæc habet Fulcuinus Abbas Laubiensis: *De Abel quoque tale quid comperimus. Rhemis nuper cum fuissemus & cum Viro venerabili & illarum partium eruditissimo Adalberone Archiepiscopo confabularemur, inquirentibus nobis originem ejusdem urbis & in ea Episcoporum successiones, prolatis ejusdem civitatis Pontificalibus gestis, in eis inventum est, quod in eadem civitate Abel quidam fuerit Episcopus, qui in ea plura acquisierit vel ordinaverit; finis verò ejus quis fuerit scriptor gestorum ejus aut nescivit aut omninò tacere voluit. Nos collatis undecumque temporum numeris, hunc eundem Abel & nostrum fuisse & Scotum & Episcopum facili ratione probavimus: sed quia scriptori ejus incertus extitit finis, longiqnitas forte fecit itineris & Viri religiosi voluntaria privatio & amor patriæ celestis. Dixit etiam Episcopus supra nominatus prædecessorum suorum ductam usque ad se consuetudinem ut inter missarum solemnia in ea speciali commemoratione defunctorum quæ Diptycha dicitur cotidie in aurem presbiteri, recitante silenter Subdiacono, omnium ipsius sedis nomina viritim recitentur Episcoporum, satisque mirari se quod in ea commemoratione iste non inveniatur. Hæc Fulcuinus* in lib. de gestis Abbatum Lobiensium cap. VII.

Apud Dacherium Spicilegii tom. VII.

Tertiò ex veteribus Episcoporum catalogis nonnulli eo insuper vitio laborant, quod inscripti in illis antistites perturbato interdum successionis ordine recenseantur.

Nec certè mirum id videri debet, quantum ad illos spectat Episcopos qui amisso dimissove Episcopatu à suis Ecclesiis recesserunt & extra sedem defuncti sunt; Cum enim post illorum obitum qui sæpe etiam in iisdem Ecclesiis ignotus erat, in Diptychis mortuorum & Necrologiis non inscriberentur, facilè accidit ut & in catalogis ex hujusmodi Diptychis & Necrologiis fortè depromptis omitterentur; deinde verò à posterioribus illorum catalogorum conditoribus seu correctoribus adjicerentur quidem cæteris ejusdem sedis Episcopis, sed male interdum servato successionis ordine quem nesciebant.

Hac (ni fallor) ratione factum est ut & in veteri illo Trevirensium Episcoporum catalago qui teste Mabillonio * extat in Bibliotheca monasterii sancti Gisleni in Hannonia, Trevirenses Pontifices illorum temporum de quibus hic agitur, nudis nominibus (ut in Diptychis fieri solebat) recenserentur hoc ordine: Modoaldus, Numerianus, Basinus, Liutwinus, Milo, Wiomadus. (omisso nempe Sancto Hildulfo) & postmodum à recentiore aliquo Chronologiæ ac Successionis Episcoporum Trevirentium haud satis gnaro, eidem catalogo sanctus Pontifex noster jure quidem meritò inditus, sed Miloni perperam sustitutus fuerit.

* *Annal. Benen. tom. 1. lib. XV. n. 57.*

Inciderunt fortasse in hujusmodi catalogum Scholastici illi qui vitam & gesta B Hildulfi sæculo decimo breviare studuerunt, cumq; in eadem Episcoporum Trevirensium chronologia nihilò peritiores essent, sanctum hunc Pontificem Miloni successisse facillimè crediderunt & in breviore quam adornabunt illius vita tradiderunt; unde cæteri postea scriptores in errorem inducti.

III. Utut sit fatendum quidem est Miloni in sede Trevirensi succedere minimè potuisse Beatum Hildulfum qui longè ante Milonem abdicatoque pridem Episcopatu obiit: sed inde consequens non est ipsum nulli alii successisse atque Episcopum Trevirensem nunquam extitisse,

ſe; contrarium enim probant innumera diverſi generis monumenta.

Et primò quidem illum ad Epiſcopalem Trevirenſis Eccleſiæ dignitatem evectum fuiſſe docet tam vetus quam nova Antiſtitum Trevirenſium hiſtoria. 2ò. Lupus Servatus idipſum aperte innuit * dum translationem ſancti Maximini narrans ait: *Igitur venerabiles Epiſcopi Hildulfus, Clemens atque Gotbertus convenientes in unum & quod evenerat diligenter examinantes, transferenda Beati viri oſſa ex memorata crypta & in loco ubi nunc ſunt ſita judicavere ponenda.* Primus inter hos Epiſcopos nominatur Hildulfus, haud dubiè igitur præcipuam in Eccleſia Trevirenſi dignitatem ac auctoritatem obtinebat. Præterea nec decebat nec licebat ad examen & judicium illud procedere abſque conſortio Epiſcopi Trevirenſis ad quem maxime ea res ſpectabat. 3°. Sanctus Petrus Damiani opuſculo XIX. diſertis verbis teſtatur Sanctum Hildulfum Trevirenſem Archiepiſcopum extitiſſe. *Porro* inquit *Hildulphus Trevirenſis Archiepiſcopus quanta ſanctitatis quamque mirificæ vitæ vir fuerit, ſpatioſus occident non ignorat.* 4°. Idem produnt omnes Sancti Hildulfi vitæ, quarum prima ad illius ætatem quodammodo pertingit cum circa annum 964. excerpta ſit ex *actis veraci ſtylo digeſtis, in volumine non parva quantitatis, ab his quibus contigit ejus ſedulitate tunc temporis perfrui*, ut conceptis verbis profitentur adhibiti ad hæc acta breviandaScholaſtici. 5ò. Accedit antiqua ſancti Deodati, vita in qua non tantum aſſeritur Beatum Hildulfum Trevirorum Archiepiſcopum extitiſſe: ſed inſuper annotatur ipſum ſanctum Pontificem divo Deodato conceſſiſſe privilegium quod à duodecim Epiſcopis ſubſcriptum fuiſſe dicitur: qui verò tale privilegium concedere potuiſſet, ſi verè Trevirenſis Epiſcopus non fuiſſet? 6ò. Denique idem confirmant omnia Calendaria, Breviaria, Miſſalia tam antiqua quam nova Eccleſiæ Trevirenſis, Mediani monaſterii omniumque aliarum Eccleſiaram Divi Hildulfi memoriam recolentium, in quibus omnibus conſtanter Trevirenſis Epiſcopus vel Archiepiſcopus nominatur.

* *In vita S. Maximini cap. XI.*

IV.

IV. Restat igitur investigandum quo tandem ordine ac loco inter Episcopos Trevirenses Beatus Hildulfus sit reponendus. Illum Modoaldi Successorem, Numeriani verò decessorem existimavit Mabillonius*: sed ab hac ejus sententia discedere cogimur; Nam Numerianus unus est ex Episcopis per quorum consilium sanctus Sigibertus Rex privilegium concessit pro Stabulensi & Malmundariensi monasteriis, ut constat ex Childerici II. Regis idem privilegium confirmantis diplomate, quod integrum exhibent Socii Bollandiani in Analectis ad vitam ejusdem sancti Sigiberti 1ª. die Februarii Præerat igitur Numerianus Ecclesiæ Trevirensi jam à tempore sancti Sigiberti Regis qui anno 655. vita defunctus est.

* *Annal. Bened. tom. 1. lib. XV. n. 58. & lib. XVI. n. 16.*

Nec obstat quod in dicto sancti Sigiberti privilegio *Nemoriani* loco legitur *Attalenus*. Quamvis enim Childericiani diplomatis perscriptor seu Notarius in hoc forte nomine erraverit, fieri tamen minime potuit ut Episcopis quorum consilio sanctus Sigibertus usus fuerat, Nemorianum annumeraret, nisi initia Episcopatus ejusdem Numeriani ætatem sancti Sigiberti attigisse aut datam hujusce diplomatis quibusdam saltem annis præcessisse constitisset; quod ad præsentem quæstionem sufficit.

Pervenit procul dubio Numeriani Episcopatus ad inchoatum Childerici II. regnum. Id probat privilegium ab ipso datum pro monasterio sancti Deodati, quod integrum vulgavit Mabillonius in appendice altera tomi primi Annalium Benedictinorum.* Licet enim in hoc privilegio annus non exprimatur, indultum tamen dicitur: *quatenus Monachi qui solitarii nuncupantur, de percepta quiete valeant juvante Domino per tempora exultare & sub ipsa sancta Regula viventes, beatorumque vitam patrum sectantes, pro statu Ecclesiæ Catholicæ & pro desiderabili salute Childerici gloriosi principis plenius Dominum valeant exorare.*

* *Num. XXV.*

Datum fuisse hoc Numeriani privilegium anno 664. putavit Riguetius: sed si (ut annotarunt Socii Bollandiani)

ni) * tota ratio ipſum huic anno adſcribendi Riguetio fuit quod Gisloaldo Epiſcopo Virdunenſi ſicut & Childulfo Metenſi & Eborino Tullenſi comprovincialibus Epiſcopis inſcriptum eſt, idem verò Gisloaldus juxta Vaſſeburgium obiit anno 665., inde ſolummodo probatur ſeriùs quidem conceſſum non fuiſſe iſtud privilegium, ſed nihil obſtat quin prius concedi potuerit; cum & Childericus regnare cœperit anno ſaltem 660. & tres illi comprovinciales Epiſcopi jam pridem Eccleſiis ſuis præſiderent.

* *In Annotat. ad vitam ſancti Deodati die 19. Junii.*

At ſive anno 664. ſive aliquò priore datum ſit hocce privilegium, certum eſt Numerianum in ſede Trevirenſi non exceſſiſſe annum 666. ſiquidem anno 667. quo ſancti Maximini reliquias Beatus Hildulfus tranſtulit, eandem ipſe ſedem jam conſcenderat, quâ deinde relictâ anno 671. in noſtram ſolitudinem ſe recipit, ut conſtat tam ex tertia vita ejuſdem Sancti, quam ex antiqua ſancti Deodati vita. Modoaldo itaque non ſanctus Hildulfus ſed Numerianus: Numeriano verò S. Hildulfus ſucceſſit; cujus ſententiæ primus Author fuiſſe videtur Godefridus Henſchenius in Diatriba de tribus Dagobertis Francorum Regibus *, quem ſecutus eſt Franciſcus Riguetius in ſyſtemate chronologico hiſtorico Epiſcoporum Tullenſium. **

* *lib. IV n. V.*
** *Cap. XXVII. Sect. III.*

V. Nec quemquam morari debet quod multò longiorem Numeriano Pontificatum tribuat Maſenius in Epitome Annalinm Trevirenſium, * ubi narrato Modoaldi exitu ſic ait: *ad Numerianum deinde ut Sanctimonia excellebat, quæ tunc dabat præcipuum in Electione ſuffragium, pontificalis cura translata eſt, cujus licet regendi tempora Brovverus metiri ſe poſſe negat; conſtat tamen anno Childerici regis octavo quem Chriſti 670. facimus, etiamnum ſuperfuiſſe, ex diplomate ejusdem Stabulenſibus conceſſo. Unde mirari deſinet qui me ultrà Brovverum ejus vitæ tempora extendere videbit.* Evidens enim eſt Maſenium in eo deceptum fuiſſe quod integrum non viderit Childerici Regis diploma, in quo quamvis Nemo-

* *Lib. VII. ad an. Chriſti 657.*

moriani mentio fiat, non tamen ait Childericus se per consilium Nemoriani illud concessisse: sed solummodo beatum Remaclum ab ipso confirmationem petiisse præcepti, quod bonæ recordationis patruus ejus Sigebertus quondam Rex pro Stabulensi & Malmundariensi monasteriis, per consilium pontificum ipsius temporis id est Huniberti, Nemoriani & Gisloaldi . . . . dederat. Ex quibus verbis tantum abest ut sequatur Numerianum anno Childerici Regis VIII. superfuisse, ut contrarium potius inferendum videatur.

Browero igitur potius quam Masenio hic assentimur & Numeriani tempora arbitramur certò definiri non posse. Illius obitum ultrà annum 666. protrahi non debet ut superiùs diximus; sed ad Childerici II. in Austrasia regnantis initia retrahi potest.

In vita sanctæ Gertrudis Nivialensis ab auctore coætaneo scripta narratur quod eadem sacra Virgo ipsâ horâ sui obitus, quem sub annum 658. accidisse Mabillonius demonstrat, * Modestæ monasterii Trevirensis Abbatissæ ante altare B Mariæ ad orationem prostratæ apparuit. *Cum autem crastinus dies advenisset, civitatis Episcopus nomine Clodulfus venit ad monasterium prædicta Dei famula Modesta*, quæ hunc interrogavit Episcopum de sanctæ Gertrudis habitu ac specie, ex eoque intellexit ipsam esse quæ sibi apparuerat.

* *Annal. Bened. lib. 14. n. 59.*

Antiqua hæc sanctæ Gertrudis vita Interpolatorem nacta est decimo circa sæculo qui monasterium Beatæ Modestæ sic designat: *Erat in civitate Trevirensi sanctimonialis quædam Modesta nomine quæ præerat cœnobio Sanctæ Genitricis DEI Mariæ.* * Et infrà de sancti Clodulfi in hujusmodi monasterium adventu sic loquitur: *Posterâ die contigit ejusdem civitatis Clodulfum Episcopum invitante necessitate monasterii eandem Ecclesiam visitare.* Ubi *To* ejusdem civitatis nonnisi ad Trevirensem referri potest.

* *Horreensi videlicet præter quod nullum aliud tunc extabat Treviris sanctimonialium monasterium.*

Hen-

Henschenius in lib. de tribus Dagobertis * retento nomine *Clodulfi* qui Ecclesiæ Metensi tunc præerat, totam hanc historiam sic corrigendam seu potiùs immutandam putat, ut loco *Trevirensis monasterii* legatur *Avendensis* seu *Habendensis* id est Romaricensis *monasterii*, & loco *civitatis Trevirensis* legatur *civitatis Metensis*. Verùm priorem utramque lectionem ab Interpolatore elucidatam & confirmatam omninò servandam esse Mabillonius censet, * additque inter Habendenses seu Romaricenses Antistitas Modestæ locum vix ac ne vix quidem reperiri, & præterea Habendense monasterium ad Tullensem non verò ad Metensem Diœcesim spectare.

* *Cap. XII.*

* *In actis SS. sæculi II. Bened, pag. 468. & Annal. Bened. tom. 1. pag. 534.*

Quæ cum ita sint facilè deducimur in sententiam Patris Wilthemii è Societate JEsu, qui in manuscriptis Annalibus Sammaximinianis B. Hildulfo adscribere non dubitat quæ in prædicta historia ad divum Clodulfum referuntur. Hoc enim semel posito cætera optimè congruunt, & omni prorsus difficultate carent. Facillimè verò in *Clodulfi* & *Hildulfi* nominibus peccare potuerunt tum ipsemet primarius vitæ sanctæ Gertrudis Autor, tum qui eandem vitam posteà exscripserunt; nam primò fas erat (teste Mabillonio, * antiquis illis scriptoribus pro libito litteram c. aspiranti h. præponere vel non præponere, sicque potuit vetus ille Autor *Childulfum* pro Hildulfo scribere. Secundò Clodulfus appellatus etiam reperitur *Clidulfus* & per transpositionem illo ævo frequenter usurpatam *Childulfus*, quo nomine designatur in antedicto privilegio Numeriani Archiepiscopi Trevirensis pro sancto Deodato, cujus præfatio talis est: *Dominis sanctis & summi culminis apici Pontificalisque Cathedræ speculæ præsidentibus in Christo Fratribus* Childulfo, *Gisloaldo*, *Eborino Episcopis comprovincialibus*, *Numerianus Archiepiscopus supplex & fidelis vester præsumit mittere salutem.* Unde in errorem facilè labi potuit primus vitæ S. Gertrudis exscriptor, quem cæteri deinde secuti fuerint, scribendo *Chlodulfum* vel Chlidulfum pro *Childulfo*, quem coetaneus ejusdem vitæ Autor pro Hildulfo fortè posuerat.

* *In supplemento lib. de re diplomat. cap. XII.*

Fallimur si non ex eodem fonte, id est ex eorumdem nominum similitudine & ambiguitate prodiit erronea illorum opinio, qui B. Clodulfum à sede Metensi ad Trevirensem translatum fuisse voluerunt.

Opponi quidem hic nobis potest B. Gertrudem obiisse anno 658. quo tempore nondum decesserat Numerianus Trevirensis Episcopus, qui ut ex prædictis constat ad regnum Childerici II. pervenit: regnare autem non cœpit præfatus Childericus ante annum 659. vel 660. ut probatissimis autoribus placet; sicque Numeriani proximus (ut supponitur) successor B. Hildulfus Ecclesiæ Trevirensi nondum præerat prædicto anno 658. Verùm primò in ejusdem B. Hildulfi tertia vita inferius tradenda legitur quod illius prædecessor Antistes Trevirensis ipsum *è cœnobio abstractum secum retinere voluit, atque secundam à se sedem ei indulsit; quatenus vice ipsius pastorale subministraret officium.* Idque sufficit ut ad Modestam Abbatissam Trevirensem *invitante monasterii ejus necessitate* vice Episcopi accesserit & *eandem Ecclesiam visitaverit.* Secundò B. Hildulfus *civitatis* Trevirensis Episcopus per anticipationem dici potuit ab autore vitæ S. Gertrudis, qui licet eidem sacræ Virgini æqualis fuerit, illi tamen diu supervixit & ejus vitam nonnisi post triginta & amplius annos ab ejus obitu conscripsit; quo tempore S. Hildulfus Trevirensis civitatis Episcopus jam fuerat & dimissa Episcopali dignitate in Vosagi solitudine degebat.

Nobis etiam hic adversari videtur vita sancti Deodati medio sæculo XI. divo Leoni Papæ IX. oblata, in qua idem sanctus Deodatus dicitur in vallem Gallileam introisse anno 669; cum enim cellulam sibi duntaxat tunc erexerit, nec nisi allectis postea ejus famâ sanctitatis discipulis monasterium condiderit: condito autem & plenè fundato hocce monasterio privilegium de quo jam sæpe mentionem fecimus à Numeriano Trevirorum Archiepiscopo impetraverit, consequens est

præ-

præfatum Numerianum adhuc in vivis extitiſſe, nec non Trevirenſem Eccleſiam adhuc gubernaſſe aliquot annis poſt ſexcenteſimum ſexageſimum nonum. Verùm in dicto numero 669. errorem eſſe monent tum Riguetius Eccleſiæ Sandeodatenſis magnus Præpoſitus, tum Socii Bollandiani in ſuis ad prædictam ſancti Deodati vitam obſervationibus & annotatis, ubi uno ſaltem denario redundare, affirmant numerum illum 669, in cujus loco reponendus ſit 659, vel etiam 649.

§. V.

DE MONASTERIO SANCTI HILDULFI.

I. RElicto itaque Epiſcopatu Trevirenſi Beatus Hildulfus ſeceſſit in Voſagum montem, qui juga ſua longè expandens Lotharingiam ab Alſatia dirimit, & in occidentali ejuſdem montis latere (quod hodie Lotharingicæ ditionis eſt) ſubſiſtit, juxta fluviolum à rapido curſu corruptè Rabodonem * dictum, ad radicem aſperrimi montis, è cujus cacumine præcelſa rupes eminet, quæ teſte Joanne à Bayono olim *Balma* dicebatur. * *Rabodeau.*

Extat hic locus media ferè via ab urbe Nanceiana Lotharingiæ metropoli ad urbem Colmarienſem in Alſatia ſuperiore percelebrem, inter Sandeodatenſe * & Ravonenſe ** eidem viæ ſuperſtrata oppida; ab hoc quatuor, ab illo ſex, à Morta *** verò amne in quam prædictus fluviolus Rabodo influit, duobus duntaxat milliaribus diſtans. * *Saint Diez.* ** *Rauon.* *** *La Meurte.*

Perpetua tunc monti Voſago ſuperfuſa erat ſylva, feris quidem abundans ſed hominibus plane deſerta: hanc tamen intercidere ſubjectamque terram ſparſim colere in ejuſdem loci confiniis jam cœperant tum ſanctus

Gondelbertus Senonum Episcopus Senoniensisque cœnobii ab oriente conditor, tum beatus Deodatus Nivernensis Episcopus & monasterii Juncturarum aliàs vallis Galileæ à meridie Author, tum denique prin us Ecclesiæ Styvagiensis ab occasu institutor, quisquis ille fuerit. At sive ob nimiam Convallis angustiam, sive ob circumsistentium montium asperitatem, inculta ac deserta eòusque remanserat media illa regio quam Beatus Hildulfus occultioris solitudinis amore captus elegit. Neque tamen in hac latebra vir sanctus diu latere potuit, sed mox plerisque ad ejus magisterium concurrentibus discipulis, illorum piis desideriis ac deprecationibus permotus, de ædificando ibidem monasterio cœpit cogitare & quia congruens huic operi perficiendo spatium non habebat, eò quòd ut Richerius * asserit *confinia Senoniensis Ecclesiæ & monasterii Styvagiensis ibidem jungebantur*, *Impetrata ab utraque Ecclesia aliquanta terræ portione*, susceptum consilium prosecutus est & ad optatum finem perduxit.

* *Chronici Senoniensis lib. 1. cap. XI.*


Satis amplam ac spatiosam fuisse portionem illam quam Beatus Hildulfus ab Ecclesia Senoniensi impetravit colligitur ex vulgato à Mabillonio * Childerici II. Regis præcepto pro eadem Senoniensi Ecclesia, in quo concessi ab eodem Rege territorii marchiæ, termini & confinia describuntur; sed minorem & angustiorem esse portionem illam quam à monasterio Styvagiensi idem Sanctus obtinuit, inde patet quod ex eodem latere locum „ qui nunc sanctus Blasius dicitur cum nemoribus, & mon- „ tem qui *folcodi rupes* appellatur, cum multò terræ spatio „ adjacente, Beggo vir nobilis & locuples B Hildulfo ad „ monasterium suum ampliandum contulit; ut idem Richerius expresśe testatur * & in omnibus ejusdem Sancti vitis legitur.

* *Annal. Bened. tom. 1. in append altera n. XXII.*

* *Chronic. Senonen. lib. 1. cap. XII.*

Ex structo monasterio, quia (inquit ipse Richerius) *de nomine loci qui antea nomen non habebat Beatus Hildulfus anxius erat, considerata ejus positione, quia ab oriente Senoniense mona-*

nasterium, ab occidente Styvagium, à meridie Juncturas quæ nunc sanctus Deodatus vocantur, à septentrione autem Bodonis monasterium habebat, illum suæ habitationis locum Medianum monasterium appellavit, quod nomen usque hodie perdurat. Et hinc est quod prædicta quinque monasteria positionis illorum habitâ ratione à quibusdam authoribus repræsentantur in modum Crucis ut sequitur.



II.

II. Crescente autem multitudine tam Clericorum quam Laicorum ad B. Hildulfum confluentium, quia tot Monachi in tam arcto & angusto loco simul habitare nequibant, diversas Cellas in concessis sibi circumjacentibus locis idem Sanctus exstruxit, nempe Ad septem abie-„ tes *a.*, ad sanctum Joannem de Hurimonte *b.*, apud „ Orbacum *c.*, apud sanctum Prejectum *d.*, apud Visi-„ vallum *e.*, ad Altam petram *f.* quæ monasterio supere-„ minet, ad locum in summitate montis qui Goberti fons „ dicitur *g.*, denique ad Begonis cellam *h.* quæ nunc san-„ ctus Blasius vocatur. Fratres verò qui in primario mo-„ nasterio & prædictis octo cellis sub regimine Sancti Hil-„ dulfi habitabant, æstimabantur quasi numero trecenti.

Richerius ibid.
a. *Ban de Sapt.*
b. *S. Jean d'ormont.*
c. *Hurbache.*
d. *S. Preyé.*
e. *Vesevai.*
f. *La haute pierre.*
g. forte *Mortefosse.*
h. *Begoncelle* alias *S. Blaise.*

Quam in easdem Cellas illarumque Monachos tum Clericos tum Laicos potestatem & auctoritatem Beatus Hildulfus vivens exercuerat, eandem ipso defuncto retinuerunt posteriores Mediani monasterii Abbates; cumque extricatis & subactis Silvestribus agris, illuc Villici aliique sensim accolæ concessissent, factum est ut Monachorum Cellæ in Parochias, illorumque Oratoria in Ecclesias parochiales converterentur & in illas Abbatum Mediani monasterii Jurisdictio simul extenderetur. Quo pacto concretum & coalitum esse credimus proprium & separatum earumdem Parochiarum districtum, in quo prædicti Abbates omnimodam in Clerum & populum Jurisdictionem hactenus exercuerunt. Certè id eò faciliùs fieri potuit tam in Mediano quàm in Senoniensi & Sandeodatensi monasterio illorumque territoriis, quod ea Vosagi pars quam occupant in confinio trium magnarum Diœceseum, Tullensis videlicet, Argentoratensis & Basileiensis sita est & post propagatam in Galliis Religionem Christianam nondum exculta & inhabitata fuerat, ac proinde nulli Episcopo subesse videbatur.

Accedit quod prædictorum' trium monasteriorum conditores, Sanctus videlicet Hildulfus, S. Gondelbertus &

& sanctus Deodatus Episcopali charactere pariter insigniti Pontificalia in illis illorumque territoriis quotiescumque opus erat, collaudantibus potius quam contradicentibus circumvicinis Episcopis exercere cœperunt, quod saltem de Beato Hildulfo Trevirorum Archiepiscopo & Mediani monasterii fundatore negari minimè potest.

Præter conclusas in Mediani monasterii districtu Cellas, extiterunt & aliæ alibi eidem monasterio postea addictæ subjectæque Cellæ, sed ab eo successu temporis detractæ; inter quas primum locum obtinet Cella Bellævallis, quæ à Gerardo Comite Vademontano Theodorici Ducis Lotharingiæ fratre, desinente sæculo IX. fundata & Nanceium Authoritate Apostolica ineunte sæculo XVII translata, quibusdam factis bonorum accessionibus, initio hujus XVIII. sæculi in præcipuum & Abbatiale monasterium, favente Serenissimo ac Regio Principe Leopoldo hujus nominis primo Lotharingiæ Duce, erecta & commutata est.

III. De primævo Monachorum Mediano monasteriensium vivendi modo nullus mihi videtur dubitandi locus; nam cum sæculo septimo omnia fermè monasteria sub sanctorum Patrum Benedicti & Columbani regula condita & ad eandem ordinata sint, ut probat Mabillonius in præfatione ad Acta Sanctorum Ordinis nostri sæcul. I. Eandem procul dubio Beatus Hildulfus suscepit & discipulis suis servandam tradidit. Sed maximum hujus rei argumentum præbet tum arctissima quæ inter eundem sanctum & beatum Deodatum illorumque discipulos semper intercessit animorum conjunctio, tum susceptum à Sancto Hildulfo post beati Deodati mortem regimen monasterii Vallis Galileæ. Quî enim hoc regimen illi convenire potuisset si idem institutum eandemque vivendi regulam cum sancto Deodato & Vallis Galileæ Monachis non tenuisset? at ex privilegio Numeriani Archiepiscopi Trevirensis pro monasterio Vallis Galileæ constat hoc

 idem

idem monasterium à sancto Deodato constructum fuisse *sub Regula beati Benedicti & sancti Columbani Abbatis.* Eandem igitur Beatus Hildulfus sibi suisque Medianensibus Monachis præstituerat. Crescente autem deinceps Regulæ sancti Benedicti existimatione & authoritate, hanc solam Medianenses in hodiernum usque diem retinuerunt ac professi sunt.

IV. Insigne semper habitum est Medianum Sancti Hildulfi monasterium & in celebribus sacri Ordinis Benedictini cœnobiis computatum; sed inde celeberrimum evasit quod anno 1604. sacrâ cum illustri sancti Vitoni Virdunensis monasterio sancitâ societate, reformatæ Congregationi Sanctorum Vitoni & Hildulfi * nomen & initium dedit, ex qua deinceps Congregatione quasi ex Scaturiente solo omnis monasteriorum Lotharingiæ, Franciæ & Belgii Reformatio prodiit.

Vulgò * *Saint Vanne & S. Hidulfe.*

Nonadmodum ampla sed satis venusta & ad pietatem excitandam congruenter instructa est Ecclesia Mediani monasterii, quæ à Beato Hildulfo primitus extructa & sub invocatione Beatissimæ Virginis Mariæ dedicata, à posterioribus deinde Abbatibus amplior & augustior est reddita & nunc ipsiusmet Sancti Hildulfi titulo decorata. In ea plures asservantur insignes Sanctorum reliquiæ, videlicet sacrum ejusdem Sancti Hildulfi corpus, nec non veneranda sanctorum Discipulorum ejus Joannis & Benigni Confessorum corpora. Sancti Bonifacii Martyris ex Tebea legione corpus, excepto capite. Item corpus (capite & quibusdam aliis ossibus demptis) sancti Maximini Trevirensis Episcopi, quod Sammaximinianis ablatum & ad hanc Ecclesiam translatum olim fuisse antiqua fert Mediani monasterii traditio. Præterea divi Spinuli Confessoris & Sancti Hildulfi Discipuli inferior Maxilla, reliquo corpore ad Cellam Bellævallis olim translato. Denique Junctura una de sancto Deodato.

Claustrum, Dormitorium, Officinæ cæteraque

Media-

Mediani monaſterii ædificia ſunt egregia & monaſticis exercitiis congruentiſſima. Selecta eſt illius Bibliotheca, nec tamen voluminum numero cuiquam ex illis quæ in Lotharingiæ partibus exiſtunt, inferior.

Eidem Monaſterio ſatis ampla olim fuerunt prædia & dominia, quorum magnam partem variis cauſis temporibus & modis amiſit, ſed hodiedum ſuperſunt illi ex utraque menſa facultates triginta Monachis juxta Regulam alendis ſufficientes, illiuſque conventus hoc anno ſalutis 1719. totidem conſtat, quibus ego licet indignus præſum utinam & proſim.

§. VI.

DE CULTU SANCTI HILDULFI.

1. UT certum eſt Medianenſes ac Sandeodatenſes Beati Hildulfi Diſcipulos de illius Sanctitate ac Beatitudine nunquam dubitaſſe, ita etiam conſtat peculiarem ab iis aliquem cultum ei ſtatim ab obitu impenſum fuiſſe. Hinc ſumma illa veneratio Tunicæ ejus adhibita, quam Medianenſes ſingulo quoque anno, cum Sandeodatenſes inviſerent, tanquam ſacrum pignus præferebant & cui cum tanta devotione à Sandeodatenſibus occurrebatur, ut ſuperius annotatum eſt.*

* §. III.

Verùm cultus Beati Hildulfi non diu ſtetit amborum, quibus vivens præfuerat, cœnobiorum terminis circumſcriptus, ſed brevi clareſcentibus ejus miraculis longè latéque diffundi cœpit. Quamobrem ſacrum ejus corpus ex Oratorio ſancti Gregorii, in quo ab initio hu[m]atum fuerat, in majorem Mediani monaſterii Baſilicam Beatiſſimæ ſemper Virgini Mariæ dicatam illatum eſt. Rem ſic narrat tertiæ ejus vitæ Author cap. 20. *Tandem officiose curato cadavere ſemper reminiſcendi Patris, humaverunt illud in Baſilica B. Papæ Gregorii à dextris altaris . . . . . Verumtamen*

men cum lux meritorum B. Hildulfi crebris clarefceret miraculis, relatum ab Ecclefia fepulturæ fua mirabile corpus, devotione ac ftudio fratrum, templo B. Mariæ Virginis eft illatum; in quo dextrorfum eleganti curvato fornice aliquanto delituit tempore.

Quo Chrifti anno quovè fub Abbate facta fit hæc facri corporis illatio hîc non tradit tertiæ illius vitæ Author, fed idipfum in adjecto libello de Sancti Hildulfi fucceffloribus non obfcurè indicat, cum de Maldavino tertio poft tranfitum Beatiffimi viri abbate hæc ait: *Decedenti Sundraberto fucceffit germanus ejus Maldavinus qui . . . arcam fuper beatos patroni noftri artus fabricari inftituit, quam etiam honorificè auri argentique metallis adornavit.* Nihil enim aliud procul dubio his *arcæ fuper beatos Sancti Hildulfi artus fabricata* verbis, quam quod fuperiùs *elegantis curvati fornicis* vocibus idem Author fignificare voluit. Arcam autem

*. *Annal. Bened. tom.* III. *lib. XXV. num. LX.* iftam Mabillonius * interpretatur ædiculam pro more illius temporis, fuper Beati Hildulfi corpus exftructam. Peracta igitur fuit hæc facri corporis illatio tempore Madalvini Abbatis, qui cum Sundraberto fratri fuo circa annum ab obitu Sancti Hildulfi octogefimum, à Chrifto autem nato 787. fucceflerit, & duodecim duntaxat annis Medianum monafterium rexerit, ut fuperius oftenfum

* §. *III.* eft *, reftat ut hæc eadem illatio poftremis fæculi octavi annis adfcribatur.

II. Sub eadem arca feu eodem curvato fornice facra pignora in lapideo tumulo recondita manferunt ufque ad tempora Adelberti Abbatis, qui reftituta in Mediano cœnobio monaftica Religione, de elevando & ex hoc tumulo transferendo B. Hildulfi corpore cogitare cœpit, tranfacto jam medio fæculo decimo. Hujus translationis occafionem & hiftoriam fic tradit Author libelli de fucceflloribus Beati viri in Vofago cap. VIII. *Pofthac Oratorium gloriofæ Virginis & Matris Domini Mariæ crebro fragore ruinam fui minitans idem Abbas cupiebat diruere alterumque illo Auguftius reftaurare; fed quia conatibus ejus plurimum obviabat*

quod

*quod venerabile Sancti Hildulfi corpus usque ad illud tempus ibidem arca saxea servabat, coacto Abbatum & vicinorum Clericorum Religiosorumque Concilio decrevit levare tumulo ac apparato locare in scrinio, quod cum omnibus placuisset, consilii fuit, ut si sacros artus ceu velle habebant, recondere quivissent, monasterio devotionis gratia circumferrent. At quoniam minaci nubilo pendente solis ac syderum facies denegabatur, terris jam mensurni imbris vehementia resolutis, nec valebant cum Ecclesiasticis ornamentis Secedere tectis, annuit Abbas ut solis circumferrentur Claustris. Ubi tamen ad tumbam Sancti cum cereis & Thimiamateriis ventum est & operculum illi subductum est, pariter quoque gravida madidi aëris palla discinditur ridente sereno, & terrigenis lux diu suspirata redditur continuò; quatenus cunctis liqueret quanta meritorum clàritate in vivorum regione fulgeret, cujus exuviis arridebant in terris aëra . . . . . quantum lachrimarum gemituumque dulciter ex intimi animi medullis prorumpentium ibi fusum sit dignè proloqui carnis lingula nequit. Tandem sacras Reliquias nitido involventes palliolo, ligneo recondidere scrinio, quod imponentes scapulis intulere in Oratorio beati Apri * Confessoris Christi, indeque mox efferentes altera regressi via invexere monasterii Claustris, septimo Idus Novembris; tanto funeri insperatum obsequium aere prabente & post ejus collocationem nonnullis diebus idem conservante. Qua de re communi cunctorum voto hunc diem celebrem haberi placuit Annuo recursu.*

* *Parœcialis est Ecclesia Mediani loci.*

Annum hujus translationis non assignat hic Author. In antiquo Ecclesiæ nostræ Lectionario quod decimo quarto sæculo conscriptum videtur, annus notatur *ab Incarnato Verbo nongentesimus quinquagesimus quartus.* Eundem assignat Mabillonius * hujus Lectionarii haud dubiè fidem secutus; Ex quo pariter hausisse videtur translatum tunc esse sacrum corpus *ex oratorio sancti Gregorii ubi primitus humatum fuerat in majorem B. Petri* (dicere voluit Beatæ Mariæ) *Basilicam*; quod minimè verum esse constat ex antedictis. Eandem Translationem Richerius * differt usque ad annum 956. illius verò non meminit Joannes à Bayono, nisi fortè in illa historiæ suæ parte quæ excidit aut

* *Annal. Bened. tom. III. lib. 45. num. 74.*

* *Lib. II. capp. X. & XI.*

aut saltem desideratur in nostro manuscripto codice, qui solus ni fallimur jam superest. Non omisit tamen hic Chronographus factam ab Adalberto Abbate templi Beatissimæ semper Virginis Mariæ instaurationem, quam anno duntaxat 964. incœptam fuisse tradit his verbis: *Anno Domini 964. Kalendis Aprilis Adalbertus Mediani cænobii Abbas, Vir per omnia perspicuus & venerabilis, diruto Oratorio sanctæ Mariæ matris Domini, alterum Augustius ædificare studuit.* Quod si verum est, verissimilimum quoque fit nonnisi VII. Idus Novembris superioris anni 963. translatum fuisse corpus S. Hildulfi.

III. Posthanc sacrorum ejus artuum ex arca saxea elevationem & in scrinium ligneum translationem (quo simplici ritu Sanctorum tunc temporis Canonizatio fieri solebat) certum est tam ejusdem translationis quam & depositionis Sanctissimi viri festum diem singulo quoque anno celebratum fuisse. Id apertè probant tum prææallatus ex libello de successoribus Sancti Hildulfi locus, tum edita sub initium sæculi XI. miracula, sive in gratiam illorum qui festos hos dies religiosé observabant, sive in animadversionem quorumdam qui servilia in eis opera exercere præsumebant, ut legere est in eodem libello capp. 13 14. 15. & 16. & in Chronico Richerii lib. 1. capp. 20. & 21.

* Lib. II. cap. 48.

Circa annum 1028. teste Joanne à Bayono * *Beati Hildulfi corpus valli Galileæ quæ nunc est sancti Deodati (ut moris erat inquit) pro gravi äëre illatum est; quod causa litigii fuit, quia eadem vallis vehementer conata est reverendos artus sibi vindicare, & ideo deinceps curatum est nullatenus illas in partes illos exponere.*

Anno 1049 Humbertus tunc Mediani monasterii Monachus, postmodum verò rebus gestis & Cardinalitia dignitate insignis, Beati Hildulfi & quorumdam aliorum Sanctorum laudes quæ Responsoria vocantur, rhythmicè ac metricè composuit & Brunoni tunc Leuchorum Episcopo musicæ artis peritissimo, qui postea factus est Leo

Leo Papa hujus nominis nonus decantanda seu modulanda obtulit. Id ex æquo asserunt tum Joannes à Bayono *, tum Richerius **, qui tamen fallitur dum eundem Humbertum Mediani monasterii Abbatem vocat. Vibertus Tullensis Archidiaconus in vita *** præfati S. Leonis testatur prædicta responsoria ab eodem Pontifice composita fuisse, sed cum aliud eo loco non intendat quam singularem illius in arte musica peritiam commendare, de sola cantus & modulationis compositione rectè intelligi potest. Restant adhuc in proprio Sancti Hildulfi officio illa Responsoria & in omnibus ejusdem Sancti fefestivitatibus hodiedùm decantantur.

* *Lib. II. cap. 50.*
** *Lib. II. cap. 18.*
*** *Cap. V.*

Anno 1130. Beatus Hildulfus (inquit Joanes à Bayono *) *positus fuit in scrinio novo.* Quod scrinium dubitari vix potest, quin simul eodemque tempore illis fuerit contectum tabulis argenteis quibus nunc ornatum conspicitur; Nam præterquam quod teste Richerio ** sacræ ejusdem Sancti Reliquiæ suo tempore hoc est medio sæculo XIII. in scrinio argenteo reconditæ servabantur, sunt hæ tabulæ Mabillonii judicio *** antiqui operis & duodecimi saltem sæculi ætatem referunt. In his expressæ sunt imagines tum Athici Ducis filiam suam Othiliam B Hildulfo sistentis, tum ipsiusmet Hildulfi & Erardi Episcoporum eandem baptizantium, tum amborum mutuo sese complexu & osculo excipientium, nec non quandam Ecclesiam dedicantium. Adhæc Regis haud dubiè Childerici Hildulfo Episcopale vel Abbatiale pedum offerentis. Denique ejusdem Hildulfi non Erardum, ut mendosè scripsit Mabillonius * cujus hic verba refero, sed Deodatum extremo morbo decumbentem invisentis & funeris ipsius Sancti Hildulfi, vel quod magis placet Deodati, quæ omnia eodem teste Mabillonio Hildulfi & Erardi (addere possumus & Deodati) historiam non parum confirmant. Ex duabus primis tabulis in æs incisis sequentes excusæ sunt imagines.

* *Lib. II. cap. 96.*
** *Lib. I. cap. 15. num. XXXV.*
*** *Annal. Bened. tom. I. lib. XVI. num. XV. & tom. III. lib. XXXV. num. LXXIV.*
* *Annal. Bened. tom. II. lib. XIX. idem*

Anno

Anno 1618. renovata fuit Beati Hildulfi Theca & iisdem rurſus contecta tabulis argenteis, ſed (quod à nobis nonniſi ægrè ferri ac dici poteſt) refectis & ad novi hujus operis formam decurtatis; unde factum eſt ut perierint nonnullæ ſuperioribus olim adjectæ imagines.


Ex Mediano monaſterio ad Trevirenſem aliasque ſucceſſive Eccleſias cultum Sancti Hildulfi ſeſe paulatim extendiſſe haud dubium eſt. In perantiquo manuſcripto Miſſali quod in ſancti Simeonis Trevirenſis templo aſſervatur, feſtum *Sancti Hildulfi Epiſcopi Trevirenſis* notatur v. Idus Julii. Idem habet conſimile manuſcriptum Miſſale Monaſterii Epternacenſis, quod duodecimo ſaltem ſæculo conſcriptum fuiſſe perhibent. In hoc tamen poſtremo Miſſarum Codice B. Hildulfus non ſimpliciter *Epiſcopus* ſed *Archiepiſcopus* Trevirenſis nominatur.

Illius depoſitionis mentionem faciunt v. Idus Julii ſequentia Martyrologia: Medianenſe antiquum manuſcriptum pariterque Luxovienſe. *Depoſitio Sancti Hildulfi Archipræſulis Mediano monaſterio quieſcentis, glorioſæ Sanctitatis Viri.* Lubecolonienſe: *Treviris B. Hildulfi Epiſcopi Confeſſoris.* Greveninum: *S. Hildulfi Archiepiſcopi Trevirenſis & Confeſſoris, Fratris ſancti Erardi Epiſcopi Ratiſponenſis. Hic pondus Curæ Paſtoralis quod egerrimè ferebat deponens, in ſaltu Voſago Eremiticam vitam duxit, converſatione pariter & miraculis præclarus, multos in eodem propoſito magnæ Sanctitatis Viros imitatores habere meruit.* Molaninum: *Treviris Sancti Hildulfi Epiſcopi & Confeſſoris egregii.* Adonis à Moſandro editum: *Treviris S. Hildulfi ejusdem urbis Epiſcopi & Confeſſoris.* Arnoldi Wion Monaſticum Benedictinum: *Treviris Sancti Hildulfi Epiſcopi & Confeſſoris qui cum gregem ſibi commiſſum Sanctitate vitæ & ſapientiæ doctrina rexiſſet; tædio hujus vitæ Epiſcopatum abdicans in ſaltu Voſagi multorum pater effectus monachorum, clarus miraculis quievit in pace.* Denique Sauſſeii Gallicanum: *Treviris Sancti Hildulfi Epiſcopi & Confeſſoris* &c.

Meminerunt etiam Translationis ejus vi. Idus Novembris

Tabula Iª pag.





bris præter Medianense antiquum manuscriptum, Luxoviense, Greveninum, & Molaninum ut videre est in Auctariis Martyrologii Usuardi à Joanne Baptista Sollerio Societatis JEsu Theologo nuper editi.

Hodie in Mediano monasterio desideratur quidem antiquum illud Martyrologium manuscriptum suprà citatum; quod an alibi reperiatur vel omnino perierit nescimus: verum propria ejusdem monasterii festa ab hoc Martyrologio excerpsit & vulgavit Ruyrius SS. antiquit. Vosag. parte III. lib. I. cap. XVIII. Edit. an. 1633.

Depositionis & translationis S. Hildulfi festa prædictis diebus annuatim celebrantur in Mediano monasterio: Primum quidem sub ritu duplicis primæ classis ac primi ordinis cum Octava; Secundum verò sub ritu duplicis secundi ordinis. In primo (quod per omnes parochias tam districtus ejusdem monasterii, quam totius vallis sancti Deodati servatur de præcepto) maximus ad Medianensem Ecclesiam fit concursus populi; cujus devotioni ut fiat satis, expletis primis festi vesperis, Capsa Beati Hildulfi processionaliter defertur ad mediam ejusdem Ecclesiæ navim, ubi super mensam decenter ornatam collocatur. Tanta autem sacris Reliquiis reverentia exhibetur ut eadem capsa ex proprio sacello non extrahatur, neque à Religiosis qui ad illam efferendam albis induti sunt assumatur, nisi factâ prius à celebrante & ministris confessione, dataque per eundem celebrantem absolutione, ut fieri solet initio missæ. Sequenti die circa horam nonam matutinam solemnissima fit processio ab Ecclesia monasterii ad Ecclesiam parochialem Mediani loci divo Apro dicatam, in quam præfata capsa splendido cum apparatu defertur, & post decantatum ibidem Responsorium, pari cum solemnitate ad Ecclesiam monasterii refertur majusque sacrum mox inchoatur.

Pro Energumenis ac mente perturbatis potissimùm invocatur Beatus Hildulfus.



PRIMA
S. HILDULFI
VITA.

Ex primigeniis ejus actis circa annum Christi DCCCCLXIV. deprompta & ex manuscripto Codice Mediani Monasterii septingentis ab annis exarato descripta.

INCIPIUNT QUÆDAM DE VITA VIRI DEI HILDULFI TREVIRENSIS ARCHIEPISCOPI.

QUicumque baptizati Christum induti sunt & hæreditatem animo suspirarunt æternæ salutis, ut aliquando illam valerent consequi usi sunt lumine charitatis, per quam unicus Dei Filius cum solus esset in regno Patris æterni, ut cohæredes haberet, homines sibi fratres adoptavit, quos * in domo Pa-

*Aliàs *quibus in domo Patris sui*

Patris ſui manſione collocaret- Ad hanc ergò feſtinantes viros Dei ſolos venire puduit, cum ſcirent eos qui ſecum alios traherent certam manere mercedem, adeo ut quo plures veherent, eò majori præmio cumularentur; fiſi illa atteſtatione qua Servus ille Evangelicus talentum ſibi creditum cum lucro referens gaudio Domini ſui donatus eſt. Ad hujus itaque gaudii ineffabilem dulcedinem ille ſummé bonus paterfamilias omnes volens introducere, miſſis in mundum ſervis ſuis cunctos præcepit invitari & ne in via deficerent aut errarent, tritico vitæ & lampade caritatis geminæ ſuſtentari. Cumque hoc omnipotentis divinitati diù agere placuiſſet, ut ſervis ſuis ſuo in tempore cibi * menſuram erogaret ad laborem præſentis vitæ, futurum paſtorem populis HILDULFUM nomine juſſit prodire. Qui claro Nerviorum genere ortus inter ſcholares alas ſacræ militiæ alitus eſt, & mox futurus Chriſtianæ Religionis Defenſor ac Doctor, ſtudiis literarum traditus, divina gratia cooperante in brevi efficaciſſimè claruit, atque unde multi per abrupta vitiorum defluunt & in cœno ſuperbiæ devolvuntur, videlicet ſi de mundi ſcientia quidpiam attigerint, inde iſte adhuc bonæ indolis puer omnibus excellentior factus in dies proficiebat, integer ab iis vitiis quibus juvenilis ætas im-

manſiones collocaret. Sic legiſſe videtur interpolator tertiæ vitæ in manuſcripto quo utebatur.

* *Alias* tritici *ut habet interpolator tertiæ vitæ & manuſcriptum Sammaximinianum.*

B. Hildulfi Patria & mores.

implicatur. Dum enim multi talium controversiis forensibus, alii ludis multiplibus, aliqui licet admodum rari in investigandis secularium nodis disciplinarum intenti obstupescant, hic pervigil in orationibus, assiduus lectioni erat, atque ultrà vires operibus misericordiæ intentus, succurrere laborantibus, opem ferre egenis, miseris assistere diligebat. Talium ergò virtutum incrementis quid futurus pastor Eccesiæ faceret, præmonstrabat. Intereà moribus Ecclesiasticis assuefactus apud urbem vulgò Regenes Buorch * dictam Clericatus honore donatus est. Pipinus *a.* itaque tunc temporis vir magnæ pietatis, genitor videlicet magni Caroli Rempublicam Galliarum florentissimè gubernabat & Milone *b.* Archiepiscopo Trevirensium rebus humanis exuto, Trevirenses præsule indigebant. Grex itaque Domini pastore destitutus, conversus ad Dominum totis precibus incumbit & ut Ecclesiæ suæ turbine sæculi fluctuanti rectorem tribuat exposcit. Tunc subitò Hildulfi nomen per ora omnium sonuit: quod vir esset nobilis, scientia eruditus, lingua urbanus, vita moribusque compositus. Mox sermo in aula Regis percrebuit atque exiit Edictum ut vir talis ac tantus pastorale subiret ministerium. Quo comperto vir Dei in diversa nitens fugam paras-

Clericatus.

* *Reginoburgū urbs Germaniæ in Bavaria quæ sæpius Ratisbona dicitur.*

a.

b.

Præclaræ illius dotes & ad Episcopatum provectio.

raſſet (nam heremum concupierat) niſi populi devotio præcavens obſtitiſſet. Ab hiſtria *c.* igitur raptus Galliam Belgicam uſque deductus eſt. Fit conventus totius Regni, accurrunt principes cum Epiſcopis, cætus Clericorum Monachorumque cum populorum turbis; una omnium acclamatio: Hildulfum eſſe honore Epiſcopali digniſſimum, cum vir Dei è diverſo ſe omninò reclamaret indignum; Nam propriæ fragilitatis robuſtus perſpector ſemetipſum in ſe metiendo, ſibi timebat, quia quæ & qualis ſit ratio animarum reddenda cogitabat. Quod ſi nunc homines perpendere vellent dum liberi & quieti vivere poſſunt, regimen Eccleſiaſticum ad quod viri ſancti vix cogebantur, nequaquam tam promptè pecuniis mercatum irent, Sed tandem vicit fidelis populi devota acclamatio atque communi omnium voluntate Treverorum confirmatur Antiſtes. Qualis verò jam fuerit & qualem cunctis ſe præbuerit, quia difficile explicabitur, attemptare veremur. Igitur beatus vir non modo aliquid de boni operis propoſito ſemel arrepto * non imminuit, ſed velut centuplicatum augmentavit. Enim verò quaſi puer aut adoleſcens quidquid ubique jacet ſcelerum perpetraſſet, ſic in pœnitudinem converſus ſe contra ſe erexit. Videres hominem exeſum

c. Fuga in caſſum tentata.

* *Ita manuſcriptum Sanmaximinianum.*

In Epiſcopatu vita pœnitens.

 jeju-

jejuniis vix offibus hærere, ad Sanctorum memorias indefeffum jacere, inundantiâ lacrimarum fedulò madere, noctes infomnes ducere. Quid enim dicemus eum pauperes, mediocres & divites fummo ftudio omnique diligentia curare? quidquid fibi erat omnibus commune faciebat, divitibus & egenis mediocribus (que *) idem femper erat. His præpiebat non fuperbè fapere, neque in incerto fperare divitiarum: fed in Domino qui dat omnibus omnia affluenter & ut eorum abundantia pauperum inopiam fuppleret, quatenus in futuro pauperum abundantia divitum inopiæ fieret fupplementum Pauperiores autem rebus ammonebat ut fcirent fpiritu pauperes effe & in humilitate gratias Domino agere, dicente ipfo Domino *Beati pauperes* &c. Perquirebat cotidie quem Sanctorum in aliquo bono imitari valeret. Eum diem fe perdidiffe querebatur, quo parum aliquid non profeciffet in actibus feu mandatis Domini. Sacrificium pro falute totius mundi & requie defunctorum nullo offerre Domino prætermittebat die, fciens fcilicet Deo dicere: *Benedicam Dominum in omni tempore, femper laus ejus in corde * meo & voluntarie facrificabo nomini tuo Domine quoniam bonum eft.* Quidquid igitur vir beatus fibi fieri volebat, juxta præceptum

Par divitum pauperumque cura.

* *Deeft hæc copulativa, fed legitur in Manufcripto Sam maxim.*

Sancta utrorumque informatio.

* *In manufcripto Sammax. legitur ore.*

ptum Evangelicum nulli negabat: ſed omni petenti ſe libentiſſimè tribuebat; portum ſci- licet laborantibus, conſolatorem mœſtis, nudis coopertorem, ſuſceptorem viantibus. Quis eum unquam expetiit & ejus bonitatem expertus non eſt? cotidiana illum ſolicitudo omnium animarum aliquo pereunte compellebat gemere, qnamquam tantæ eſſet pietatis ut quovis ſcandalizante, ſe crederet offendiſſe; & quoniam incolam & peregrinum ſe hic noverat, ubi non habere ſe manentem civitatem ſciebat, oſtium ſuum viatori nunquam clauſit, neque buccellam ſuam ſolus comedit. Cæterum omnibus omnia ſe faciebat, ut omnes ſalvos faceret & ut bonus paſtor quidquid gregi dicebat agendum, operum exhibitione monſtrabat. Cumque plurimis virtutum generibus Epiſcopi impleret dignitatem, omnium mira colebatur veneratione. Vir enim erat nobilitate generoſus, Religione præcipuus, conſilio cautus, operibus famoſus. Inter magnifica namque opera quæ multiplicia gesſit, corpus beatiſſimi Maximini ex cripta ubi illud Beatus Paulinus præſul magni meriti ex Aquitannia revectum tumulaverat, in domum qua nunc veneratur transtulit. Et poſt tam multiplices pro Chriſti grege labores, licet in omni vita ſua nil poſſidere voluerit, quidquid

Mira in omnes charitas.

Præclara opera.

Eremum petere constituit

quid illud erat quod habere videbatur relinquens, ut olim animo concupierat heremum petere destinavit. Siquidem reputabat actus suos sibi minus posse sufficere ad salutem, cum Dominus dixerit: *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet non potest meus esse Discipulus.* Quod cum primùm rumor ad aures vulgi detulit, quasi Barbaris insequentibus, omnis ætas omnisque sexus in urbem ruit, visoque viro Dei clamor in cœlum tollitur & quasi omni provinciæ exitium immineret, unus omnium ferebatur luctus. Cui Pater gregis tibi commissi custodiam derelinquis? Quare tantarum animarum futurum discrimen non metuis? Putas qui erunt hujus Ecclesiæ sevissimi vastatores? namque dilaniabunt gregem tuum lupi rapaces. Talibus itaque vir sanctus lamentationibus commotus (ut erat pietate plenus) in lacrymas resolvitur, conversusque ad plebem hæc tantum præfatur. Vos populus Dei & oves pascuæ ejus, ipse (vos *) custodiet qui vobis promittit dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem sæculi*; nam custodia mea hactenus nulli profuit, qui me ipsum minus cautè circumspexi: siquid autem mihi deinceps superest temporis, sinite ut expleam quod mihi & vobis prosit. Jacob *d.* itaque vir conver-

Episcopatum dimittit.

* *Deest hæc vox quæ legitur in Sammax. codice.*

4

ver-

versatione moribusque ammirabilis Leucham regebat urbem, qui cum pro sui Sanctitate in ora omnium penderet, Regibus quoque stupendus erat; ad quem cum vir Dei HILDULFUS misisset, ut caritate mediante secretum illi provideret locum, libentissimè collaboravit. Siquidem à prædecessore ejus quondam Pontifice Garibaldo *e.* nomine; viro æque sanctissimo, Deodatus vir summæ sanctitatis olim Nevernensis Episcopus renuntians sæculo in saltu Vosago locum obtinuerat; ubi sanctissimè conversatus monasteria statuit atque post diutinam in Christi agone militiam vitæ senatum laureatus intravit. In quo etiam saltu virorum sanctorum cellulæ inerant inter quas Athleta Dei HILDULFUS prædicti viri Dei Jacob consultu amminiculante locum habitationis elegit. Quem videlicet locum montibus undique septum fluviolus quidam ob validum cursum *Rapido* * nomine præter fluit, super quem Spiritu Sancto dictante Ecclesias fundavit. Primam videlicet nomini Dei Genitricis & semper Virginis Mariæ, quam & dedicavit, eamque Mediummonasterium appellavit. Aliam verò ex nomine B. Petri Apostolorum principis omniumq; Apostolorum honore consecravit. *f.* His ita statutis Deo sibique vivere cœpit, cumque preconium S. nominis

e.

Saltum Vosagum intrat.

* *Hodie* Rabodo.

Ibidem duas ædificat & consecrat Ecclesias.

f.

H ejus

Fama ejus longè latéque diffunditur.

ejus fama multorum longè latéque deferret, viri potentes & nobiles visitationis gratia ad eum sæpius confluebant. Cumque é diversis partibus multi accurrerent, aliquanti ad vitæ iter accensi cum viro Dei manere decreverunt, unde non satis post in militia * Christi accreverunt; quod cum vir Deo plenus videret, à Domino id fieri arbitratus est, & quoniam ipse olim professus monachum fuerat, habitationes monachis utiles cœpit ædificare. Id verò populus cum comperisset devotione crescens plus solito confluebat; nam per merita viri sancti sibique subjectorum, cæci illuminabantur, claudi convalescebant, demones fugabantur. Unde turbas confluentium ferre vix valens, extra claustra Ecclesiam sancti Joannis Baptistæ ædificans dedicavit, atque domos in quibus supervenientes reciperentur constituit. At verò cum numerus fratrum ibi accresceret inter reliquos vitæ celestis amatores tres advenerunt: quorum primus *Spinulus*, reliqui verò duo qui carne & spiritu germani erant, prior *Joannes*, alter *Benignus* vocati sunt; qui à viro Dei benignè suscepti, paternè instructi, ipsique devotè conversantes ad viam vitæ cotidie anhelabant, & quanquam omnium virtutum negotiis se vicissim præcedere vellent, humilitate tamen & obedien-

* *Manuscriptum Sammax. habet militiam.*

Monasterium construit.

Ecclesiam S. Joannis extruit & dedicat.

Ad eum veniunt Spinulus, Joannes & Benignus.

dientiâ se alterutrum vincere festinabant. Assiduè in ore illorum Christus, jugiter vitæ æternæ præconia resonabant, utque monachos decet, juxta præceptum Patris omnia exercebant. Et quoniam invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum, sciens Athleta Dei HILDULFUS se suosque quandoque Adæ debitum reddituros, sepulturæ locum quærere destinavit: sed quia ut in convallibus solet, circa monasterium aquarum erat abundantia, minimè aptum cimiterio locum judicavit. Ad Austrum verò collis monasterio imminet, super quem vir sanctus Ecclesiam construens, ex nomine beati Gregorii Papæ consecravit atque circum hanc cimiterium benedixit. Fama interea preconii ejus circumpositas terras transvolans remotiores quoque penetraverat, cumque è diversis partibus multi ad virum Dei venirent, *Hairardus* vita æquæ sanctissimus, carne quidem Beato HILDULFO Germanus, ordine verò Coepiscopus *g.* nomine hujus excitatus accurrit. Diù itaque quæsitum cum invenisset, labori ejus congratulans: Ecce inquit frater desiderium cordis tui tribuit tibi Deus & voluntate tua non te fraudavit; quem enim diù concupisti locum tuæ conversationis habilem invenisti. Tu ergo sta viriliter in fide & confortare in Domino, & in potentia virtutis

Ecclesiam S. Gregorii ædificat consecratque & circum eam Cimiterium benedicit.

Ad illum accedit B. Erardus frater ejus.

g.

 ejus,

ejus, certus quia qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit. Per dies igitur aliquot ſecum manentes æternæ vitæ viciſſim monitis reſonabant. Ad amborum verò merita oſtendenda renovantur à Domino ſtupenda miracula. Heticonis enim ducis filia cæca nata ad viros Dei defertur, utque ejus miſereantur à meſtis parentibus humili prece poſcuntur, *h.* quam cum adhuc gentilem eſſe reſciſſent, more Eccleſiaſtico catezizaverunt atque ad orationem proſtrati pro ſalute puellæ clementiam Domini precabantur. Monitis itaque Catholicæ fidei edoctam Sanctus HILDULFUS baptizavit, eamque de ſacro fonte mente & carne illuminatam beatus *Hairardus* excepit & dato nomine *Otiliam* vocavit. Quæ res in tantum valuit ut non modo mediocres, verum etiam potentes perſonæ virum Dei HILDULFUM venerarentur ac diligerent eique ad augmentum loci auxilia præberent. *i.* Unde quidam vir *Bego* dictus nomine ſancti viri neceſſitati communicans, rerum ſuarum aliquid uſibus fratrum ſub beato viro Deo militantium delegare ſtatuit, atque locum qui hodie uſque *Begonis Cella* dicitur, & partem Voſagi quæ *Folcholdi* rupes appellatur *l.* deſtinavit. Denique vir Dei HILDULFUS in Cella jam dicta honori ſcilicet ſanctæ Crucis dicata virum ſummæ

Ad viros Dei Otilia defertur & ab eis baptizatur & illuminatur.

h.

i. Uſibus fratrum vicinam Voſagi partem *Bego* delegat, in qua *Begonis Cella* conſtruitur.

l.

mæ humilitatis & obedientiæ *Spinulum* nomine constituit, in qua idem homo Dei fideliter Deo serviens post multiplices in Christi agone labores ac numerosa miraculorum insignia, vitæ æternæ consecutus est prœmia; quem omnipotens Trinitas apud se glorificatum in terris, gloriosum ostendere volens (in * cœlis) per ministerium Angelicum beato Hildulfo notificat ut glebam Sancti ad monasterii tumulum revehat. Nec mora senex imperanti obediens, cinere quo fatigatos artus collocaverat excutitur, convocatisque fratribus hominis Dei nuntiat obitum; qui licet tanto fratris auxilio destituti mœrerent: tamen gloriæ ejus congaudebant accensisque cereis ad Beati exequias properant. Vis itaque ventorum plus solito inhorruerat adeo ut non modo frutices, verum etiam annosas quercus excelsasque abietes eradicaret. In tali ergo turbine ante Sancti glebam ardentes cerei usque ad locum sepulcri delati sunt. Sepultum igitur terris ut apud se vivere Deus demonstraret, omnibus infirmantibus ad Sancti (tumulum *) venientibus voluit subvenire. Quanti ibi paralitici venis redintegratis soliditati sunt aut verbo aut scriptu non facile explicabitur. Omnis cecitas clarificata lumine, diem mirata obstupuit. Universa debilitas

B. Spinulus *Begonis̄cellæ* præficitur.

* *Hic desunt duæ illæ voces, sed leguntur in manuscripto Sammax.*

B. Spinuli mors.

Exequiæ.

Miracula.

* *Omissum est hoc verbum, quod legitur in manuscripto Sammax.*

animarum timemus pericula; unde concurentium comprime turbas & hilarem (datorem*) Dominum pro nobis implora, ut benedictionis ejus sentiamus gratiam, quatenus necessitatibus expulsis impleamus vota nostræ professionis. Tunc ergo videres spiritum carne solutum & vitâ potitum obedire mortali, acsi idem teneretur adhuc vinculo mortis **; nam signis cessantibus frequentia quoque desivit & precibus beati Spinuli mox subsecuta est benedictio Domini; multi nempe nobilium Juris sui prædia præfato loco contulerunt. Jam verò beatus *Erardus* constructa Ecclesia ex nomine sancti *m.* Confessoris Christi Apri, non procul à monasterio, fratri suo viro Dei HILDULFO valedicens & in Christi militia exortans recesserat: Sanctus autem HILDULFUS ab opere Dei non deficiebat; sed jejuniis & laboribus fatigatos artus spiritui servire cogebat, fratribus sibi subjectis & maximè *Joanni* & *Benigno*, quos cotidie ad meliora tendere gaudebat, pro statu Ecclesiarum Dei, pro pace Regum & salute populi orare suadebat: viam verò vitæ eternæ quam semel arripuerant fidenter currere & bravium supernæ remunerationis sitientes anehlare; ajebat enim: fidelis Deus & mentiri nescit. Cumque jam effœto laboribus corpore, spiritu ferventior esset, pius Dominus

* *Deest hoc verbum, quod ex tertia vita suppletum est.*

** *Id est mortalis vitæ.*

Multi nobiles Mediano monasterio prædia conferunt.

m. B. Erardus constructa Ecclesia S. Apri Hildulfo valedicit.

Discipulos hortatur Hildulfus, ut pro pace Regum & populi salute orent.

nus eum vocare voluit ad coronam Juſtitiæ. In vigiliis itaque conſtitutus , febre eſt correptus, qua per dies ingraveſcente fratres turbati ad lectum ſenis accurrunt, qui namque utcumque poterat ſemper Chriſtum annuntiabat ; qui cum mœſti flerent & ſe deſolari dolerent, una erat omnium vox plangentium precantiumque ne paſtor oves deſereret. His querimoniis lacrimiſque commotus , ut erat ex tertia parte corporis præmortuus, in extrema lectuli parte reſedit & circumſpectis fratribus: pax inquit vobis. Deinde manu elevata his eos verbis benedixit : *O Deus omnipotens humiles benedicito clemens , præſenteſque tuos conſerva in ſæcula ſervos.* His ita finitis cœli capitolium coronandus intravit quinto Idus Julii. Hæc paucis dicta ſunt de geſtis Deodigni Antiſtitis, quibus admirabilis huic mundo & acceptabilis ſuperno Regi extitit, dum humanis rebus interfuit. Cæterum ab his quibus contigit ejus ſedulitate tunc temporis perfrui, veraci ſtylo digeſta ſunt ipſius acta , in volumine non parvæ quantitatis , quod præ incuria adeò vetuſtas conſumpſit ut vix hæc minima quæ præmiſimus excerpi exinde potuerint *n*. Verum his quiſquis piè penſaverit * ejus converſationem , mundo crucifixum pleniter animadvertere quibit , auxilian-

Febre corripitur.

Diſcipulos benedicit.

Obiit in Domino.

n.

* *Manuſcript. codex habet,* pulſaverit *ſed mendosè.*

xiliante gratia Sanctæ Trinitatis. Translationis ejus festum sexto Idus Novembris celebratur. Explicit vita Sancti HILDULFI.

Annotata.

a. & *b.* De intrusis hùc nominibus propriis Pipini genitoris Caroli magni & Milonis Archiepiscopi Trevirensis satis superque dictum est in Commentario prævio §. I°. n. VI. & §. III. per totum.

c. Godefridus Henschenius & Daniel Papebrochius in suis annotatis ad vitam S. Deodati 19. Junii *nulla verissimilitudine dici* putant *ab Histria raptum fuisse Beatum Hildulfum, qui natus in Bavaria à Ratisponensibus scholis* inquiunt *immediatè Treviros transierat.*

De hoc transitu quamvis nulla mentio fiat in hac prima S. Hildulfi vita dubitari quidem nequit; alioquin quo pacto præclaræ illius dotes Trevirensibus perspectæ fuissent? quave ratione apud illos tanta existimatione floruisset, ut illum ex æquo Clerus & populus in Episcopum expeterent? verùm nihil obstat quin Sanctus Hildulfus comperto Regis edicto quo Trevirensium Electio confirmabatur, mox sese civitati subducens in patriam remeaverit, exploraturus num tali recessu Trevirenses à sententia demoveret & ad alium sibi præsulem eligendum adigeret. Rem sic gestam indicat Interpolator tertiæ vitæ cap. III. ubi ait: *quo Regis Edicto comperto, vir DEI in diversa nitens, versus nativitatis suæ solum fugam arripuit: siquidem anxiabundus suspecto honore sublimari in peregrinis, quasi ignobilem se posse delitescere suspicabatur in propriis.* Et cap. XVI. ubi sic loquitur: *honorari verens in propriis commisit se peregrinis, in quibus se glorificari postquam intellexit, fuga consuluit; sed tandem insecutum gloria flentem & reluctantem violenter sibi*

retinuit. Idem confirmat Cardinalis Humbertus in primo Responforio officii proprii Sancti Hildulfi, quod sic habet: *Præsulatum Trevirorum fugiens elabitur, sed reductus velit nolit Antistes efficitur. Plebs devota fugientem ardenter insequitur. Sed reductus velit nolit &c.* Unde cum in hac prima vita dicitur quod *vir Dei in diversa nitens fugam parasset (nam Eremum concupierat) nisi populi devotio præcavens obstitisset.* Id intelligendum videtur de fuga in exoticas & longinquas regiones, seu in vastam aliquam Eremum quæ virum Dei Trevirensium desideriis & conatibus omninò subtraxisset.

Verum quidem est Histriam inter exoticas & longinquas illas regiones computari posse, si sumatur pro illa Italiæ provincia quæ Reipublicæ Venetæ subest, sed longe aliter hic sumi debere colligitur ex præallatis Interpolatoris verbis, & expressè traditur tum ab Adlzeitero * tum à Brunnero ** qui Histriam hìc interpretantur *Tractum Danubii* alio nomine *Ister* seu *Hister* vocati. Quamvis enim ut annotavit Jacobus Carolus Spener in nuper edi-„ta Germaniæ antiquæ notitia *** principi illi fluvio an-„tiquum constanter à Græcis Romanisque servatum sit „nomen *Danubius* quousque à Germaniæ partibus & ul-„trà currit, ex quo verò diversas provincias perlustrare „incipit, tunc vocabulo mutato *Ister* consueverit anti-„tiquitus adpellari: tamen fines terminique nominis utri-„usque semper manserunt inter eruditos disputabiles & „succedente ætate promiscuus utriusque nominis usus „ferè obtinuit.

* *Annal. Boicæ gentis part. 1. lib. VII. num. XXXIV.*
** *Annal. Trevir. lib. VIII. n. CLVIII.*
*** *Lib. XI. cap. 11.*

Per Histriam igitur hic intelligi debet Tractus Istri seu Histri, continens illam Bavariæ partem quæ huic fluvio adjacet ac civitatem Ratisponensem complectitur; quem Histri tractum Authoribus hujus primæ S. Hildulfi vitæ *Histriam* ab alluente Histro placuit appellare.

d. De Jacob Episcopo Tullensi hìc perperam intru-

so

ſo vide Commentarium prævium §. I. n. VI. & §. III. per totum.

e. Garibaldum Eccleſiæ Tullenſi præfectum non fuiſſe niſi multis poſt obitum ſancti Deodati annis, latè probat Riguetius in ſyſtemate chronologico hiſtorico Epiſcoporum Tullenſium. Initium Epiſcopatus Garibaldi ad annum 707. refert R. P. Benedictus à Tullo Capucinus in ſua hiſtoria Eccleſiaſtica & politica civitatis & Diœceſis Tullenſis.

f. Hæc beati Petri Eccleſia brevì pro præcipua Mediani Monaſterii Eccleſia haberi cœpit, ex eo fortè quod Eccleſia Beatæ Mariæ Virginis tunc anguſtior eſſet quam ut creſcentem quotidie fratrum multitudinem caperet; hincque factum eſt ut divus Petrus etiam pro principali ejuſdem monaſterii patrono habitus ſit, quouſque ſub Adalberto Abbate, extracto ex arca ſaxea corpore Beati Hildulfi ejusque ſcrinio in amplificata & elegantius tunc inſtaurata Eccleſia Beatiſſimæ Virginis collocato, ipſe Beatus Hildulfus tanquam præcipuus loci patronus coli cœpit, ipſaque divæ Mariæ Eccleſia tanquam cæteris præcellens à Monachis & populis penè ſola frequentata eſt.

Hìc annotandum eſt inſuper Mediani monaſterii Eccleſias non à Tullenſi aut quovis alio Epiſcopo, ſed ab ipſomet Beato Hildulfo dedicatas & conſecratas fuiſſe.

g. Beatum Erardum ſeu Hairardum S. Hildulfi fratrem & in Epiſcopali ordine ſocium fuiſſe omnes utriusque Sancti vitæ cæterique ſcriptores communiter tradunt: ſed in aſſignanda illius Epiſcopali ſede neutiquam conſentiunt. Illum Reginoburgenſem ſeu Ratisponenſem Epiſcopum fuiſſe Autor tertiæ S. Hildulfi vitæ, Richerius & Aventinus fidenter affirmant, quibus ſuffragantur pleraque in actis Sanctorum Bollandianis citata Martyrologia. * Verum ut annotavit Mabillonius ** apud Ratisponam ſerius inſtituta fuit Epiſcopalis ſedes, quæ Bo-

* In vita S. Erardi VIII. Januar.

** Annal' Be-

 Boni-

nifacium Moguntinum Antistitem fundatorem agnoscit. Accedit quod eodem teste Mabillonio * nemo Veterum Erardum adnumerat Episcopis ejusdem Ecclesiæ. *Id constat* inquit Browerus *illum Episcopatus Ardahensis ** onere sponte posito, peregrinari instituisse*; at unde id constet non aperit, neque hæc sententia quam sine teste similiter protulit Hundius, * conciliari potest cum iis quæ superius de patria S. Erardi dicta sunt in Commentario prævio §. II. Ipsum in Boioaria prædicationis munus obiisse Remque Christianam procurasse ac demùm Reginoburgi obiisse narrant illius vitæ Authores relati in actis Sanctorum ad diem VIII. Januarii à sociis Bollandianis, cum quibus & Mabillonio nostro credimus B. Erardum non proprium alicujus sedis Antistitem, sed Regionarium potius Episcopum extitisse atque hoc titulo in Bavaria ipsaque Ratisponensi civitate Episcopalia munia exercuisse. Ejus festum celebratur in Mediano cœnobio, in cujus antiquo Martyrologio manuscripto sic notatur: *V.° Idus Januarii. In Regensburg civitate, Transitus S. Herardi Episcopi, fratris S. Hildulfi Archiepiscopi.*

Mabill. Annal. Bened. tom. I. Lib XV, num. LXII.
* *In actis SS. Ord. S. Bened. sæcul. III. part. II pag. 470.*
** *Ardahg urbs Episcopalis Hiberniæ.*
* *Metropol. Salisb tom. I. in Episcop. Ratispon.*

b. Hæc de beatæ Otiliæ baptismate ac mirabili Illuminatione brevis ac simplex narratio multis nominibus anteponenda videtur illi quam Anonymus scriptor vitæ ejusdem Sanctæ tradit. Et primo quidem hæc Sancti Hildulfi vita antiquiores & graviores habet Authores; illos nimirum *Scholasticos* qui circa annum 946. eam ex antiquissimis ejusdem Sancti actis, *ab iis quibus contigit ejus sedulitate tunc temporis perfrui, veraci stylo digestis* excerpserunt. Anonymus autem ille vitæ S. Otiliæ scriptor ante medium quidem sæculum XII. ut observavit Mabillonius * scripsisse videtur, at quo t annis priùs quove ex fonte quæcumque hac de re narrat hauserit, prorsus incertum est.

* *In actis SS. Ord. S. Bened. in observat. ad vitam S. Otiliæ.*

Secundò nihil continet hæc eadem narratio rectæ rationi non apprimè consentaneum; nam vix unius diei itinere à Mediano monasterio distant tum Hohemburgum

gum Castrum, tum suppositum Oppidum *Ehenheim* hodie *Oberehenheim*, in quibus commorabatur Dux Athicus cum uxore sua Beresvinda; qua vicinitate mediante Religiosissimi conjuges haud dubiè ex primis fuerunt ad quos pervenit fama sanctitatis B. Hildulfi & adventus fratris ejus Erardi viri æque sanctissimi in eundem locum. Quid igitur mirum si talem nacti occasionem Otiliam filiam suam cœcam natam ad viros Dei deferri curaverint, ipsique ad eosdem simul accesserint, illorum opem in acerbissimo quo versabantur mœrore imploraturi? Anonymus autem vitæ S Otiliæ Author pleraque narrat omni verisimilitudine carentia & inter se pugnantia, quibus adstruendis dum incumbit non parum fidei suæ detrahit.

Talia sunt quæ de Athico divæ Otiliæ parente tradit; quem nobis exhibet hinc tanquam virum justum in Laicali habitu vitam Religiosam ducere cupientem & inspirante Dei gratia monasterium ædificare satagentem: illinc verò tanquam impium & crudelem patrem, qui filiam suam Otiliam cœcam natam occidi jubet & post Religiosissimæ conjugis Beresvindæ piissimam admonitionem, in tam atroci proposito pertinaciter perseverat.

Prætereà si huic Anonymo credamus, idem Athicus quem *virum Dei* nominat, Beatam Otiliam filiam suam quam naturali cœcitate liberatam, tam per celeste monitum quam per certum nuntium sibi à divo Erardo missum acceperat, non tantum non cum summo gaudio (ut par erat) complexus est: sed ne videre quidem voluit, & spreta ejusdem sancti Erardi intercessione, qui illum obtestabatur *ut dissensionem quæ inter se & filiam ejus diabolo incitante erat, Deo opitulante disrumperet*, illam paterna domo ut prius exulare jussit.

Denique juxta hunc anonimum cum beata Otilia ab invidis quibusdam Balmensis cœnobii Sanctimonialibus odio haberi cœpisset & ad fratrem scripsisset ut sui recordari

dari dignaretur, ipſeque patrem flectere fruſtrà tentaſſet & nihilominus Otiliam miſſo curru accerſiſſet, mox ut eam venientem Athicus pater proſpexit & à filio ſuo accerſitam fuiſſe cognovit, ipſummet *filium ſuum quem valdè* (inquit) *diligebat*, baculo quem manu gerebat tam violenter percuſſit ut ex eodem ictu interierit.

Athicum pœnituiſſe quidem tam immanis facinoris refert Anonymus: *deinceps* (inquit) *uſque ad obitum ſuum in monaſterio perſeverans, Deum ſibi placare nitebatur dignis pœnitentiæ fructibus.* At quæ ejus animi erga Otiliam immutatio? Tunc ait idem Anonymus *ſuperna diſponente clementia, recordatus eſt abjectionis filiæ ſuæ & aliquid mitiùs erga eam agere volens, conſtituit ei dare quotidie ſtipendium unius ancillæ. Ipſa autem cum gratiarum actione hoc ipſum accipiens, in ipſo monaſterio multo permanſit tempore; nihil aliud habens quam quod una ancillarum habere conſuevit.*

Quæ omnia quam incongruenter & ineptè dicantur nemo non videt. Unde mirum non eſt ſi à Lazio *, Ruyrio **, Mabillonio *** & aliis viris doctis communiter rejiciantur; nonnullis tamen ea conciliare ingrato ac vano labore tentantibus.

* *De Suevis lib.* 8
** *SS. Antiquit. Voſag. part.* II. *lib. IV. cap.* II.
*** *Act. SS. Ord. S. Bened. ſæcul* III. *in notis ad vitam S. Otiliæ.*

Tertio huic narrationi ſuffragatur perpetua & conſtans Mediani monaſterii Traditio, optimis ſuffulta monimentis. Primum habetur in Reſponſoriis ac Laudibus ab Humberto Cardinali anno 1044. compoſitis & à Leone IX. Papa modulatis, de quibus actum eſt in Commentario prævio §. VI. num III. In his enim legitur hæc Antiphona: *Amborum meritis meruit proles Etticonis baptiſmum & lumen genitrix quam fuderat orbam.* Item hoc Reſponſorium: *O Hildulfe tuum tibi germanum aſſocia & catervæ famulanti conferte præſidia; huc beata quam curaſtis occurrat Otilia.*

Secundùm extat in antiquo Lectionario quo ſæculis præteritis Medianenſes noſtri utebantur, tam in feſto Sancti

cti Hildulfi quam per octavas illius; Nam hoc Lectionarium ut in Commentario prævio §. I. dictum est, non differt à tertia Sancti Hildulfi vita, quæ sub initium sæculi XI. adornata, in Lectiones ad usum chori divisa est. In hac autem tertia vita inferius exhibenda, tota baptismatis B. Otiliæ ejusque miraculosæ illuminationis historia eodem plane modo refertur quam in hac prima.

Tertium conspicitur in argenteis illis tabulis quibus initio sæculi XII. contecta fuit Theca Sancti Hildulfi; In his enim expressæ sunt imagines tum Athici Ducis & Bereswindæ conjugis Otiliam filiam suam S. Hildulfo sistentium, tum ipsiusmet Hildulfi & fratris ejus Erardi eandem in Episcopali habitu baptizantium. Fatendum tamen est, quantum ad Bereswindam attinet, solam illius manicam ac manum dexteram versus B. Hildulfum in modum deprecantis extensam hodie superesse, ob decurtatam anno 1618. tabulam, ut in Commentario prævio §. VI. num. III. observatum fuit.

Quartum denique manifestatur in festo sanctæ Otiliæ, quod in Mediano nostro monasterio à pluribus retrò sæculis celebratum est & etiamnum celebratur sub ritu duplici; nulla enim alia hujus festi ratio reddi potest quam patratum à Sancto Hildulfo in persona ejusdem Sanctæ miraculum.

Non dissimulandum est hic nobis adversari celebrem Annalium Ecclesiasticorum Francorum Authorem Carolum Coin ium, * qui in iis quæ spectant ad baptismum sanctæ Otiliæ standum existimat ab Anonymo vitæ ejusdem Authore, qui hunc baptismum B. Erardo tribuit, nulla S Hildulfi facta mentione. Verum præterquam quod non viderat vir eruditus hanc primam Sancti Hildulfi vitam, mirum sane quam levibus hic ducatur argumentis. Esto enim (quod in primis observat) Paulo seu Paululo vitæ sancti Erardi scriptori ita visum fuerit, tantæ ne auctoritatis est ille sæculi undecimi desinentis scriptor

* Ad an. 690. num. 52. ad finem.

ptor ut nulla ſententiæ ſuæ adducta ratione antiquiorum & graviorum Auctorum teſtimonium elevet?

At (inquit Cointius) ſtare debemus potius ab Authore qui totus in conſcribenda ſanctæ Otiliæ vita fuit, quam ab eo qui ſemel tantum in Sancti Hildulfi vita mentionem ejusdem ſanctæ Otiliæ fecit. Quaſi verò Authores vitæ Sancti Hildulfi in ea conſcribenda toti pariter non fuerint aut ad illorum inſtitutum ex æquo non pertinuerit baptiſmum ab eodem Sancto divæ Otiliæ collatum & patratum ſimul miraculum recenſere; ideoque illis minùs credendum ſit, quod nullam exinde habuerint occaſionem ejusdem Sanctæ mentionem faciendi.

Addit Cointius privata non deeſſe argumenta quibus oppoſita nobis ſententia fulciatur. Primò inquit locus ubi Otilia baptizata eſt in vita S. Hildulfi perperam dicitur fuiſſe Medianum monaſterium. Quare perperam? nimirum quia in vita Sanctæ Otiliæ & in vita S. Erardi monaſterium in quo baptizatur Othilia non Medianum vocatur ſed Palma. At potior ne fides adhibenda eſt Anonymo vitæ S. Otiliæ ſcriptori, qui non niſi popularem & male digeſtam ſecutus videtur opinionem, quique tot à ratione aliena & inter ſe pugnantia loquitur, quam veteribus illis Scholaſticis qui vitam Sancti Hildulfi ex antiquiſſimis ejus actis adornarunt & nihil non rectæ rationi congruens tradiderunt?

Quod autem ſpectat ad vitam ſancti Erardi, obſervandum eſt eam eſſe triplicem. Primam conſcripſit ſupranominatus Paulus ſeu Paululus ſub finem ſæculi XI. Secundam edidit Conradus à monte puellarum medio circiter ſæculo XIV. Tertiam verò ex prima contractam ſuppeditavit Anonymus quidam, de cujus ætate nihil aliud determinari poteſt niſi quod Paulo poſterior, Conrado autem anterior fuerit. At neque in prima neque in ſecunda vita certus aſſignatur Baptiſmi S. Otiliæ locus. In prima nam-

namque dicitur duntaxat quod *in partibus Bavariæ cœleſtibus intento B. Erardo revelatum eſt, ut ad Rheni fluminis partem repedaret, puellam baptizaret, ac cæcam illuminaret; qui jubentis vocem obedientiæ pede ſecutus ad deſtinata pervenit loca.* In ſecunda verò pars illa Rheni fluminis Alſatia quidem nominatur: ſed nullus ejuſdem provinciæ determinatur locus. In ſola igitur tertia vita vocabulum *Palma* reperitur; quod cum Anonymus in Pauli vita quam contraxit non legerit, ex vita ſanctæ Otiliæ procul dubio deſumpſit.

Ex hac triplici ſancti Erardi vita colligit Cointius B. Otiliam baptizatam fuiſſe cis Rhenum in Alſatia, intra fines Diœceſis Argentinenſis; ubi tunc (inquit) ſitum puellare monaſterium, cui nomen *Palma*: ſed hoc ultimum illi probandum incumbebat, videlicet extitiſſe olim intra fines Diœceſis Argentinenſis aliquod hujus nominis monaſterium; quod cum nullatenus præſtiterit, inanis eſt ejus ratiocinatio.

Verumtamen fatendum eſt Cointium ad verum baptiſmi Beatæ Otiliæ locum, Medianum ſcilicet monaſterium, propius acceſſiſſe omnibus illis qui Balmenſe Virginum monaſterium Diœceſis Veſontionenſis eidem baptiſmo aſſignant Medianum quippe monaſterium & cis Rhenum ſitum eſt, a quo duodecim circiter leucis diſtat, & Alſatiæ vicinum, & Diœceſi Argentinenſi finitimum, vixque dubitari poteſt quin tunc temporis à pluribus & potiſſimùm à popularibus monaſterium *Palma* & locus illi adjacens *Palma* ſeu *Balma* * vocari conſueverit, ob ingentem videlicet ipſi ſupereminentem rupem, quæ nunc quidem *Alta petra*, olim vero teſte Joanne à Bayo no ** *Balma* dicebatur. Neque id cuiquam mirum videri debet, cum Balmæ vocabulum veteri lingua Gallica editam rupem ſignificet, ut obſervat Mabillonius agens de Balmenſi apud Sequanos Virginum monaſterio; quod redactum eſſe ait in prioratum ſancti Romani de Rupe nunc appelatum.

* Palmam *pronuntiant Germani*, Balmam *Galli*.

** *Lib. II capp. XXX, LXVII. & LXXIV.*

K Se-

Secundò (pergit Cointius) in vita Sancti Hildulfi „ Otilia à nativitate cœca defertur à parentibus, qui sanctos Patres Hildulfum & Erardum ut ejus misereantur „ rogant. At si filiam ambo parentes Athicus & Berehsinda supradictis Episcopis curandam obtulerunt, cur illam baptizatam & sanatam pater domum secum non reduxit? Rectè quidem. Sed unde probatur non reduxisse, nisi ex Anonymo vitæ ejusdem S. Otiliæ Auctore ejusque sequacibus vitæ B. Erardi scriptoribus? quam verò fidem meretur Anonymus ille vitæ sanctæ Otiliæ Author, qui, ut ex antedictis patet, historiam nativitatis ac baptismi ejusdem sanctæ tot ridiculis commentis deturpavit, ut anilibus fabulis quam simillima videatur? Sensit hic Cointius ipse difficultatem conciliandi res oppositas ac repugnantes, quas simul conjungunt scriptores vitæ sancti Erardi, dum eandem narrant historiam; & quod illi de Athico B. Otiliæ Patre certissimè dicunt, id ipsum de Erardo Episcopo perperam interpretari coactus est. Cum enim Paulus in vita sancti Erardi de admirabili divæ Otiliæ illuminatione loquens dicat: *Fit gaudium ingens circumquaque miraculum cognoscentium; Pater ad cælum laudibus tollitur* (quod tantam videlicet promeritus sit gratiam) *puella beatificatur, mater consolatur, virtus divina prædicatur.* Quæ sic exprimit ejusdem Pauli abbreviator: *Gaudent ergo cuncti & mirantur universi: Pater exultat, mater consolatur, divina virtus ab omnibus laudatur.* Cointius in illa Pauli phrasi: *Pater ad cælum laudibus tollitur.* Vocem *Pater* non de Athico Duce, sed de Erardo Episcopo intelligendam esse asserit, quantumvis in subjuncta hac altera phrasi: *Mater sonsolatur.* Correlativam vocem *Mater* de Berehsinda Athici Ducis uxore interpretetur. Cum autem hæc Abbreviatoris verba: *Pater exultat*, soli Athico Duci conveniant, nec Erardo Episcopo viro utique sanctissimo sinè aliqua vanæ gloriæ nota tribui possint, eundem Abbreviatorem Cointius carpit, quasi superiorem Pauli phrasim malè reddiderit perperamque ad Athicum Otiliæ patrem illam detorserit. Quem interpretrandi modum

dum in tanti nominis Scriptore quis non miretur?

Tertiò denique (ait Cointius) in vita Sancti Hildulfi „ Otilia dicitur *gentilis*, illiusque parentes mœsti sanctos „ Episcopos Hildulfum & Erardum non rogant, ut eam „ baptizent: sed ut ejus misereantur, id est, ut cœcitatis „ misereantur quâ laborat. In vita autem sanctæ Otiliæ „ parentes ejus ob Christianos mores plurimùm commen- „ dantur. Respondeo Otiliam non ideo dici gentilem, quod ex parentibus gentilibus nata esset, sed quod baptismum nondum susceperat; unde non simpliciter gentilis sed *adhuc gentilis*, hoc est, nondum baptizata dicitur. Evidens est autem Christianæ eorundem parentum pietati minimè repugnare, quod sanctos Episcopos non rogant ut filiam suam baptizent; id enim promptum illis erat à quocumque Sacerdote impetrare: sed ut ejus misereantur, hoc est, eam cœcitate liberent: quod per sanctorum virorum merita fieri posse, animo speque confidebant.

Quibus omnibus Cointii argumentis ita dilutis & eversis, cum intacta remaneat tradita nobis in hac prima Sancti Hildulfi vita narratio de baptismo sanctæ Otiliæ: certò credendum videtur nobilissimam puellam a piissimis parentibus ad Medianum monasterium adductam fuisse, ibique à sanctissimis Episcopis Hildulfo & Erardo baptizatam & sanatam, statimque domum ab ipsismet parentibus maximo cum gaudio reductam fuisse. An verò ad Balmense Virginum monasterium posteà deducta & in eodem educata fuerit, ut quibusdam placet*, non est hujus loci disquirere.

* *Gebuiller cap.* 4.

Unum duntaxat hìc adjiciemus: nempe verisimillimum esse divam Otiliam in Ecclesia Beatissimæ Virginis Mariæ quæ juxta impositum sibi à Beato Hildulfo nomen Medium monasterium propriè appellabatur, baptizatam non fuisse: sed in Ecclesia sancti Joannis Baptistæ, quam

 idem

idem ſanctus Pater *turbas confluentium ferre non valens, extra Clauſtra monaſterii*, ad radicem montis *Balma* hodie *Alta Petra* ædificaverat & *juxta quam domos in quibus ſupervenientes* reciperentur conſtituerat; hincque exortam eſſe ſingularem illam devotionem, quâ prudens & grata Virgo erga hunc Sanctum Domini præcurſorem uſque ad obitum affecta remanſit; Nam Eccleſiam in ſuo Hohemburgenſi monaſterio ſub ejus invocatione conſtruxit, in quam orationis gratiâ frequens ſecedebat; & cum mortem ſibi imminere perſenſiſſet, mox ad eandem perrexit ſacraque communione præſumpta, ibidem & animam exhalavit & corpus ejus ſepulturæ traditum eſt.

i. Inter auxilia quæ ad augmentum Mediani monaſterii tunc collata ſunt, annumerari debent (quantum opinamur) varia Dominia, prædia ac bona, quæ in Valle Villarienſi * aliiſque circumvicinis Alſatiæ locis olim poſſedit & quorum maximam partem ab Athico Duce conceſſam fuiſſe fert traditio.

* *Val de Viller.*

l. Begonis Cella nunc *ſanctus Blaſius* dicitur. Pars autem illa Voſagi quæ hic *Folcholdi* rupes * appellatur præter montem *ſancto Blaſio* proximum & montem *Belrouart* ſeu *Beauregard* dictum (in cujus ſummitate poſitum deinde fuit Caſtrum cujus ſola nunc ſuperſunt rudera) complectitur etiam interjectum his montibus ſpatium, in quo loca *Viſivallum* & *Rua* dicta jam tum extabant & poſtmodum oppidum Ravonenſe conditum fuit, in dicto videlicet loco *Rua*.

* Gallicè Rochefochon *à Rugrio dicitur.*

m. Divus Erardus non tantum conſtruxiſſe, ſed etiam dedicaſſe & conſecraſſe videtur Eccleſiam S Apri, quæ eſt parœcialis Medianenſis; nam in antiquo Mediani cœnobii Martyrologio manuſcripto ejuſdem Eccleſiæ Dedicatio ſic notatur: *VII.° Calend. Novembris, Dedicatio Eccleſiæ S. Apri à Domno Erardo præſule, ſupra Rabodonem fluvium.*

Vide Rugr SS. Antiquit. Voſag. part. III. *lib.* I. *cap.* VIII. *Edit.* 1633.

n. Hinc plurimùm commendatur hæc prima S. Hildulfi vita, ut prudens lector facilè animadvertet; ex coevorum namque ſcriptorum commentariis excerpta eſt.

SE-

SECUNDA
S. HILDULFI
VITA.

Deſcripta ex Manuſcripto Ultrajectino cura Heriberti Rosvveidi.

a. VITA SANCTI HILDULFI TREVIRENSIS ARCHIEPISCOPI.

HILDULPHUS claro genere ortus à juventute litterarum ſtudiis traditus, in brevi efficaciſſimè claruit, de die in diem in virtute proficiens: & integer ab his vitiis, quibus talis ætas ſolet implicari perſiſtens. Intereeà moribus Eccleſiaſticis aſſuefactus, apud urbem *Regeneburg* * clericus ordinatus eſt. Tunc Milone Trevirenſi Archiepiſcopo defuncto Treverenſes HILDULPHUM eo quod vir eſſet nobilis, ſcientia eruditus, lingua urbanus, vita & moribus compoſitus, in Epiſcopum unanimiter poſtularunt. Mox ſermo in aula Regis Pipini patris Caroli magni percrebuit atque ex ejus edicto vir tantus ac talis Ar-

* *Reginoburgum alias Ratispona.*

chiepiſcopus fieri deffinitur. Tunc vir Dei qui Eremum ſemper concupierat, fugam paravit: ſed raptus à devoto populo Galliam Belgicam uſque deductus eſt atque Treverorum conſecratus Epiſcopus. Igitur in tali honore quam ſanctè vixerit non eſt facile recitare; quaſi enim quidquid eſt ſcelerum perpetraſſet, ſic pœnitentiæ vitam ducebat, prædicationibus & miſericordiæ operibus inſiſtens. Pro ſalute mundi & requie defunctorum miſſam celebrare nullo die prætermittebat, & ut bonus paſtor quidquid gregi docebat agendum, ipſe operum exhibitione monſtrabat. Inter etiam opera magnifica quæ geſſit, corpus beati Maximini ex cripta ubi illud beatus Paulinus ex Aquitania revectum tumulaverat, in domum qua nunc veneratur transtulit. Poſtquam igitur multiplices pro Chriſti grege labores ſuſtinuiſſet, quidquid habere videbatur relinquens, heremum (ut olim concupierat) petere deſtinavit, & ad Jacobum Leuchorum Antiſtitem miſit, ut ſibi ſecretum provideret locum. Qui Jacobus in ſaltu Voſagi ubi ſanctorum virorum cellulæ inerant, ſiquidem Deodatus Nevernenſis Epiſcopus quondam ſæculo renuncians ibidem habitaverat, viro Dei Hildulpho locum habitationis inſtituit. Quem videlicet locum montibus undique ſe-

ſeptum fluviolus quidam Rapido nomine præterfluit, ſuper quem vir Dei HILDULPHUS heremum ingreſſus Eccleſias fundavit; primam videlicet in honorem Dei Genitricis Mariæ, quam Medium monaſterium appellavit, aliam in honore B. Petri & omnium Apoſtolorum conſecravit. His igitur ſtatutis ſoli Deo vivere cepit. Cumque fama ſancti nominis ejus longè latéque diſcurreret, viri potentes & nobiles ad eum ſepius confluebant, quorum aliquanti deſiderio vita celeſtis accenſi, cum eo remanebant. Cumque numerus ex diverſis partibus accurrens creſceret, Sanctus Dei qui olim monachum profeſſus fuerat, cepit habitationes edificare monachis competentes. Tunc per merita ejus ſibique ſubjectorum ibidem cœci illuminabantur, claudi convaleſcebant, demones fugabantur, & ob hoc turbas confluentium ferre vix valens, extra clauſtra Eccleſiam ſancti Joannis baptiſtæ edificans dedicavit atque domos in quibus ſupervenientes reciperentur conſtituit. Cum itaque ſic de remotis partibus ad virum Dei fieret concurſus, Eraudus * vita æque ſanctiſſimus, carne quidem Beato HILDULPHO germanus, ordine Coepiſcopus, nomine ejus excitatus occurrit; à quo gratanter ſuſceptus, per aliquot dies ſimul manentes, æternæ vitæ viciſſim monitis reſona-

* *Alias Erardus.*

nabant. Ad amborum verò merita oſtendenda deſertur eis Hecticonis Ducis filia cœca nata, utque ejus miſereantur à meſtis parentibus humiliter requiruntur; quam cum adhuc gentilem eſſe cognoviſſent catheſicaverunt *. & proſtrati pro ipſa oraverunt. Tunc Beatus HILDULPHUS eam baptizavit, quam de ſacro fonte mente & carne illuminatam beatus Eraudus excepit & Odiliam nominavit. Quæ res in tantum valuit, ut potentes perſonæ Sanctum HILDULPHUM maximè venerarentur, eique ad augmenta loci auxilia præberent. Unde quidam nomine Begho, locum qui uſque hodie Beghonis Cella dicitur & partem Voſagi quæ Falcodi rupes appellatur Sancto tradidit. In qua Beghonis Cella in honore ſanctæ Crucis dicata, virum ſummæ humilitatis *Spinulum* nomine conſtituit, ubi idem homo Dei poſt multiplices labores ac numeroſa miraculorum inſignia tranſivit ad requiem; cujus meritum Deus declarare volens per Angelum nunciavit beato HILDULFO, ut glebam Sancti ad monaſterium referret. Nec mora Sanctus cinere quo jacebat excutitur & fratribus convocatis obitum viri Dei eis denunciat. Accenſis itaque cereis ad exequias viri Dei properant. Vis itaque ventorum plus ſolito inhorruerat adeo ut annoſas quercus & abietes eradicaret. In

* *Mendosè pro* cathechizaverunt.

In tali igitur turbine ante corpus Sancti ardentes cerei usque ad locum sepulchri delati sunt. Unde populi concurrentes comperta habilitate loci forum ibi statuere temptaverunt. Sed Beatus HILDULPHUS ad tumulum sancti Spinuli accedens dixit ei quasi viventi: Frater spinule propter animarum pericula, concurrentium comprime turbas. Tunc signis cessantibus frequentia quoque cessavit. Tandem Beatus HILDULFUS plenus sanctitate, correptus febre cœli capitolium coronandus intravit quinto Idus Julii. *

* *In Manuscripto legitur*, Junii *sed mendosè.*

Annotata.

a. Brevis hæc Sancti Hildulfi vita non differt ab ea, quam edidit Surius ad diem XI. Julii, nisi in terminis. Ejus abbreviator primam ejusdem Sancti vitam superiùs traditam contraxit, non verò tertiam mox subjiciendam. Id constat ex multis. Primum est, quod eosdem prorsus Chronologiæ nævos contineat quam prima illa vita, & de Pipino Rege ac patre Caroli magni indubitanter affirmet, quod de Pipino Heristello intelligendum esse tertia vita monet. Secundum est, quod annum mortis Beati Hildulfi non assignet, qui tamen in tertia vita disertis verbis dicitur *annus ab Incarnatione JEsu Christi septingentesimus septimus.* Tertium denique, quod ex multis & prolixis interpolationis in tertia vita contentis nullam perstringat.

TERTIA
S. HILDULFI
VITA.

Ex Manuſcripto Medianenſi cum Epternacenſi & Paderbornenſi Manuſcriptis collato deſcripta.

In Medianenſi nullus huic vitæ præmittitur titulus. In Epternacenſi hic legitur: Incipit vita Sancti HILDULPHI Archiepiſcopi Trevirorum miræ Sanctitatis viri. *In Paderbornenſi verò:* Incipit Prologus in vitam &c.

2. *a.* Caput I.

* *Paterborn. Manuſcript. habet.* Quoniam quicumque.

★ QUicumque baptizati Chriſtum induti ſunt & hæreditatem animo ſuſpirarunt æternæ ſalutis, ut aliquando illam valerent conſequi uſi ſunt lumine caritatis; per quam unicus Dei Filius cum ſolus eſſet in regno Patris æterni, ut cohæredes haberet homines, fratres ſibi adoptavit, quibus in domo Patris ſui manſiones collocaret. Ad hanc ergò feſtinantes viros Dei ſolos venire puduit,

duit, cum ſcirent eos qui ſecum alios traherent, certam manere mercedem; adeò ut quò plures veherent eò majori prœmio cumularentur. Fiſi illa ateſtatione qua ſervus ille Evangelicus talentum cum lucro referens, gaudio Domini ſui donatus eſt. Ad hujus itaque gaudii ineffabilem dulcedinem ille bonus paterfamilias omnes volens introducere, miſſis in mundum ſervis ſuis, cunctos præcepit invitari, & ne in via deficerent aut errarent, tritico vitæ & lampade caritatis gemine ſuſtentari. Cumque hoc omnipotentis divinitati diù agere placuiſſet, ut conſervis ſuis ſuo in tempore tritici menſuram erogaret ad laborem præſentis vitæ, futurum paſtorem populis HILDULFUM nomine juſſit prodire. Qui claro Nerviorum genere ortus, inter Scholares alas ſacræ militiæ alitus eſt. (* Circa illius temporis ætatem Garibaldus regebat eandem Noricorum id eſt Baioariorum gentem, cujus filiam nomine Teudelindam Agilulfus Rex Longabordorum ſortitus fuerat uxorem. Hujus etiam Agilulfi ad obſidionem urbis feſtinantis præcellentiſſimus Domnus Papa Gregorius in Commentario Ezechielis mentionem fecit. Ea quoque tempeſtate Auſtraſiis imperabat Theudebertus ex Childeberto Brunechildis filio procreatus, cujus in aula edu-

B.Hildulfi genus.

* ( ) *his parenthesibus clauduntur quæcumque hujus vitæ Interpolator adjecit ad primam S. Hildulfi vitam.*

Ætas.

b. cabatur beatus Arnulfus Buotgisi *b.* illustris viri filius, ex majore domus postmodum Mediomatricæ urbi Pontifex destinatus, quique ad extremum renuncians Apici tanti pontificatus Anechoreticæ vitæ Sectator effectus est devotus. Verum puer Dei ab ipso conditore præelectus misericorditer HILDULFUS) mox futurus Christianæ defensor Religionis ac do-

Studia. ctor, studiis litterarum traditus divina gratia cooperante in brevi efficacissimé claruit, atque unde multi per abrupta vitiorum defluunt, & in cœno superbiæ devolvuntur, videlicet si de mundi scientia quidpiam attigerint: inde iste adhuc bonæ indolis puer omnibus excellentior factus, in dies proficiebat; integer ab his vitiis quibus juvenilis ætas implicatur. Dum enim multi talium controversiis forensibus, alii ludis multiplicibus, aliqui licet ad modum rari in investigandis sæcularium no-

Mores. dis disciplinarum intenti obstupescant, hic pervigil in orationibus, assiduus lectioni erat, atque ultra vires operibus misericordiæ intentus, succurrere laborantibus, opem ferre egenis, miseris assistere diligebat. Talium ergò virtutum incrementis quid futurus pastor Ecclesiæ faceret, præmonstrabat.

Anno-

Annotata.

a. Non extat in Medianensi codice quem sequimur hæc capitum divisio: sed illam usurpamus, ut & facilior evadat ejusdem codicis cum Epternacensi & Paderbornensi codicibus sic per capita divisis collatio, & Annotatis nostris commodior ubique tribuatur locus.

b. Buotgisus qui & Boggus dictus est, vocabatur alio nomine Arnoaldus seu Arnoldus. Unde nihil mirùm si in Paderbornensi codice sic appellatus reperiatur.

Caput II.

INtereà moribus Ecclesiasticis assuefactus apud urbem vulgo *Renesborg* * dictam Clericatus honore donatus est. (Quia verò semen rectæ intentionis jecerat omnipotens agricola in bono arvo pectoris illius, paulatim assurgebat in eo robustæ operationis culmus. Attonitus nempe & avidus nec surdus auditor existens Evangelii, non remissus obauditor ardebat fieri, illud dominicum sine intermissione ingerens sibi: *Qui reliquerit domum, aut patrem aut matrem, aut fratres aut sorores, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Talia enim quia * videbat sibi adesse, plurimum suæ arbitrabatur perfectioni obesse. Uxoris verò filiorumque causa non ejus animum sti-

* *In Eptern. Manuscript. legitur* Regenesbuorch, *in Paderbornensi* Regensburg.

B. Hildulfi Clericatus.

* *In Paderborn. Manuscript legitur* quæ.

ſtimulabat, quibus hactenus carebat. Non denique per illud tempus tam indifferenter diſtribuebantur ordines Eccleſiaſtici, ſicut cernimus hac noſtra ætate diſtribui: ſed perpetuæ profeſſoribus caſtimoniæ aut virginitatis. Sed vir iſte beatus Spiritus Sancti gratia præventus, à cunabulis illibatum à corruptione carnis ſervavit pectus, in cujus latebris mentem ſuam informabat & alebat. Præmiſſis & aliis Evangelicæ inſtitutionis verbis prudenter advertens, non ſolum ſanctis hæc dicta ac donata Apoſtolis: verum etiam cunctis in unitate fidei Apoſtolica ſuggeſtione fundatis. Tandem exemplo fidelis Abrahæ, terra, cognatione domoque parentum egreſſus iter arripuit Sicambriam verſus, ſubiitque civitatem Treverim *a.* quam tunc copioſus incolebat populus, monachorum etiam bonæ opinionis odorem circum circà ſpargentium decorabat Conventus, quibus ſpem ſæculi irridens imperterritus Agonotheta Chriſti ſociatus, monaſticam normam profeſſione explevit & actibus *b.* adeóque frixura ſancti Zeli circa monaſticam perfectionem exuſſit cor ejus, ut terrori & exemplo minoribus: venerationi verò & amori fuerit majoribus. Itaque Milo *c.* Reverendi Luitwini * filius tunc Archiepiſcopus, perpendens hunc ſanctum virum ſcientia fultum

Receſſus è paterna domo.

a.

Monaſtica profeſſio.

b.

c.

* *In Manuſcript, Pader-*

tum, discretione maturum, conversatione angelicum, diversarumque virtutum tendere gradibus ad perfectionis cumulum, cœnobio abstractum secum retinere voluit atque secundà se sedem ei indulsit; quatenus vice ipsius pastorale subministraret officium, sarcinam perferendo sibi creditarum ovium, sanis & debilibus consulendo, secundum quod senserat congruum. Quod quam piè quam strenuè executus fuerit sequentis series lectionis declarabit.

born. legitur Lutroini.

In Pontificalis sollicitudinis partem assumptio.

Annotata.

a. Hinc patet Beatum Hildulfum Trevirim venisse, ibidemque constitisse ac monachum induisse, pluribus annis priùs quam ad Pontificalem ejusdem civitatis Cathedram eveheretur. In prima & secunda vita dicitur quidem *olim monachum professus*, sed locus in quo hoc vitæ genus amplexus fuerit non notatur.

b. Haud dubiè apud S. Maximinum.

c. Obiit Sanctus Hildulfus etiam juxta hunc vitæ ejus Interpolatorem anno 707. & plures duntaxat post annos, præsulatum Trevirensem usurpavit Milo. Non potuit igitur hic Pseudo Archiepiscopus Beato Hildulfo vices suas committere. Auctores primæ hujus Sancti vitæ bona fide secutus est hic Anonymus illorum Interpolator & cum in Chronologia Episcoporum Trevirensium haud magis versatum esset, in nomine Antistitis qui Beatum Hildulfum in partem suæ sollicitudinis advocavit, pariter lapsus est. Expungendus erat Milo, & in ejus locum substituendus Numerianus, ut ostensum est in Commentario prævio §. IV. num. IV.

Caput

Caput III.

SUb hoc tempore apud Gallias Francorum Regibus à ſolita fortitudine & ſcientia degenerantibus, hi qui majores domus regalis eſſe videbantur, adminiſtrare regni potentiam & quidquid Regibus agere mos eſt cœperunt; quippe cum cœlitus eſſet diſpoſitum ad horum progeniem Francorum Tranſuehi regnum. Eratque illis in diebus in Regio palatio Angiſus Arnulfi filius de nomine Anchiſe quondam Trojani, ut putatur, apppellatus, adminiſtrans principatum ſub nomine majoris domus; cujus quoque ætatem attigit Heraclius Romanæ Reipublicæ Auguſtus, qui revexit ſanctiſſimæ crucis lignum à Chroſroæ tyranni arcibus. Pipinus * poſt multum temporis Patri Angiſo decedenti ſuccedens, Rempublicam Galliarum gubernavit florentiſſimè; vir magnæ potentiæ miræque pietatis & audaciæ, qui hoſtes ſuos ſtatim aggrediendo contrivit ſæpiſſimè. Nam ſuper quemdam ſuum adverſarium Rhenum transgreſſus cum uno tantum ſatellite ſuo irruit, & eum in ſuo cubiculo reſidentem cum ſuis trucidavit. Bela quoque multa cum Saxonibus & maximè cum Rathbodo Freſonum Rege fortiter geſſit. Hic

Tunc major domus erat Angiſus qui Heraclii Imperatoris ætatem attigit.

* *Heriſtellus dictus.*

Hic & alios filios habuit: ſed ex his præcipuus Carolus * extitit, qui ei poſt in Principatu ſucceſſit. Quod idcircò fortaſſis plus juſto viſum eſt proſequi, ne ſimilitudo nominum decurſioque temporum, in ſequentibus injiciat ſcrupulum lectori; nempè præfatus Dux Carolus primi ex Francis magni Imperatoris Caroli extitit avus. Publicis igitur utilitatibus invigilante Angiſo jam dicto *a.*) & Milone Archiepiſcopo Trevirenſium rebus humanis exuto, Trevirenſes præſule indigebant. Grex itaque Domini paſtore deſtitutus, converſus ad Dominum totis præcibus incumbit, & ut Eccleſiæ ſuæ turbine ſæculi fluctuanti rectorem tribuat, expoſcit. Tunc ſubitò Hildulfi nomen per ora omnium ſonuit; quod vir eſſet nobilis, ſcientia eruditus, lingua urbanus, (Vita Deo placita, hominibus approbata ac moribus Clero & plebi proficuis congruiſque compoſitus.) Mox ſermo in aula Regis *b.* percrebuit atque exiit edictum, ut vir talis ac tantus paſtorale ſubiret miniſterium. Quo comperto, vir Dei in diverſa nitens (verſus nativitatis ſuæ ſolum *c.* fugam arripuit, ſiquidem anxiabundus, ſuſpecto honore ſublimari refugiens in peregrinis, quaſi ignobilem ſe poſſe deliteſcere ſuſpicabatur in propriis.) Nam heremum concupierat, niſi populi dovotio

* *Martellus d. tus.*

a.

B. Hildulſum Treverenſes expoſcunt Epiſcopum.

b. Illorum votis Rex annuit.

M præ-

præcavens obstitisset. Ab Histria igitur raptus, Galliam Belgicam usque deductus est; (cujus sanctum desiderium licet fuerit dilatum non tamen est ablatum.) Fit conventus totius regni, accurrunt Principes cum Episcopis, cætus Clericorum Monachorumque cum populorum turbis: una omnium acclamatio Hildulfum esse honore Episcopali dignissimum, cum vir Dei è diverso se omninò reclamaret indignum. Nam propriæ * fragilitatis robustus prospector, semetipsum in se metiendo sibi timebat; quia quæ & qualis sit ratio animarum reddenda cogitabat. Quod si nunc homines perpendere vellent, dum liberi & quieti vivere possunt, regimen Ecclesiasticum ad quod viri sancti vix cogebantur, nequaquam tam promptè pecuniis mercatum irent. Sed tandem vicit fidelis populi devota acclamatio, atque (Apostolicæ per omnia conformatus vitæ, post beatum Eucharium Petri Apostoli discipulum tricesimus tertius *d.*) communi omnium voluntate Trevirorum confirmatur Antistes. Qualis verò jam fuerit & qualem se cunctis præbuerit, quia difficile explicabitur, attentare veremur.

S. Hildulfus fugit, sed reductus præficitur.

* *In Paterbornensi Manuscripto legitur* perspe.

d.

Annotata.

a. Animadverterat Interpolator præsulatum S. Hildulfi cum Regno Pipini conjungi non posse; ideoque

quod

quod in prima ejusdem Sancti vita de prædicto Pipino Rege dicitur, id præmissa ad majorem intelligentiam ejusdem Regis Stirpe, expressè asserit de Angiso illius Atavo. Verum relicto semper Milone, parum aut nihil proficit idem Interpolator; cum inter Angisi ætatem & Milonis obitum non minor sit discrepantia, quam inter S. Hildulfi præsulatum & Pipini Regnum.

b. Haud dubiè Childerici II.

c. Cum hìc Beatus Hildulfus versus nativitatis suæ solum fugam arripuisse, inferiùs verò ab Histria, id est, Danubii seu Istri tractu raptus & reductus fuisse dicatur; consequens est illum patriâ Noricum non Nervium fuisse.

d. Supponit Interpolator Beatum Hildulfum Miloni successisse & hinc est quod infrà cap. V. ait eundem Sanctum divi Maximini successorem fuisse vigesimum nonum. Cum itaque tricesimus tertius post Beatum Eucharium hìc numeretur, restat ut ante divum Maximinum plures non fuerint Episcopi Trevirenses quam quatuor.

Caput IV.

Igitur beatus vir non modo de boni operis (seu Monastici rigoris) proposito semel arrepto aliquid immiuuit, sed velut centuplicatum augmentavit. Enim verò quasi puer aut adolescens quidquid ubique jacet scelerum perpetrasset, sic in pœnitudinem conversus se contra se erexit. Videres hominem exesum jejuniis vix ossibus hærere, ad memorias Sanctorum indefessum jacere, inundantia *B. Hildulfi in Episcopatu vita.*

 la-

lachrymarum ſedulò madere, noctes inſomnes ducere. Quid enim dicemus eum pauperes, mediocres & divites ſummo ſtudio omnique diligentia curare. Quidquid ſibi erat omnibus commune faciebat, divitibus & egenis mediocribusque idem ſemper erat. His præcipiebat non ſuperbè ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum: ſed in Domino qui dat omnibus omnia affluenter, & ut eorum abundantia pauperum inopiam ſuppleret; quatenus in futuro pauperum abundantia divitum inopiæ fieret ſupplementum. Omnino autem pauperes rebus admonebat, ut ſcirent ſpiritu pauperes eſſe, & in humilitate gratias agere Deo, dicente ipſo Domino: *Beati pauperes ſpiritu.* Perquirebat quem Sanctorum in aliquo bono imitari valeret. Eum diem ſe perdidiſſe querebatur, quo parum aliquid non profeciſſet in actibus ſeu mandatis Dei. Sacrificium pro ſalute totius mundi & requie defunctorum nullo offerre Deo prætermittebat die, ſciens ſcilicet Domino dicere: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.* Et *voluntariè ſacrificabo nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt.* Quidquid igitur vir beatus * ſibi fieri volebat, juxta Evangelicum præceptum nulli negabat: ſed omni poſcenti ſe libentiſſimè tribuebat; portum ſcilicet labo-

* *In Paderborn Manuſcript. legitur* vir Dei.

borantibus, consolatorem mœstis, nudis cooopertorem, susceptorem viatoribus. Quis eum unquam expetiit & ejus bonitatem expertus non est? Quotidiana illum sollicitudo omnium animarum, aliquo pereunte compellebat gemere; quanquam tantæ esset pietatis, ut quovis scandalizante se crederet offendisse. Et quoniam incolam se & peregrinum hìc noverat, ubi non habere se manentem civitatem sciebat, ostium suum viatori nunquam clausit, neque buccellam suam solus comedit. (Ut dulcissimus Pater filios spirituales dulciter admonendo, quatenus cœlestis patriæ hæreditati inhiarent, non desistebat. Divinæ legis gratiam in pectore gestabat, ex cujus sale sermonem sui oris condiebat. Vanitatem mundi sic horrescebat, ut crederet ac profiteretur miseros esse amatores ejus. Eleemosinis maximè insudabat, hospitalitati largissimè, acsi hanc ipsi Christo exhiberet, insistebat. Quem videbat tristem & dolentem, consolationis verbo & subsidio necessario exhilarabat. Discordantes ad concordiam reducebat.) Cæterùm omnibus omnia se faciebat, ut omnes salvos faceret & ut bonus pastor quidquid gregi dicebat agendum, operum exhibitione monstrabat.

Caput V.

* In Paderborn. Manuscript. legitur Antistiti.

CUm hujusmodi cæterarumque virtutum eminentia Antistitio * congrueret, omnium mira colebatur veneratione. Vir enim erat nobilitate generosus, religione præcipuus, consilio cautus, operibus famosus. Inter magnifica namque opera quæ multiplicia gessit, corpus beatissimi (atque gloriosissimi præsulis) Maximini (cujus ipse successor

a.

habebatur jam tum vigesimus nonus, *a.*) ex

B. Hildulfus transfert divi Maximini corpus.

crypta ubi illud beatus Paulinus præsul magni meriti ex Aquitania revectum tumulaverat, in domum qua nunc veneratur transtulit. (Quia enim crypta insolitas evomebat aquas, quæ tribus altiores cubitis superficiem totius pavimenti ejus occupaverant, nec tamen mausoleum reverendorum artuum invadendi licentiam habebant, sed solidæ sicut murus hinc inde illud cingebant: perpendens vir beatus tam signo hoc quam pluribus aliis revelationibus se admoneri, quatenus ædificata Basilica corpus sanctum inde transferret, omni vigilantia perficiendum id censet. Ergo maximis impendiis constructo oratorio *, adest clerus cunctus cum populo. Nec mora venerabilis Autistes cum duobus Coepiscopis suis Domno sci-

*In Paderborn. Manuscripto hic additur: vigilantique studio ad unguem perducto.

ſcilicet Clemente & Chotberto, enormis magnitudinis coperculo manus admovet; quod tanta celeritate ſublatum eſt, ceu pondere careret. Ipſum tamen coperculum poſt a trecentis viris & quadraginta boum paribus tentatum manſit immotum. Tandem venerandis artubus honorificè ut decebat in arca reconditis cypreſſina & ſic in marmorea, quarto Calendas Junii Oratorio intulit, quod à fundamentis inceperat.* In quo pariter impoſita ſunt trecentorum Martyrum Thebeæ legionis corpora; quem locum ſic nobilitavit ſuppellectile ac fundis, *b.* replevit cœnobitis, ut ex tunc nullatenus inferior videatur Epiſcopio ipſiùs urbis. *c.*

* *In Paaerborn. Maunſcript. additur:* & ad perfectum perduxerat.

b.

c.

Annotata.

a. Vide notam d. cap. III.

b. Beatum Hildulfum erga ſanctum Maximinum illiusque cœnobium inſigniter propenſum fuiſſe fatentur Sammaximinianenſes, ſed fundis ab eo auctum idem cœnobium negant. Vide Zylleſium in defenſione Abbat. ſancti Maximini pag. 74. & 75. Edit. Colon.

c. In fine hujus capitis tam in Epternacenſi quam in Paderbornenſi manuſcripto codicibus adduntur ſequentia: *Circà quem locum dum vir beatus de die in diem nimio inſudaſſet pietatis affectu, prævidens futura ſagaci ſpiritu, veritus ſuperfluas tyrannides ſucceſſorum, prædictum locum regio jure nobilitati tradidit, ut habetur in præſenti.* Quæ ſicut & alia nonnulla inferiùs ſuo loco annotanda, cum non reperiantur in

in manuscripto nostro codice Medianensi, & Trevirense sancti Maximini monasterium ferè spectent, à posteriore aliquo Interpolatore ejusdemque monasterii Monacho adjecta esse videntur.

Caput VI.

B. Hildulfus dignitatem abdicare & eremum petere statuit.

ET post tam multiplices pro Christi grege labores, licet in Pontificatu positus nihil possidere voluit: quidquid tamen illud erat quod (occasione seu prætextu regiminis) habere (vel præsumpsisse sibi) videbatur relinquens, ut olim animo conceperat eremum petere destinavit; monastici siquidem non immemor voti, reputabat actus suos sibi minus posse sufficere ad salutem, cum Dominus dixerit: *Nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse Discipulus.* (Oculati quippe cœlestisque animalis circumspectionem retinens non revertebatur incedens, ac eorum quæ retrò sunt oblitus in anteriora ferebatur extensus. Equidem noverat plurimos ante humana judicia interim stantes videri per bonorum operum executionem: sed ante omnipotentis Dei oculos corruisse per meliorem deliberationem, eoque * bonum opus talium minus Deo fore placitum, quo per mentis deliberationem in meliori gradu inconstanter est positum. Ne ergo postmodum fru-

* *Ita Manuscript. Eptern. ex quo hic supplentur nonnulla verba, quæ in Manu-*

frustra quereretur hujusmodi detrimenrum suæ menti subrepsisse, unicam deliberationem quam sibi suspirabat adhuc deesse, accelerabat perficere.) Quod cum primum rumor ad aures vulgi detulit, quasi Barbaris insequentibus omnis ætas omnisque sexus in urbem ruit, visoque viro Dei clamor in cœlum tollitur & quasi omni provinciæ exitium immineret, unus omnium ferebatur luctus. Cur pater gregis tibi commissi custodiam derelinquis? Quare tantarum animarum futurum discrimen non metuis? Putas qui erunt hujus Ecclesiæ sævissimi vastatores? namque dilaniabunt gregem tuum lupi rapaces. Talibus itaque vir sanctus lamentationibus, præcipuè piarum supradicti loci ovium commotus, ut erat pietate plenus in lachrymas resolvitur, conversusque ad plebem hæc tandem profatur: Vos populus Dei & oves pascuæ ejus estis; ipse vos custodiet, qui vobis promittit dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Nam custodia mea hactenus nulli profuit, qui me ipsum minùs circumspexi. Si quid autem deinceps mihi superest temporis, sinite ut expleam quo & mihi & vobis prosim. (Obfirmatus igitur adversus lugubres querelas gregis se prosequentis, quasi tenacioribus vinculis quæ libertatem

Scripto Mediamensi desiderantur.

animi ejus ſibi ſubigere tentabant diſruptis, Weomadum *a.* * ſibi ſucceſſorem: ovibus verò ſuis deſignans paſtorem, poſt ultimum vale, animum, oculos ac pedes cœpto itineri reſtituit; per Spiritum Sanctum elevatus ſcientia, aſſumptus vita, in indignatione ſpiritus ſui amarus abiens, pennas ſibi dari columbæ gemebundus expetebat, quibus volando requieſceret, & quibus elongando fugiens in ſolitudinem maneret. Quemadmodum enim Deo dignus Papa Gregorius ait: Dulce eſt eſſe in rebus humanis, ſed ei, qui adhuc de cœleſtibus gaudia nulla guſtavit; at ſi quis jam cordis ore guſtaverit, quæ ſit illa dulcedo cœleſtium prœmiorum, huic quanto illud dulce ſit quod intùs videt, tanto in amaritudinem vertitur quidquid foris ſuſtinet. Rixatur ſecum de rememoratis iniquitatibus, reprehendit ſe de cogitationibus, inſequitur de verbis, & punit flendo de factis. Itaque niſi hoc modo Spiritus Sanctus mentem viri hujus in amaritudinem temporalium & delectationem æternorum commoviſſet, terram deſertam & inviam tanto æſtu cordis non quæſiſſet.

a. * *In Paderborn. Manuſcript. legitur* Nicomadum.

Annotatum.

a. Error dimanans ex intruſo ſuperiùs nomine Milonis.

Caput

Caput VII.

PEr illud tempus) Jacob *a.* vir converſatione moribuſque admirabilis Leucham regebat * urbem, qui cum pro ſui Sanctitate in ora omnium penderet, Regibus quoque ſtupendus erat; ad quem cum vir Dei HILDULFUS miſiſſet, ut caritate mediante ſecretum illi provideret locum, libentiſſimè collaboravit: ſiquidem à prædeceſſore ejus quondam Pontifice Girbaldo *b.* nomine, viro æque ſanctiſſimo, Deodatus vir ſummæ Sanctitatis, olim Nivernenſis Epiſcopus renuncians ſæculo, in ſaltu Voſagi locum obtinuerat; ubi ſanctiſſimé converſatus monaſteria ſtatuit, atque poſt diutinam in Chriſti agone militiam vitæ ſenatum laureatus intravit. In quo etiam ſaltu virorum ſanctorum cellulæ inerant. (Denique Stivagium * jam tunc erat ſpirituali monachorum exercitio inſtitutum. Porrò Dompnus Gundelbertus olim Senonum præclariſſimus Archiepiſcopus, circa tempus illud Senonienſe cœnobium in Grandiavio à ſe conſtructum ex relictæ urbis vocabulo denominavit primus. Bodo etiam jam dicti Jacob deceſſor Leuchæ bonus Paſtor, virgineis catervis quibus locum ſtudio ſuo ad ungem perductum re-

a.

* *In Paderborn. Manuſcript. legitur:* Eccleſiarum urbem.

b. Epiſcopi Tullenſis conſilio B. Hildulfus Voſagi eremum elegit, in qua jam plura inerant monaſteria.

* *In Paderborn. Manuſcript legitur:* Sanctivagium.

repleverat, quemque suo de nomine nuncupatum iri censuerat, præesse voluit Christi famulam Tietbergam, quam ante pontificale decus susceperat ex debito conjugii filiam.) Inter hos ergò Athleta Christi HILDULFUS prædicti viri Jacob consultu amminiculante locum habitationis elegit.

Annotatum.

a. & *b.* Consule quæ superiùs dicta sunt in Annotatis ad primam vitam litt. d. & e.

Caput VIII.

Descriptio Mediani loci, in quo substitit & monasterium construxit Beatus Hildulfus.

ENim verò est locus in Vosago montibus undique septus, quem fluvius quidam ob validum cursum Rabado nomine præterfluit, super quem vir sanctus Spiritu Sancto dictante Ecclesias fundavit. Primam videlicet nomine Beatæ Dei Genitricis & semper Virginis Mariæ, quam & (VIII. Calendas Martii) dedicavit, eamque Medium monasterium appellavit. Aliam verò ex nomine beati Petri Apostolorum Principis, omniumque Apostolorum honore * (XVII. Calendas Novembris) consecravit. His ita statutis Deo sibique vivere cepit. Cumque præconium sancti nominis ejus, fama multorum longè la-

* *Ita Eptern. Manuscript. at In Paderborn. Manuscript. legitur:* B. Petri Principis o-

latéque deferret, viri potentes & nobiles visitationis gratia ad eum sæpius confluebant. Cumque è diversis partibus multi accurrerent, aliquanti ad vitæ iter accensi, cum viro Dei manere decreverunt. Quod cum vir Deo plenus videret, à Domino id fieri arbitratus est, & quoniam ipse olim professus Monachum fuerat, habitationes Monachis utiles cœpit ædificare. Id verò populus cum comperisset, devotione crescens plus solitò confluebat. Nam per merita viri sancti sibique subjectorum, cœci ibi illuminabantur, claudi convalescebant, demones fugabantur. Unde turbas confluentium vix ferre valens, extra Claustra Ecclesiam sancti Joannis Baptistæ ædificans dedicavit *, atque domos in quibus supervenientes reciperentur instituit.

mnium Apostolorum honore.

Monachum professus fuerat B. Hildulfus.

* In Paderborn. Manuscripto deest verbum dedicavit.

Caput IX.

CErnens interea fidelis Domini servus hujuscemodi solitudinis partem non minimam adventus sui occasione paulatim exultam ac velut novellis olivarum spiritualibus filiis in circuitu suo vestitam, anima ejus super Domini salutaris sui præsentia delectationem concipiebat maximam. Cum verò dudum deserta & impexa Eremus aleret

Crescente fratrum & sæcularium advenientium numero B. Hildulfus soli Deo vacare cupiens D. Leutbaldum Abbatem constituit.

 Chri-

Christi pauperes singulorum annorum proventibus, ne deficerent in via sæculi istius, etiam juxta litteram compleri gaudebat quod olim propheta de veteris legis mysteriis & novi populi refectione prædixerat : *Deserta in ubertatem versa advenæ comedent.* Frequens quoque vulgus fidelium sedulò virum Dei invisentium numerosa construxerat habitacula circa cellas Sanctorum, propter vicinitatem eorum vel habilitatem locorum. Sed vir Dei quoniam jam gustarat & viderat suavem esse Dominum, nil dulcius habebat quam vacare & videre quam ineffabiliter esse Dei præcellit nostrum. * Itaque accrescente ibi numero fratrum, Sanctus ille ut semper circumspectus custos sui, metuens erat curâ eorum aut frequentiâ sæcularium à dilecta quiete suæ contemplationis quoquo modo divelli. Quapropter Dompnum Leutbaldum venerabilem virum Abbatem designavit, quem divinarum & humanarum rerum notitia haud parva præditum intellexit: quatenus fratribus pastorali vigilantia præesset & adventantium sese negotiis impertiret; qui quam devotè quamque strenuè id officii administrarit Authoritas promoventis credulis mentibus satisfacit; quoniam sanctus Antistes hunc nequaquam tantæ

Esaiæ 5. 17.

* *In Paterbornensi Manuscripto legitur* numerum.

tæ

tæ catervæ monachorum præponeret * nisi præ cæteris ad hoc dignum judicasset.)

* In Paderborn. Manuscript. legitur præmoneret.

Caput X.

INnterea illo inter reliquos vitæ cœlestis amatores *tres* * advenerunt, quorum primus Spinulus, reliqui verò duo qui carne & spiritu Germani erant prior Joannes alter Benignus vocati sunt *a*. qui à viro Dei benignè susceptí, paternè instructi, ipsique devotè conversantes ad viam vitæ anhelabant. Et quanquam omnium viututum negotiis se vicissim præcedere vellent, humilitate tamen & obedientia se alterutrum vincere festinabant. Assiduè in ore illorum Christus, jugiter vitæ æternæ præconia resonabant, utque Monachos decet juxta præceptum Patris omnia exercebant, (absque pusillanimitate, amaritudine vel rancore, subjecti in timore & amore Christi, jejuniis & vigiliis semet macerantes, orationibus contriti, humilitatique cordis indefessè instantes, malebant quidquid usquam putatur intolerabile perferre, quam Christum in aliquo offendere.) Et quoniam invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum, sciens Dei Athleta Hildulfus se suosque quandoque Adæ debitum reddituros, sepulturæ lo-

* In Paderborn. Manuscript. hoc verbum desideratur.

a. Adventus Spinuli Joannis & Benigni in Vosagum.

locum quærere destinavit. Sed quia ut in convallibus solet, circa monasterium aquarum erat abundantia, minimè aptum Cimeterio locum judicavit. Ad austrum verò collis monasterio imminet, super quem vir sanctus Ecclesiam construens, ex nomine beati Gregorii Papæ consecravit atque circum hanc Cimiterium benedixit.

Ecclesiæ S. Gregorii & Cimeterii circumpositi constructio.

Annotatum.

a. Hìc in Epternacensi & Paderbornensi codicibus à posteriore illo Interpolatore quem Sammaximinianum esse suspicamur, adjecta sunt sequentia quæ in Medianensi desiderantur: *qui ex cœnobio B. Maximini quod prædictus Pater fundaverat advenisse referuntur, statueruntque penes virum Dei degere, quod ejus conversatione & charitate nimium delectarentur. Horum verò miracula in subsequentibus ex multiplicibus quædam explanabimus, ut quanti sint meriti apud Deum fiat luce clarius.*

Caput XI.

FAma intereà præconii ejus circumpositas terras transvolans, remotiores quoque penetraverat. Cumque è diversis partibus multi ad virum Dei venirent, Erardus vita æque sanctissimus, carne quidem Beato HILDULFO Germanus, ordine verò Coepiscopus, nomine hujus excitatus accurrit. Diù ita-

itaque quæsitum cum inveniſſet, labori ejus congratulans inquit. Ecce frater deſiderium cordis tui tribuit tibi Deus & voluntate tua non te fraudavit, quem enim diu concupiſti locum tuæ converſationi habilem inveniſti. Tu ergò ſta viriliter in fide & confortare in Domino & in potentia virtutis ejus; certus quod qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Per annos *a.* igitur aliquot continuos ſecum manentes, æternæ vitæ vicisſim monitis reſonabant, (fratribusque congregatis utrique vitæ neceſſaria providebant & tabernacula erigebant.

S. Erardi acceſſus ad B. Hildulfum, cui congratulatur.

a.

Annotatum.

a. In prima & ſecunda vita legitur: *per dies aliquot.*

Caput XII.

Ad amborum verò merita oſtendenda renovantur à Deo miracula ſtupenda (viris etenim Dei ibi adhuc pariter converſantibus) Eticonis ducis Eliſatii filia cœca nata defertur, utque ejus miſereantur à mœſtis parentibus humili prece poſcuntur. Quam cum adhuc gentilem reſciſſent, more Eccleſiaſtico catechiſaverunt, atque ad orationem proſtrati pro ſalute puellæ clementiam Domi-

Otilia Ethiconis Ducis filia cœca nata ad viros Dei defertur, à quibus baptizatur & ſanatur.

O ni

ni precabantur. Monitis itaque Catholicæ fidei edoctam Sanctus Hildulfus baptizavit, eamque de sacro fonte mente & carne illuminatam beatus Erhardus excepit & dato nomine Otiliam vocavit *a*. Quæ res in tantum valuit, ut non modo mediocres, verum etiam potentes personæ virum Dei Hildulfum venerarentur ac diligerent, eique ad augmentum loci auxilia præberent, (erat enim totius honestatis decore compositus, æqualiter se affabilem exhibens omnibus.

Annotatum.

a. Hoc in loco nova occurrit posterioris Interpolatoris additio in hæc verba: *quæ in sanctimonia sanctitate permanens, boni rectique imitatrix non mediocriter existens, nunc jam cum Christo regnans dat in terris innumera signorum miracula diætim.*

Caput XIII.

Quidam enim vir Bego dictus nomine sancti viri necessitati communicans, rerum suarum aliquid usibus fratrum * sub beato viro Deo militantium delegare studuit, atque locum qui hodie Begonis Cella dicitur, & partem Vosagi, quæ Fulchodi rupes appellatur, destinavit. Denique vir Dei Hil-

* In Paderborn. Manuscript. legitur: aliquam usibus formam.

Hildulfus in Cella jam dicta honori sanctæ scilicet Crucis dicata, virum summæ humilitatis & obedientiæ Spinulum nomine constituit, inqua idem homo fideliter Deo serviens, post multiplices in Christi agone labores ac numerosa miraculorum insignia vitæ æternæ consecutus est prœmia. Quem omnipotens Trinitas apud se glorificatam in terris, gloriosum ostendere volens in cœlis, per ministerium Angelicum Beato Hildulpho notificat, ut glebam Sancti ad monasterium tumulandam revehat, (sicut ipse Beatus adhuc vivens fratribus cum multa prece mandaverat.) Nec mora senex imperanti obediens, cinerem quo fatigatos artus collocaverat excutit, convocatisque fratribus hominis Dei nuntiat obitum. Qui licet tanto fratris auxilio destituti mœrerent, tamen gloriæ ejus congaudebant, accensisque cereis ad beati viri exequias properant.

Begonis donum & constructio Begonis cellæ, cui B. Spinulus præficitur.

Spinuli mors B. Hildulfo revelata.

Caput XIV.

Vis itaque ventorum plus solito inhorruerat, adeo ut non modo fructices, verum etiam annosas quercus excelsasque abietes eradicaret. In tali ergò turbine ante sancti viri glebam ardentes cerei usque

Spinuli exequiæ & miracula.

ad

ad locum ſepulchri delati ſunt. Sepultum igitur terris ut apud ſe vivere Deus demonſtraret in cœlis, omnibus infirmantibus ad ſancti viri tumulum venientibus voluit ſubvenire. Quanti ibi paralitici venis redintegratis ſolidati ſunt verbo aut ſcripto non facile explicabitur. Omnis cæcitas clarificata lumine *, diem mirata obſtupuit. Univerſa debilitas ibi recuperatis uſibus robur amiſſum perſenſit. Unde turbis irruentibus reperta eſt aqua ſalſiſſima.

* *In Paderborn. Manuſcript. legitur:* clarificata eſt cum lumine.

Caput XV.

De concurſu populi anxius B. Hildulfus Spinulum orat, & jubet à miraculis abſtinere.

CUpiditate igitur ſalutis, habilitate loci, aquarum abundantiâ, populi confluentes forum ibi ſtatuere tentaverunt. Quam inquietudinem vir Dei HILDULFUS ſentiens indoluit & baculo artus regente Eccleſiam beati Gregorii ut ei moris erat, oraturus intravit. Deinde oratione expleta ſurrexit & ad tumulum ſancti Spinuli venit, atque ut erat piæ mentis, ora perfuſus lachrymis inquit. Gratias frater Spinule Deo agimus, quod te in pacis regione quieſcere credimus, & apud omnipotentem Deum poſſe plurimum confidimus. Noſſe te etiam ſcimus quomodo & quare nos (ſcilicet deſiderio liberius vacandi

ora-

orationibus ac deſerviendi Deo) tumultu populorum relicto, in hanc ſolitudinem devenimus. Tu igitur tanquilitate potitus, noſtri qui in via mortis ſumus, & inter ejus pericula fluctuamus, miſerere oramus: (quin etiam ſi fas eſt exigimus, illâ ipsâ virtute præclaræ maximæque obedientiæ quæ in te refulſit dum temporaliter viveres, cujuſque merito æternaliter, ut evidentibus & quotidianis ſignis liquet gaudes, ne popularibus negotiis Religioni monaſticæ indicibilis periclitationis procellam ſuſcites;) ſi enim hac populorum confluentiâ preſſi fuerimus, non parum à propoſito declinabimus, (quoniam * paulatim ſæcularium jurgiis & cauſis, acſi nimio pulvere infecti atque fœdati, omnium mundiſſimo minimè inhærebimus creatori; quodque abſit ordo monaſticus hic jam Deo propitio ſtabilitus peſſumdabitur funditùs.) Licet enim Deo cooperante ſubſidia corporum noſtro conferantur loco, tamen animarum timemus pericula. Unde concurrentium comprime turbas, & hilarem (affluentemque) datorem Deum pro nobis implora, ut benedictionis ejus ſentiamus gratiam; quatenus (penuriâ neceſſarii victus ac veſtitus expulsâ, occaſioneque laqueos deceptionis aptandi invidiſſimo diabolo ſublatâ,) impleamus noſtræ pro-

* *In Paderborn. Manuſcript. legitur:* Quin.

fesſionis vota. Tunc verò videres ſpiritum carne ſolutum & vita potitum obedire mortali, acſi idem teneretur adhuc vinculo mortis. Nam ſignis ceſſantibus, venisque cohibitis ſalinarum, frequentia quoque deſivit populorum. (Ad confutandam tamen impudentem garrulitatem invidorum & incredulorum, datur ibidem uſque hodiè proſpici evidentiſſima indicia trium quondam puteorum. Denique Sanctus finita prece ac querimonia, alacer ac fidens ſe jam conſecutum optata, ad fratres regreſſus, ſollicitos vigileſque orationi inſiſtere hortatur; quò repreſsâ concurſante turbâ, ab omnipotente conſolatio voluntariæ paupertatis aliundè eorum dirigeretur.)

Caput XVI.

PRecibus namque beati Spinuli meritiſque beati viri mox ſubſecuta eſt benedictio Domini.) Nam nondum ſeptem diebus decurſis, Hagio vir illuſtris qui & Hariulfus * ſolebat cognominari, affuit ac cujusdam nobilis prædii *Bercheim* * dicti maximam partem contulit loco ſancti Petri *a.*; cujus traditio ſolemniter acta, extemplò eſt litteris innodata præfatoque Leuthbaldo tunc temporis Abbati eſt credita: quibus convinceretur; ſi

* *In Paderborn. Manuſcript. legitur* Bereſini ſed mendosé.

a.

si aliqua quandoque hic machinaretur violentorum controversia.) Multi deinde nobilium juris sui prædia præfato loco contulerunt. Nec multò post aliqua portio Villæ *Hundinisheim* nuncupatæ eidem loco cessit jure possessoris. *b.* Perpendat dignè qui valet quam profundè vir iste, mortificatione sui, Deo vitæ suæ inhæsisset. Apostolo equidem, quodque est excellentius ipsi Christo videtur crucifixus, potens dicere veris animi vocibus: *Mihi mundus crucifixus est & ego mundo.* Et *vivo jam non ego vivit verò in me Christus.* Crucifixus quippe ipsi fuerat mundus in maligno positus, qui nec adversa pertimescebat, nec prospera appetebat. Ipse deinde mundo, quem abominabatur mundus ex patre diabolo, cujus blandientis viscum vitavit, sævientis impetum non horruit. Honorari verens in propriis commisit se peregrinis, in quibus se glorificari postquam intellexit, fugæ consuluit: sed tandem insecutum gloria flentem & reluctantem violenter sibi retinuit. Quâ tamen se non multò post excutiens, hanc heremi habitatricem fore diffidens, invias exploravit sedes. Illuc etiam nec tunc quidem gloria ab insecutione tam laudabilis fugitivi fatigata, quasi saltem egentissimo totius opis facilius persuasura & quod majus erat subjectorum penuriâ, qui

Donatio prædii Berkeim & portionis Villæ Hundinisheim.

b.

qui nequaquam movebatur suâ. Suo quoque non sat confisa paratu, subrepere illi quæsivit sub divinorum signorum amictu; quatenus vereretur vir ille se culpatum iri, si repudiaret quasi divinitùs procuratis interim fulciri. Quis quæso Religiosorum hac nostra tempestate non ambiat negotiis sæculi res suas augeri? Adventantium concursibus extolli? Quis porrò talia sibi suppetere videns non credat se cœlitus honorari, enumerans sibi, vel potius fingens de se quædam maxima, quæ jam apud Deum constant minima aut nulla? Verùm Deicola iste instar beati Abrahæ non casurus tentabatur à Domino, sciente vel quid ipse esset facturus, vel quid lateret in famulo suo, quatenus nobis aperiretur nimiùm intima ejus mortificatio. Sed jam calamus reddatur operi cœpto.

Annotata.

a. *Bercheim* urbs est Alsatiæ inter Colmariam & Selestadium ad radices montis Vogesi sita.

b. *Hundinisheim* vicus est Alsaticus inter oppidum *Erstein* & Civitatem Argentoratensem situs.

Caput XVII.

DOmnus tandem Leuthbaldus fideliter atque prudenter administrato dispensationis

tionis sibi creditæ officio, ex hujus vitæ subtractus lubrico, artus solo, spiritum reddidit cœlo, perenniter inhæsurum Domino, cui nihil prætulit in mundo. Mox monachorum anxia turba, idonei Pastoris provisione temporali destituta ad pietatis Pontificem recursitat, & eum luctuosa flectere prece quæritat: ne dedignaretur ovium resumere sarcinam, pro quibus Pastorum Pastor probrosæ mortis amplexus est injuriam, Verùm vir docibilis Dei cedere gnarus pietati, non autem emeritæ jam senectuti, haud quaquam judicavit refutandum, quod animadvertebat Christum jubere de suorum præcordiis pauperum. Pastoralis itaque gratiæ onere denuò suscepto, tribus solummodo annis quibus superstes fuit in sæculo, instanter porrexit fratribus virgam correptionis, cum sustentationis baculo. Eò siquidem ad emetiendum curriculi pauxillum quod restabat reddebatur alacrior, quò correpto spatio cœperat bravio fieri vicinior.)

LEUTBALDUS Abbas moritur, & Pastorale onus denuò suscipit B. Hildulfus.

Caput XVIII.

INde beatus Erardus constructa Ecclesia ex nomine sancti Confessoris Christi Apri, (non procul à Monasterio ad lævam scilicet jam dicti fluminis, fratri suo viro Dei post ex-

Constructâ Ecclesia divi Apri Erardus Hildulfo valedicit & ad sedem remeat.

exhortationem in Creatoris militia dixit: Dominus providit tibi locum, affuturus omnibus quæ egeris: tamen moneo & peto, ut novissimorum jugiter nostrique memor sis. Me sane oportet separari à te aspectu, non corde: facie non mente. Angelus autem Domini bonus juxtà beneplacitum ejus comes fiat meæ peregrinationis sedem propriam revisere disponentis. *a*. Tandem dulces in amplexus ruentes ac mutuis multisque fletibus se perfundentes, oratione pariter fusa, non sine maxima cordis contritione mutua visione caruere. Beatus autem Erhardus Rheno transuadato, Regensborg civitatem suam videlicet sedem, tam sancto præsule celebrem futuram subiit, in qua non post plurima temporum curricula, sexto Idus Januarii de morte ad vitam transiit.) Sanctus verò HILDULFUS ab opere Dei non deficiebat, sed jejuniis & laboribus defatigatos artus spiritui servire cogebat. Fratribus sibi subjectis ac maximè Joanni & Benigno, quos quotidie ad meliora tendere gaudebat, (quos etiam non solum publica exhortatione, sed interdum privata ac amicabili collocutione sui memores fore monebat,) pro statu Ecclesiarum Dei, pro pace Regum & salute populorum orare suadebat. Viam verò vitæ quam semel arripuerant

a.

B. Hildulfi adhortationes ad Joannem & Benignum aliosque discipulos.

rant fideliter currere & bravio ſupernæ remunerationis ſcienter anhelare, (illud Dominicum ſollicito corde aſſiduè replicando: *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum & reſpiciens retrò aptus eſt regno Dei.*) Aiebat enim fidelis eſt Deus & mentiri neſcit. (Bonis moribus conſuefieri ſtuderent; victu ac veſtitu mediocri contenti eſſe diſcerent; obedientiam humilem mutuò ſibi ac ſolerter exhiberent; Chriſti veſtigiis ante omnia inſiſterent; inſtitutioni beati Benedicti alacriter inſudarent. Diſcretioni per omnia docebat invigilare quam ſæpius inculcabat matrem virtutum eſſe; murmurationis, animoſitatis, verboſitatis, detractionis, ocioſitatiſque malum nec in plebe fidelium dicebat deprehendendum: quanto minus in Clauſtris monachorum? Sic beatus Senex per ordinem cuncta diſponens, plusque exemplo quam verbo fratres inſtruens ad omne opus bonum promptos reddebat & alacres. Namque manuum ſuarum labore cibum ſuæ ſanctæ ſenectuti erat conquirens, jugiter tam ſibi quam aliis illam Apoſtolicam ſententiam ingerens: qui non vult operari nec manducet.

Annotatum.

a. Ibi ab Interpolatore Sammaximiniano in Paderborn. & Eptern. codicibus additur: *Cui econtrà frater bea-*

tus Antistes inter cætera secretorum cœlestium colloquia, fratres quos Deo venerabilique patrono Maximino aggregarat attentius committit, ut eis pro posse intra & extra fidele jugeque præsidium sit; quod vir Deo plenus libentissimè annuit.

Caput XIX.

* Specular. *Lapis vitri modo pellucidus.*

Nonnulli sæculares B. Hildulfi magisterio se subdunt & facultates suas pauperibus ac Medianomonasterio tradunt.

CUmque luculentæ conversationis ejus Specular * jubare veri solis trajectum, quaque versum evibraret lucem virtutum, ad arguendum noctem mortalium, nonnulli sæcularium fallaciter sibi arridentem deridentes mundum, ne ipsi veraciter à mundo irriderentur, post modicum facultates suas pauperibus jurique sancti Petri tradidere, atque stultæ sapientiæ edomita cervicositate, sapientem stultitiam Christi sub beato viro militaturi suscepere. His diebus quidam vir nomine Theudoaldus inter regni proceres illustris habebatur, qui tenax glutinum mundi molliter sed exitiabiliter prætiosas animas inescare quærentis, prudenti declinans oculo, consensu uxoris jam initiatæ sanctimoniæ proposito, deposito militari cingulo, beati viri se subdidit magisterio, cum suo naturali filio Abbo. Hic inter cætera collationis suæ Xenia, contulit etiam huic cœnobio Basilicam honori perpetuæ Virginis Mariæ dicatam, in jam dicto

præ-

prædio Bercheim ſitam, multiplicitate redditum primam.

Caput XX.

HUic negotio eximius Pater inſiſtens, nec omninò annis proprioque corpori parcens, magnoperè ſatagebat tam præſentium quam etiam futurorum ibidem cœnobitarum neceſſitati & quieti providere; ne cujuſcumque rei indigentia ſe minùs regulari actioni poſſe inſervire excuſationem quantulamcumque valerent obtendere, quod maximè deſidioſis & arctam viam remiſsè tenentibus eſt familiare.) Cumque jam laboribus effeto corpore, ſpiritu ferventior eſſet, pius Dominus eum vocare voluit ad coronam juſtitiæ. In vigiliis itaque conſtitutus, febre eſt correptus, qua per dies ingraveſcente, fratres turbati ad ſtratum Senis accurrunt, qui namque utcumque poterat ſemper Chriſtum annunciabat. Qui cum mœſti flerent & ſe deſolari dolerent, una erat omnium vox plangentium precantiumque, ne Paſtor oves deſereret. His querimoniis lachrymiſque commotus, ut erat jam ex tertia parte * corporis præmortuus, in extrema lectuli parte reſedit, & circumſpectis fratribus: Pax inquit vobis.

B. Hildulfus febre corripitur.

* *In Paderborn Mannſcript. legitur:* Extrema.

de manu elevata his eos verbis benedixit: O Deus omnipotens humiles benedicito clemens, præsentesque tuos serva per sæcula servos. His igitur finitis, (humillimus prece humillima fratres exoravit continuatim ad altare Christi, in omnique divino officio memoriam retinere sui nominis, ne contingeret eum suosque quos hic temporaliter rexit, almi patris Benedicti abesse contuberniis. Atque supradictis milleque solatiis aliis quieti ovicularum suarum hactenus impigrè provisis, virtutum plenus atque dierum, mundo qui jam talem habere non merebatur subtrahitur Pater venerabilis, sessurus in porta regni cum Senatoribus terræ, inter quos nobilis habebatur * Christus vir sanctæ Ecclesiæ. Iste denique vir Beatus HILDULPHUS, quoniam exemplo dominicæ parabolæ, in arvo contriti & humiliati cordis sparserat semen rectæ intentionis, quod ultrò fructificans primum herbam teneræ actionis, dein spicam provectionis, pervenerat ad frumentum perfectionis, falce divinæ sententiæ temporali ejus vita desecta, ut granum à palearum recrementis selectum inducitur in æternæ vitæ horrea. Emicuit autem ab erumnabili incolatu hujus nostri exilii piissimus pastor ac nutritor noster Sanctus HILDULFUS quinto Idus Julii. * Cum agerentur

Fratres benedicit, seque illorum orationibus commendat.

Ex hac vita migrat.

* *In Paterbornensi Manuscripto legitur* habebitur.

* *Hic desinit prima S. Hil-*

tur annus ab Incarnatione JEſu Chriſti ſeptingenteſimus ſeptimus ★; Conſulatu Juſtiniani junioris Auguſti *a.* à Leone contra eum rebellante narium detruncatione deformati, quinta Indictione; Sergio *b.* venerabili Papa, cujus duo proximiores ſucceſſores nomen Joannis poſſederunt, Romanam Eccleſiam regente, qui invenit miram portionem ligni ſalutaris in ſacrario beati Petri. (Hujus diebus Theudoaldus Rex Anglorum, qui multa in ſua patria bella geſſerat, ad Chriſtum converſus properavit Romam, qui per Cuninepertum Regem Longobardorum veniens mirificè ſuſceptus eſt. Is cum Romam perveniſſet, à prædicto Papa baptizatus Petruſque appellatus, adhuc in albis conſtitutus ad cœleſtia regna migravit. ★) Quin etiam hac tempeſtate Dompnus Beda vir monaſticæ Religionis præcipuus, in doctrina & arte calculatoria florebat magnificus, & floruit diù poſt obitum patris noſtri hujus. Illicò videres diſcipulorum examina hinc inde certatim confluxiſſe, piique patris & magiſtri funus pio cum gemitu conſtipaſſe. Qui licet piè gauderent tam præclari Inſtitutoris ſibi non deforè cœlitus patrocinia, tamen piè deflebant humanitatis ejus conſueta ſibi ſubtracta ſolatia. Tandem officiosè curato cadavere ſemper re-

mi-

dulſi vita. Cætera quæ ſequuntur ab Interpolatore adjecta ſunt.

a.

b. Mortis B. Hildulfi notæ Chronologiæ.

★ *Hæc deſunt in Manuſcript. Paderborn. aut ſaltem in ejus exemplo quo utimur.*

Ejus exequiæ.

In Ecclesia S. Gregorii corpus ejus terræ mandatur.

c.

d.

minifcendi patris, humaverunt illud in Bafilica beati Papæ Gregorii, à dextris altaris, adulta jam luce fecundæ feriæ *c.*, anno trigefimo fexto habitationis fuæ in hujus terribilis eremi vaftitate: quadragefimo verò à gloriofa Domini Pontificis Maximini translatione, quæ extitit fub hoc noftro Archipræfule, Pipino *d.* fuperiùs dicto jam tunc Gallias gubernante. Verumtamen cum lux meritorum Beati HILDULFI crebris clarefceret miraculis, relatum ab Ecclefia fepulturæ fuæ mirabile corpus, devotione ac ftudio fratrum templo Beatæ Mariæ Virginis eft illatum, in quo dextrorfum eleganti curvato fornice aliquanto delituit tempore. Cujus in præfenti laudibus occupari, meritis fublevari, veftigiis informari & in futuro gaudiis valeamus copulari: præveniente ac fubfequente efficaciffima mifericordia & mifericordiffima efficacia factoris refectorifque noftri potentiffimi ac benigniffimi, qui crucis nudæ expeditos fequaces præ filiis hominum glorificat, cum eos fecuros non modo fuorum meritorum actitat, fed judices alienorum habendos denunciat.

Poftmodum in Ecclefiam B. Mariæ infertur.

Annotata.

a. Id eft Juftiniani fecundi poft illatam fibi à Leone alias Leontio injuriam iterum imperantis.

b.

b. Hic fallitur Interpolator; nam anno 707. Romanam Ecclesiam regebat Joannes VII. non verò Sergius qui jam ab anno 701. obierat.

c. Anno 707. Littera Dominicalis fuit B. & V.° Idus Julii incidit in feriam secundam. Humatum igitur fuisse oportet corpus sancti Hildulfi eadem die qua efflaverat animam, nec serius quam sub meridiem. ut constat ex his verbis: *adulta jam luce.* Quod cum difficile sit credere, suspicamur loco II. feriæ legendum esse III. feriæ.

d. Pipinum Heristellum intellige, qui tamen nonnisi aliquot annis post translationem sancti Maximini (quæ anno 667. peracta hic supponitur) dignitatem & autoritatem majoris domûs obtinuisse videtur.

Caput XXI.

POst Beatum gloriosi Pontificis HILDULFI transitum REGIMBERTUS * vir spectabilium ornamentis decenter præditus morum, concordi voto fratrum, Regiminis subiit officium. Hujus tempora & opuscula sub Regibus Theodorico & Childerico juniore Pipinoque filio Ducis Caroli sunt decursa. *a.* Restant sane quam plurima Deo dignissimi Patris nostri HILDULFI Successorumque ejus acta meritis illius condita, quæ pro fastidio lectoris interim differenda & alii opusculo judicavimus deleganda. *b.* Præclarissimum verò invictæ charitatis in vita, in morte ac post

* *In Paderborn. Manuscript. legitur* Reymbertus.

REGIMBERTI Abbatis Electio.

a.

b.

Q mor-

mortem inextinguibiliter conſervatæ experimentum non videtur in præſentiarum differendum, omnibus ſui dilectoribus caſtis dulce omninò ac proficuum. Duo ſiquidem diſcipuli laudabilis Magiſtri Joannes & Benignus, quos prædictum eſt Germanos extitiſſe carne ac ſpiritu; quorum prior Presbiteratu, alter verò fungebatur Diaconatu, viciniùs jugiter ſoliti aſſiſtere obſequio tanti Sacerdotis, cotidianas Domino hoſtias redemptionis noſtræ & mortificationis ſuæ mactantis, laudabili initio laudabiliorem jungentes finem, ad cœleſte regnum ſecuti dilectum inſtitutorem 2.o Kal. Auguſti ad Chriſtum pariter migravere; videlicet poſt migrationem Sancti viceſimo primo die; quod indultum fuiſſe nimiæ caritati trium, non verò extitiſſe fortuitum nemo refragabitur fidelium; Cum legamus Fratrem inter alios non vocatum precibus Reverendi Anaſtaſii obitu ſuo prævenilſe ejus diem ſeptimum. Hinc jam calamum dum nimium inhiat mente, minimè pigeat enucleatiùs percurrere ſeriem rei geſtæ. *c.* Beato atque ſemper reminiſcendo Magiſtro Hildulfo mortali vitæ ſubſtracto, præfati duo Germani parili languore depreſſi mox decubuerunt lectulo; quo per dies augmentum capiente, diſſolutioni corporum ſe ſenſerunt propinquare; cum re-

Sanctorum Fratrum Joannis & Benigni obitus idem eademque ſepultura.

repentè ſanctus Joannes qui & major natu erat, unum è fratribus direxit ſciſcitaturum qualiter ſe haberet ſeorsùm decumbens dilectiſſimus frater. Quantociùs ergò perficiens imperata Monachus, repperit Dei famulum Sacramentis Dominicis communitum evaſiſſe nexus mortalitatis hujus. Cucurrit, renunciavit. Beatus verò ille quem ſollicitabat adhuc ſuſpectus exceſſus junioris & dilecti fratris, ſi poſt obitum ejus contigiſſet aliquandiu interreſſe rebus humanis, audito jam diſceſſu illius, lætabundus inquit: Maximas tuæ pietati piiſſimè formator hominis ac reformator gratias rependo, quod fratrem meum ad regnum tuum ante me mitto, & jam ſecurus & gaudens hinc poſt eum ad te vado. His expletis interrogatus à fratribus an ſingillatim eſſent tumulandi, adjecit: abſit Domini mei, ut ſeparemur ab invicem & in futuro & in præſenti; unius enim genitricis nos in hanc lucem effudit uterus; unà & ſub uno inſtructi ſumus monaſticis actibus; unus nos uni Deo commendat ab hac luce exitus; unus omnimodis peto recipiat & claudat terræ matris omnium noſtrum ſinus, quoad uſque veniens nos excitet Dominus. Tandem ubi hunc finivit ſermonem pariter etiam lucem temporalem *, ſubſecutus ſanctum ſuum fratrem

* *Supple* finivit.

trem, & utrique dilecti dilectum præceptorem, olim cœlestibus inhiare monentem, nunc promissis majora exhibentem. Verum quid multis diù hìc hærebimus? Uno decenter reconditi Mausoleo sepulturæ sunt mandati in beati Gregorii Oratorio. Qnod sociale decus adhùc nostris datur & dabitur futuris prospici diebus.

Annotata.

a. Hinc innotescit vera sancti Hildulfi ætas.

b. Ex hoc loco liquet Interpolatorem hujus vitæ esse etiam Autorem libelli de Successoribus Sancti Hildulfi in Vosago; *quod insuper clarè demonstrant prima verba capitis* 1. *&* 2. ejusdem libelli; Sic enim primum incipit: *Penultimo interea jam memorati Domni Abbatis Leutbaldi anno.* Et sic secundum orditur: *Domnus igitur Regimbertus fraterno voto successor Sancti effectus.*

c. Hic quædam intexuit Sammaximinianus exscriptor seu interpolator quæ in Epternacensi & Paderbornensi codicibus mendosè consignata sic meo quidem judicio legi debent: *Beatus ac semper reminiscendus magister Hildulfus ex lubrico hujus vitæ, senatum regni ingressurus, in commune charissimos filios præmonens fraternitatis societatisque sanctæ Congregationis almi præsulis Maximini (ut decebat) tam spiritaliter quam corporaliter meminisse sub Christi Ecclesiæque testimonio, his duobus germanis se secuturos ad cœlestia gaudia innotuit spiritu prophetico. Qui extemplò utrique languore depressi decubuerunt lectulo cum agno victuri.*

d. Hodiedum sacræ amborum exuviæ in una & eadem Theca reconditæ asservantur in Ecclesia Mediani mo-

monasterii, in qua illorum Depositionis festus dies celebratur pridie Calendas Augusti. Sic autem notatur in antiquo ejusdem monasterii Martyrologio manuscripto: *II.° Calend. Augusti, Depositio beatorum Confessorum Joannis Presbyteri & Benigni Diaconi, qui carne & spiritu germani simul migrantes uno conditi sunt mausoleo.* Idem habet Martyrologium Luxoviense.

Vide Ruyr. SS. Antiquit. Vosag. part. III. lib. I. cap. 18. Edit. 1633.

Caput XXII.

INnumeris post mortalitatis hujus evasionem Sanctos ipsos omnipotens majestas nobilitavit miraculis, quibus pateret, quàm bonus thesaurus in agro cordis eorum, dum advixerunt latuit, sed sufficiant pauca subjecta de plurimis. Sub eodem tempore extitit sanctimonialis quædam Himeldrudis nomine, tenuis quidam facultate sed opima fide, quæ sive peccatis exigentibus, sive ut merita horum amicorum suorum in ea manifestaret cœlica virtus, naturalis succi subductione destitutæ gestabat inutile & cruciabile pondus manus aridæ. Hæc sedulò excubans erat in præfato Oratorio, ubi advoluta tumulo eorum subveniri sibi petebat prece, fletu ac gemitu importuno. Igitur Mulierculæ isti nullatenus ab incœptis quiescenti nocte quadam vir astitit fulgidus in habitu monachili inquiens ei: Hilmeldrudis aderit tuæ incommoditati medicina

Plurimis miraculis post obitum claruerunt Joannes & Benignus, quorum aliqua recensentur.

na cœlestis, verumtamen cave de cætero aliquibus implicari flagitiis, ne pereas cum eis. Et manu ejus contrectata, sanavit eam ope præstantissima. Isdem autem vir asseverabat se Johannem esse, penes quem alter junior illo videbatur pulcherrimus stare, qui unà protestabatur velle se inde exire.

Caput XXIII.

ALiud autem miraculum inibi ostensum, ne alicui fortè videatur onerosum succincta narratione est aggrediendum. Non longè monasterio quasi curriculo milliarii vix dimidii degebat nomine Agnes anicula multorum decursione annorum visu multata, quæ gestatorio Aselluli & ductu suorum adire Ecclesiam illam erat solita. Die quadam igitur de more adveniens, seque post expletionem missæ, tumbæ Sanctorum prosternens, orationi diutiùs erat insistens. Extædiatis tandem ejus comitibus precis prolixitate, aggressi sunt à loco eam dimovere, asserentes horam regressionis præterisse. Quæ surgens profitetur se, suos præsentesque cunctos optimè perspicere. Gratulantibus igitur omnibus gratesque Deo referentibus, ipsa per se tunc & deinceps petivit sua, magis magisque æstuans lætificatori suo placere actione recta.

Ca-

Caput XXIV.

TErtium nihilominus ſecundo ſubnectitur miraculo, Poeta quo Dominum cecinit gaudere numero. Quaquaverſùm pervagante horum juſtorum fama quos ſemper habebit æterna memoria. Ex prædio S. Stephani Danorum opus ſolito vocitari, quod corruptè nunc Danubrium * vocitant cuncti, Mortæ fluvii adjacente littori quidam cœcus ſe immiſcens frequentiæ populari hùc properanti, excitus gravi incommodo ſui & ſpe beneficii, affuit cum munere manuali. Nocte igitur precibus impenſa, nec ſperata exhilaratus medela, facto mane obnixè ſatagebat reviſere propria. Sed quid ageret miſerabilis? Quibuſque feſtinantibus ſe reddere propriis, hic ſtupidus hærebat alienis & duplici anxius modo, ſive quod carebat ſperato beneficio, vel quod familiari tugurio vecordium objectus ludibrio. Quidam tamen fratrum manum illi porrigens, ſecùm Viſivallem * uſque deduxit, ubi tandem homo erumpens in querimoniam, miſerabiliter deteſtari infœlicitatem ſuam his verbis cœpit: heu pudet ac piget me miſerum has attigiſſe partes & adeo diffamatos adiiſſe Patronos ac Patres. Divulgabi-

* *Gallicè* Deneuvre.

* *In Paderborn. Manuſcript. legitur:* ad locum qui dicitur Viſiovallis. *Hic locus Gallicè dicitur* Veſeval, *qui tunc*

gabitur cunctis me infœlicissimum & nequissimum mortalium esse, sicut nunc experior & fateor integrè. O quot & quanti parili vehementiorique infortunio detenti per Sanctos illos optata sunt adepti. Nunc me unum uti perspicuum est in fœlicissimum redire contingit absque effectu voti. Hæc atque hujusmodi plura animosis cum prosequeretur querelis, obtinente præstantissima ubivis præsentia amicorum Dei *unum effectorum* ** cum illo & in illo qui ubique præsens & potens existit, in loco ex proventu genuino Coriletum *** vocitato, detersa caligine cœcitatis, se sibi liberum ducem itineris redditum ex inspirato sensit, ac oblitus querelæ jugis, verbis affectibusque mutatis, repentè duci suo gratulabundus inquit: Video te sylvasque hinc inde & in cunctis me sentio compotem viæ. Totis itaque animis ingentes gratiarum actiones divinæ omnipotentiæ efficacibusque Sanctorum, quos miserrimus adii, meritis refero, quod nunc * mihi donatum agnosco. Lætus ergo frater lætum, dimisit ad sua, ipse cœnobii repetens claustra: utrique lætos efficientes hic monachos, ille populos, ubi narrarunt gesta in via. His innumerisque aliis miraculis hactenus locus idem divinæ dignationis opitulante munere claruit, quæ pro sui copia, scripto-

ex loco Mediano per sanctum Prajectum transeundum erat; quia antè constructum oppidum Ravonense, aperta non erat via illa quæ Cavata Ravonensis dicitur, vulgo la Chavée de Rauon.

** *Fortè* suum effectum.

*** *Locus Corylis abundans Visrvallo vicivicinus.*

* *In Paderborn. & Eptern. Manuscript. legitur:* me mihi,

ptorum quoque inopia ac lectorum socordia prior ætas aut funditus attingere exhorruit, aut vix alicujus incultæ argumentationis exemplari notificare saltem extrema posteris valuit, vel voluit. Ipse verò manus dare inobedientiæ veritus qualicumque lectione mihi compertâ latere futuros minimé sum passus.

Annotata.

Hìc desinit in Medianensi manuscripto tertia S. Hildulfi vita quam immediatè consequitur sermo seu concio quædam Interpolatoris in depravatos sæculi sui mores invehentis & Medianenses Monachos haud dubiè confrattes suos, ad beatissimi Patris Hildulfi & sanctorum illius discipulorum imitationem exhortantis. In Epternacensi verò & Paderbornensi codicibus deest illa concio & breviter terminatur eadem tertia Sancti Hildulfi vita his verbis: *Siquis verò librum miraculorum super hac transcurrere studuerit, evidentissimis agnoscere indiciis poterit, quantus hic beatus Pater noster Hildulphus extiterit, qualesque viros dictante Spiritu Sancto sancta Ecclesia educaverit.* Tum subditur in Epternacensi manuscripto: *Explicit vita Sancti Hildulphi Trevirorum Archiepiscopi. Incipit liber miraculorum ejusdem.* In Paderbornensi autem manuscripto: *Explicit vita Sancti Hildulphi Trevirorum Archiepiscopi. Incipit libellus alius de Successoribus ejus in Vosago.* Cæterùm unus idemque est *liber miraculorum* & *libellus de Successoribus*, ut ex iisdem manuscriptis liquidò patet.

Quod suspicati sunt Riguetius & Papebrochius, * eundem videlicet esse vitæ S Deodati & tertiæ hujus S. Hildulfi vitæ Autorem seu Interpolatorem, nos certum & indubitatum arbitramur; nam præterquam quod in utraque

* *Ad cap. IV. vitæ S. Deodati 19. Junii.*

Domini Deodati ad Galilæam tertio * , semper imitandus Pater Hildulphus (Archiepiscopatu Trevirorum abrenuntiato) semet ad commoriendum Christo addicens huic aridæ eremo, dulcissimus vicinus & pacatissimus affinis accessit suo Deodato. . . . . .

* Imo facile decimo tertio Bolland.

15. Beati ac semper reminiscendi Patres Hildulphus & Deodatus in eremo (ut optaverant) vicini facti non dormitaverunt : sed alacriter vigilaverunt erga custodiam amoris mutui atque sinceri, tanto familiores affecti, quanto viciniores sibi Ut enim ampliorem splendorem vel ardorem suscites si luminare luminari, vel ignem igni adjicias : sic sanctis viris ex vicinitate, visione & collocutione amicabili crevit sancta caritas. Quibus quamvis maxima jucunditas esset simul semper conversari & esse, indignum tamen erat tantos hospites velut duo mundi clarissima luminaria sub unius cellæ angustia latitare, cum vix caperent singulos singulæ; præsertim quia plurimos ad Deum poterant secum ducere. Unde carissimi Pontifices statuerunt semel in anno (dum in hac vita manserint) alter alterius cellam invisere atque ibi sub noctem permanere, quam insomnes totam in sanctis colloquiis & divinis laudibus solebant expendere: di-

Singulis annis sese invisunt sanctissimi Pontifices.

diluculo autem ad ſuam redire. Porro diſcipuli eorum intercurrebant & velle ac nolle ſeu poſſe alterius alteri intimabant. Et Dominus quidem HILDULPHUS non procul à cella cum ſuis occurrebat venienti ad ſe Domino Deodato & ſuis; quem data manu ducebat ad orationem ſecundum antiquorum Patrum conſuetudinem & inſtitutionem ſanctiſſimi Benedicti Abbatis; ſicque pariter oratione fuſa ſalutabant ſe invicem cum ſpirituali gaudio & tum demum ſociabantur ſibi in ſancto illibatæ pacis oſculo & in reliquo caritoſæ affectionis officio.

16. Idem piiſſimus Pater Deodatus devotiſſimè faciebat cariſſimo ſuo HILDULPHO, cui cum ſuis occurrebat Morta * tranſito; nam quoad vixit cellam priorem apud ſancti Martini oratoriolum non deſeruit; vir quippe erat grandævus, emeritæque militiæ Chriſti jam veteranus, nec poterat ſufferre populares concurſus fratrumque intereſſe ſtudiis exterioribus; maximè quia nil dulce habebat niſi vacare & videre quoniam ipſe eſt Deus, & guſtare & videre quoniam ſuavis eſt Dominus. Staturâ quidem ut fertur proceriſſimus, formâ elegantiſſimus, cordeque clementiſſimus: ſed jam nimio labore & annis confectus erat & incurvus. Qui interdum ad fratres operan-

* Gallicè La Meurte.

S. Deodati ſpecies.

rantes transibat, atque considerato ac dispo-sito opere singulorum ad cellam noctu redibat. Unde etiam hodie demonstratur semita qua solebat monasterium adire apud Juncturas. At contrà HILDULPHUS staturâ medius, facie Angelicus, mente compunctissimus, voluntariæ paupertatis amicissimus: quem promptum & alacrem ad omne opus bonum reddebat adhuc viridis senectus & in Deo suspensus animus; nam etiam in extremis vitæ suæ annis labore manuum suarum vixit. Moribus quidem ambo pares, alter alterum sibi invicem præferebat, & humillimus quidem HILDULPHUS sanctissimum senem Deodatum ex famulatu Christi & emerito senio priorem censebat: sed devotissimus omnipotenti Deodatus in juniore HILDULPHO dignitatem Patriarchii atque morum maturitatem attendebat. . . . . . B. Hildulfi forma.

18. Tandem ubi in hac Vosago pariter in corde uno & anima una septem continuos expleverunt annos cum sex mensibus, largus remunerator Deus, beatissimo Deodato decrevit laborum suorum reddere fructus. Percurso enim præsentis vitæ stadio, jam strenuus Athleta inhiabat coronæ & supernæ remunerationis bravio; unde vocatus à Domino, accessu languoris correptus detinetur lectulo. . . B. Deodatus in morbum incidit.

 19.

19. Super hoc facto & tam sancti viri obitu, dilectissimus ejus Hildulphus in visu noctis divinitùs commonetur, ut ad eum properaret quantociùs; decebat enim ut amicus amico ad Deum præcedenti extremum vale diceret, sui non oblivisci devotè supplicaret, commendationem Ecclesiasticam faceret, viaticum præberet; os & oculos, manus & pedes ejus ritè componeret, funus ejus debita veneratione procuratum deduceret atque in sepulchro cautissimè collocaret. Quæ cuncta Deo volente à Domino Hildulpho constat circà piissimum Patrem Deodatum impleta. Nam ut evigilavit ad beatum quantocius, sicut à Domino jubebatur properavit, quem adhuc vivum reperit. Cujus optato visu Sanctus recreatus, vehementer est in Domino gavisus, qui famulo suo Hildulpho ejus obitum revelare & eum ad suum funus curandum destinare est dignatus. Nec morâ discessurus ab hac vita, ad suscipiendum regimen ovium, quas ibidem hactenus nutriebat obedientia & caritas, superstitem amicum compulit, suisque mandavit ut Domnum Hildulphum vice sua Patrem retinerent quamdiu vixerit. Hinc communiter jam omnibus, quæ carissimus carissimo istinc proficiscenti debebat à Domino Hildulpho expletis, inter ejus ma-

A S. Hildulfo invisitur, cui gregem commendat.

manus animam ſanctam multa prece Deo commendatam, innumeris & continuis laboribus pro Dei regno & juſtitia ejus exercitatam & elimatam, plurimiſque virtutibus refertam & adornatam, lætiſſimus cœlo refudit, ſed lætior futurus in perventione, qua Deum facie ad faciem ſine fine videre promeruit. . . . . Animam Deo reddit.

21. Itaque vir Dei HILDULPHUS ſic paruit extremæ petitioni defungentis amici, ut viginti octo annis & dimidio, quibus illi ſuperſtes fuit in ſæculo, invigilaret ejus gregi; per præpoſitos adminiſtrans utilitatem iſtius loci, & quamvis pro ſe Abbatem ſuæ Congregationi præfecerit (quia deſiderio ſupernæ contemplationis accenſus exterioribus negotiis occupari refugerit) tamen Vallem Galileam à cura ſua non expunxit, quamdiu in hac luce manſit. Vis enim perfecti amoris erga ſanctiſſimum Deodatum faciebat ei tolerantiam laborum. Nec laceſcebat ad curandum aliena, qui præ laſſitudine alii impoſuerat ſua; quia quod recuſabat ſufferre imbecilla ſenectus & ſoli Deo vacare cupiens animus, deſiderabiliter amplexabatur fraternæ dilectionis affectus & ſanctæ obedientiæ virtus; tanquam jugiter ſic ſe ipſum adhortaretur: qua fronte ibis ad amicum, ſi ejus ultimum refutaveris mandatum? B. Hildulfus curam monaſterii Vallis Galileæ ſuſcipit.

Pro

Pro cujus perenni vita in cœlis & gloria, primo depoſitionis illius anno cœnobium Vallis Galileæ multoties adire ſolitus, frequentabat ad ſanctum corpus Miſſarum ſolemnia ; ſciebat enim ſcriptum : Neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit , ſed omnia in futuro reſervantur incerta . . . . .

Frequenter ad illud vadit, & ſalutarem hoſtiam offert pro S. Deodato, cujus tunicam reveretur.

22. Elapſo tandem anno à glorioſo obitu Domini Deodati , in quo Beatus Patriarcha Hildulphus aſſidua viſitatione & frequenti immolatione ſalutaris hoſtiæ curabat prodeſſe ejus ſpiritui, deinceps priſtinam inſtitutionem reſumpſere fratres utriuſque loci. Denique ut priùs ſemel in anno ſolebant ſancti Antiſtites ſuas cellas invicem viſitare , ſic poſtea ſtuduerunt facere. Sed viro Dei inviſenti Vallem Galileam , vice Domini Deodati occurrebant ejus diſcipuli, præferentes tanti Magiſtri tunicam, quam reverenter ſuſceptam ſanctus Pontifex tanquam dulciſſimum pignus amici exoſculans amplexabatur, & in veſte nomen Sancti illius dulciſſimè venerabatur , eumque in ea ſibi videre videbatur. Hoc ipſum faciebat, quando placito tempore ea à diſcipulis Sancti ad Medium monaſterium referebatur. . . . . Sed cum viri Sancti temporalis vita in multos annos Deo diſponente tenderetur, quatenus ejus exemplo ad æternam

nam vitam plurimi accenderentur, factum eſt ut circà ultimos annos Senio jam prægravatus & fractus, continuatoque labore debilitatus, cellam ſuam nec ſolitæ viſitationis gratiâ egrederetur; non tamen ideo diſcipuli beatiſſimi Deodati prætermiſerunt ad eum ferre tunicam Magiſtri ſicut erant ſoliti.

23. Cumque divina miſeratio emeritum militem ſuum HILDULPHUM à nimio labore decreviſſet in æternum requieſcere, per dilectiſſimum ſibi Deodatum dignatus eſt eidem tranſitus ſui diem denuntiare, & ut ſatageret ambas eorum cellas (ſicut res poſcebat) diſponere. Unde vir ſanctus multum in Domino eſt lætatus, quia ex turbulento conflictu mundi ad perpetuæ pacis tranquillitatem mox erat iturus, ubi omni lacrymâ ab oculis ejus abſtersâ perpetim conſolaretur. Itaque fratribus ſuæ cellæ deſignato Abbate Domno Raimberto, valli autem Galileæ Domno Marcinanno, emicuit ab hoc exilio ab Incarnatione JEſu Chriſti anno ſeptingenteſimo ſeptimo. . . .

A B. Deodato præmonitus moritur.

24. Deinde tam ſanctorum deceſſorum idonei Succeſſores Raimbertus & Marcinannus caritativam ſocietatem à ſanctiſſimis Magiſtris ſuſceptam & ſibi quaſi lege hæreditaria relictam non imminuerunt, verum potius

Monachi utriuſque monaſterii pro ſe invicem orant.

augmentaverunt. Quod utique ex Breviariis vel Singraphis illius temporis hactenus monstrabatur, in quibus nomina Fratrum utriusque Monasterii tam defunctorum quam & vivorum diligentissimè annotata & altaribus superposita conservabantur; pro quibus in Missarum solemniis verissimè dicebatur, quod sic in libris Sacramentorum passim reperitur: *Et quorum nomina super sanctum Altare tuum scripta adesse videntur.* Intereà à devotissimis discipulis inviolabiliter fuit observatum, quod à piissimis Magistris recolebant traditum, videlicet ut semel in anno & isti inviserent cellas eorum & illi istorum, tanquam præcipua pignora præferendo tunicas magistrorum (siquidem & discipuli Domni HILDULPHI ipsius tunicam retinuerant sibi) quibus cum tanta devotione occurrebatur & tanta veneratio exhibebatur, ut dulcissimi patres ad filios rediisse post longa sæculorum volumina crederetur.

Semel in anno sese invisunt, Sanctorum tunicas sibi invicem deferentes.

25. Quod si peccatis facientibus cœlestis ira in populum grassaretur, & siccitate seu nimia imbrium refusione, aut pestilentia vel qualicumque plaga feriretur: mox hinc inde conglobatus conventus tunicas patronorum suorum cum luctuosis precibus offerebat & ingerebat divinis obtutibus, moxque removebat

Illarum objectu plagæ divinæ cessant.

bat pietas quod promeruerat impietas; Nam contra deſævientis flagelli impetum tantum valebant Sanctorum merita & plebis fides, ut nec mora miſericordiſſimus conditor juſti Judicii ſui ſeveritatem à populo cohiberet. . . . Jam perpendamus ſi poſſumus quid meriti vel virtutis habuerint horum Patrum noſtrorum ſanctæ animæ interius, quorum viliſſimæ tunicæ oculis Dei repræſentatæ exterius, à populo pleno peccatis ſuſpenderent iram ejus.

26. Ergo hæc conſuetudo tam pia & religioſa integerrimè conſervata eſt inter hæc duo cœnobia, donec ſancta corpora plurimis miraculis declarata ſublevarentur de terræ gremio, divina diſponente gratia. Tunc quod conſueverant facere in tunicis Sanctorum uſque ad hæc noſtra tempora *a.* conſervarunt in corporibus eorum: cum eis invicem ſe viſitando aut ſibi complacito loco dulciter occurrendo; ubi inter ſe pias commutando ſarcinas, aliquandiu velut proprios Dominos geſtare amant: nec quemlibet eorum à ſe credit alienum, quando concio Vallis Galileæ Beatum Hildulphum recognoſcit ſuum, utpotè viginti octo annis & dimidio ſibi prælatum. E diverſo plebecula Medii monaſterii inſignem Confeſſorem Deodatum vendicat ſibi, cui

a. Corpora Sanctorum elevata in mutuis viſitationibus præferunt Monachi uſque ad tempus hujus Auctoris.

Domnus HILDULPHUS attribuerat prioratum ſui loci, inibi eum digniſſimè ſuſcipiendo dum advixit, & nihilò minus tunicam ejus poſtquam obiit. Super hæc etiam accumulant eorum caritatem mutuam, quâ effectum eſt ut omnia illis forent communia, ſicut Philoſophica inſinuat ſententia: vicinorum pleraque ſunt communia,. amicorum verò omnia. Quocirca ſicut tunc ſolebant mutuò ſuſcipere horum Sanctorum tunicas ſcilicet corporum Exuvias, ſic nunc quoque ſuſcipiunt eorum corpora animarum utique Exuvias, quorum per meritum pax
b. nobis *b.* nunc & in ævum.

Annotata.

a. Cum Auctor ſeu Interpolator vitæ S. Deodati ex qua hæc de prompſimus, unus idemque ſit ac Autor ſeu Interpolator tertiæ vitæ Sancti Hildulfi, qui etiam libellum *de Succeſſoribus ejus in Voſago* conſcripſit, ut ex præcedentibus liquet, illius tempora ad initium ſæculi XI. referenda eſſe ex dicendis infrà ad Annotatis ad ejusdem libelli caput XIII. conſtabit.

Riguetius hanc ſancti Deodati vitam ſcriptam fuiſſe putavit, antequam Canonici introducerentur in cœnobio Vallis Galileæ; quod ut verum ſit, tardiùs tamen interpolari potuit, abſque eo quod de Canonicis ulla mentio fieret; cum primarius ejus auctor locutus non fuerit niſi de tempore quo conditum & à monachis inhabitatum fuit prædictum cœnobium.

b. Præfato Riguetio etiam viſum eſt Interpolatorem ejusdem S. Deodati vitæ monachum fuiſſe Vallis Galileæ, ex

ex eo quod de dicta valle & monasterio ejus loquens dicat semel *hanc Vallem* & semel *hujus monasterii*. Verum 1.° præmissis in narratione *Vallis Galileæ* & *Monasterii* nominibus nihil obstat, quin posteà pronominibus demonstrativis *hanc* & *hujus* uti potuerit præfatus auctor, quamvis ipse alterius monasterii ac loci foret. 2.° Nunquam sancti Deodati monasterium *nostrum*, neque Vallem Galileam *nostram*, aut aliàs possessivis pronominibus appellat. 3.° Iste vitæ S. Deodati interpolator unus idemque est ac Interpolator vitæ S. Hildulfi & autor libelli de Successoribus ejus in Vosego, ut prædictum est; at nemo dubitat, quin postremus hic auctor fuerit Mediani cœnobii monachus.

Quantum autem nobis conjicere licet Medianensis ille Monachus fuit Walcandus à Ruyrio non semel laudatus; cum enim eodem Ruyrio teste * jam vixerit hic autor anno M. III. quo jubente Ducissa Lotharingiæ Beatrice, corpus B. Deodati è tumulo levatum fuit, potuit adornatam posteà à se ejusdem Sancti vitam Valdrado Sandeodatensi Præposito dirigere, & incœptam pluribus ab annis Canonicorum sæcularium in cœnobio Vallis Galileæ introductionem, circà annum verò 996. omninò stabilitam videre, uti vidisse comprobatur ex prolatis à præfato Ruyrio ** duobus ejusdem Walcandi testimoniis, quorum primum sic habet: *Tutor ille egregius* *** *dicti Henrici Lotharingiæ Principis auctoritate hujusmodi & quâ plurimum pollebat apud summum Pontificem, multis ultrò citròque perpensis rationibus obtinuit, ut interventione Helduini Cardinalis, sæculares tantisper adhiberentur in ministerio Ecclesiæ sancti Deodati, donec aliter disponat, qui cuncta regit suaviter Deus.* Secundum autem tale est: *Institutiones Canonicorum sæcularium in cœnobio sancti Deodati sicut præmisimus incœptæ, vix obtineri secunda confirmatio per quinquennium potuit, propter varias ut credibile est Pontificum Romanorum hujus sæculi factiones: quamvis non defuerint qui hoc negotium in Romana curia modis omnibus satagerent. Adeò res novæ gravesque motio-*

* *SS. Antiquit. Vosag. part.* III. *cap.* XIX. *Edit. an.* 1626.

** *Ibid. cap.* XIV.

*** *Otto Ricuini Comitis filius.*


nes difficilem sortiuntur effectum. Diutino tamen post tempore nempe circa annum Domini 996. Gregorius hujus nominis quintus è Saxonia oriundus, præfata Ecclesia rem omnem in statu quo nunc cernitur erexit, ac Præpositura, personatus insuper seu dignitatis ejusdem titulis insignibus nobilitavit.

Spem fecerat hic vitæ sancti Deodati Interpolator, se ex miraculis ejusdem Sancti aliqua posteris (si Deus daret) transmissurum. * Illum promissis stetisse credimus & quemadmodum libellum de miraculis Beati Hildulfi conscripsit, qui aliàs *de Successoribus ejus in Vosago* inscribitur: ita etiam libellum de miraculis à sancto Deodato succedente tempore patratis, simulque de successoribus ejus in Valle Galilea composuisse opinamur, cujus exemplar præfatus Ruyrius habuerit, sed ita mutilum & obliteratum ut ex illo paucissima depromere potuerit.

* *Cap.* IV. *sub finem.*



HISTO-



HISTORIA MEDIANI IN VOSAGO MONTE MONASTERII

PARS SECVNDA.

Continens veterem de Succeſſoribus Sancti Hildulfi in Voſago uſque ad initia ſæculi xi. libellum, notis illuſtratum.

Ex Paderbornenſi Manuſcripto Codice cum Epternacenſi collato.

INCIPIT LIBELLUS ALIUS DE SUCCESSORIBUS EJUS IN VOSAGO.

Caput I.

PEnultimo interea jam memorati Domni Abbatis Leutbaldi anno, ab Incarnatione

Corpus S. Bonifacii Mediano monaſterio infertur.

ne verò Domini noſtri JEſu Chriſti ſeptingenteſimo tertio, venerabile corpus ſancti Bonifacii Martyris ablatum trevirorum populo, divinitatis ope illatum eſt Mediano cœnobio.

a. *a.* Sicut enim Victor & Urſus cum aliquot Caſtrum Solodorum *, beatus Gereon cum ſuis etiam trecentis decem & octo, Mauri quoque quingenti Agripinenſem Coloniam: ſic & hic prætioſus Chriſti Martyr cum aliis ſuis trecentis pervenit Trevirim; corpore non corde ab eadem qua & prædicti Martyres Thebea legione ſubtrahens ſe interim, cum apud Agaunum darentur victimæ ſub Herculio Maximiniano Cæſare. Omninò tamen credendum eſt conſtantiſſimos teſtes Chriſti poſtmodum factos, citæ mortis ſententiam non tam voluiſſe vitare, ubi juxta veritatis juſſum in iſta civitate perſecuti in aliam cuperent fugere: quam paſſim per barbariem Galliarum ſparſos divinitatis mira diſpoſitione, ne unius loci clauderet anguſtia tot & tam præclara Sanctorum Martyrum millia. Ubi tandem Treviris, ſcilicet agonis ſui curſu feliciter emenſo, capitali cum ſociis ſuis

b. multatus ſententiâ, propter pontem *b.* fluminis qui adjacet oppido, deſiderabili commercio nanciſcitur æternitatis compendium ob temporalitatis diſpendium. Qui vilibus mandati buſtis

* *Alias Salodurum oppidum Helvetiæ gallicè* Soleure.

bustis à Christianorum populis rabiem pertimescentibus Gentilitatis, post plurimorum curricula annorum honestè reconditi, jacent in quadam Basilicæ sancti Maximini Cryptella. Et hoc peractum Beati Patroni nostri HILDULPHI vigilantiâ. Delatas ergò præfati Martyris Reliquias ad Medianum monasterium multis temporum curriculis servavit quoddam vetus sancti Martini Oratoriolum à dextris templi locatum, donec funditùs memoriæ fuisset subtractus mortalium; cujus inventio quia minimè prætermittenda est silentio, enucleatius subscribetur suo loco.

Beati Bonifacii & Sociorum ejus corpora S. Hildulfus transfert in cryptam Basilicæ divi Maximini.

Annotata.

a. Venerabile illud sancti Bonifacii corpus, quod à mille & amplius annis in Mediano monasterio asservatur & colitur, tanquam unius ex Centurionibus Thebeanæ illius cohortis quæ Treviris Martyrium passa dicitur, non mediocriter confirmat ejusdem passionis & Martyrii historiam. Scripsit autem ut inferius ostendetur huius libelli Anonymus Author, quinquaginta saltem annis priùs quam corpora quorundam ex Thebæis illis Martyribus reperirentur in Crypta Basilicæ sancti Paulini *; quod *anno duntaxat M. LXXII. sub Udone Archiepiscopo Trevirensi* contigisse tradit Browerus Annal. Trevirens. lib. XII.

* *Aliàs* S. Mariæ ad Martyres.

In tabulis in eadem Crypta repertis & à Browero ibidem vulgatis non legitur quidem divi Bonifacii nomen: sed id minimè mirum videri debet; nam primo nullius alterius Centurionis, Decurionis vel militis ejusdem cohor-

hortis nomen in iisdem tabulis reperitur, unico illorum omnium excepto Duce, qui Thyrsus vocabatur. Secundo longè ante confectas has tabulas ad Medianum monasterium translatæ fuerant sacræ divi Bonifacii Exuviæ, sicque nomen illius in iis apponi nec potuit nec debuit. Tertio non omnium Thebeanæ hujus cohortis corpora recondita fuerunt in eadem Basilicæ Paulinianæ crypta, in qua tredecim duntaxat reperta sunt, partim ex sacra illa militia, partim ex Senatorio Trevirorum ordine, ut loquitur idem Browerus in Annal. Treviren. ad an. Christi 1071. Quarto denique præfatorum Martyrum pleraque corpora Beatus Hildulfus ad novæ quam condiderat Ecclesiæ Sammaximinianæ cryptam transtulit; ut ex sequentibus Anonymi nostri verbis patet: *Et hoc* inquit *peractum Beati Patroni nostri vigilantia.* Id ipsum expressè tradunt, tum Ruyrius Antiquitat. Vosagen. lib. III. cap. VIII.; Tum Browerus ad an. Christi 758.; tum denique Pater Theodorus à cruce monachus è Congregatione nostra in manuscripta Sancti Hildulfi vita, quam anno 1628. composuit, & in qua manuscriptam pariter citat Historiam cujusdam Philiberti à Tinctorivo vulgo *de Teintrux* quam nullibi reperire hactenus potuimus.

b. Bonifacius cum Centuriæ suæ militibus propè pontem occisus hic dicitur, unde in Sammaximinianam cryptam postea illatus est. Thyrsus autem cum reliqua cohorte Martyrium subiisse fertur, juxta locum in quo deinde extructa est Basilica Pauliniana, ubi nunc quiescit & colitur.

Cæterum divi Bonifacii nomen reperitur tum in antiquo illo Ecclesiæ Trajectensis manuscripto codice, quem Surius exhibet ad diem V. Octobris, tum in aliis a Browero citatis manuscriptis, illiusque memoria magna cum veneratione semper retenta & conservata est in Mediano monasterio, in quo festum illius solemniter celebratur singulo quoque anno, die 22.ª mensis Septembris; Sic-

que

que annotatur in antiquo ejusdem monasterii Martyrologio manuscripto: IX. *Calend. Octobris; Medii monasterii, Repositio Corporis Beati Martyris Bonifacii in Thebea Legione apud Trevirim cum sociis suis Martyrisati, sub Maximiano Caesare.* Et in Luxoviensi: *In Mediano monasterio: Sancti Bonifacii Martyris.*

„ *Ea etiam tempestate quemadmodum scriptura relatu advertere quivimus* (inquit Joannes à Bayono *) *sanctissimos artus venerabilis Maximini quidam hujus cœnobii Mediani monachus, sub chrismate dictus Warengarius, factiosè subduxit Treverensibus, ac* III.o *nonas Aprilis intulit ipsius Ecclesiæ mœnibus. Utrum verò in præsentiarum tanto locus idem privatus sit patrono? an forte aliquo celet abdito? nondum nobis ulla notificavit lectio.*

* Cap. III.

Corpus S. Maximini Trevirensibus subductum, & Mediano monasterio illatum.

Hodie in Medianensi Ecclesia servatur corpus sancti Maximini (capite & quibusdam ossibus demptis) in decenti scrinio repositum, sed quando & ubinam post Joannem à Bayono repertum fuerit, ignoramus. Vix autem à Trevirensibus auferri potuit ante Normannorum devastationem, quæ Treviris contigit anno 881. & in qua teste Browero * omnes à Beato Hildulfo positi templi destructæ sunt notæ, tota deleta familia Sammaximiniana, omnisque cœnobitarum interfectus est cœtus. Pium Warengarii latrocinium supra laudatus Philibertus à Tinctorivo differt ad annum 959., ut testatur præfatus noster Theodorus à cruce. contrarium verò non indubitanter affirmat Joannes á Bayono, si ante relata ejus verba diligenter expendantur. Ejusdem latrocinii non meminit Anonymus author hujus libelli. An quia tunc recenserat & adhuc occultandum censebatur? quis nobis aperiat?

* In Annal. Trevir. ad an. 338. n. 44.

In descriptione sanctarum Reliquiarum Ecclesiæ Sammaximinianæ â Scheckmanno ejusdem monasterii cœnobita circa annum 1517. exarata, sequentes duntaxat numerantur divi Maximini reliquiæ *: *Caput sancti Maximini Archiepiscopi. Magna pars pallii B. Maximino à Roma directi,*

* In vita sancti Maximini

apud Bolland. die XXIX. Maij.

ni. De crinibus B. Maximini. Sed fortè folas illas describere voluit Scheckmannus Reliquias, quæ annuatim aut saltem de septennio in septennium ostenduntur populo.

Inter festa propria Mediani monasterii, quæ Ruyrius ex antiquo ejusdem monasterii Martyrologio manuscripto deprompsit ac vulgavit, neque Depositionis neque Translationis divi Maximini festa leguntur: sed veremur, ne præfatus Auctor vel in propriis hujusmodi festis recensendis non satis accuratus fuerit, vel prædicta divi Maximini festa pro propriis Mediano monasterio festis non habuerit; nam in illo celebrantur ab immemorabili tempore.

Caput II.

* *B. Hildulfo succedit* REGIMBERTUS *anno* 707.

DOmnus igitur REGIMBERTUS fraterno voto successor Sancti effectus *, annis non minus quinquaginta dispositione utriusque stipendii vitæ cœnobitalis laudabiliter est functus, quemadmodum approbatur Chirographis cautis Regum temporibus. Hujus denique diebus Theudelinda illustris Matrona, respectu tremendi examinis compuncta, consensu comparis sui, vinculi conjugalis resolvit pacta, atque melioris mariti uxor effecta, sub sanctimoniæ velamine Christo est dicata; Quæ benevolentia protinus annuente Ruperti * relicti conjugis, nostro loco honorabile prædium *Ahenaim a.* vocatum contradidit. Tunc etiam quidam spectabilis vir nomine Gumbertus filius Trupperti in alio præ-

Prædii Ahenaim, aliàs Ebenheim, seu Niderebenheim traditio.

**Aliàs* Ricperti.

a. *Portionis prædii de Hindinisheim concessio.*

prædio *Hundinisheim b.* agnominato, portionem sui juris contulit. In quibus præfatus Abbas duas Basilicas construxit, priorem in honorem sancti Maximini Trevirorum Præsulis: alteram in honorem sancti Petri Apostolorum Principis, *c.* atque vitæ suæ curriculo emenso, quinto Calendas Februarii lucis istius usu caruit.

b. REGIMBERTUS Abbas duas Basilicas construit, unam in *Abenaim*, alteram in *Hundinisheim*.

c.

Annotata.

a. Hodie *Veltkirch*, ob adjacentem huic prædio Ecclesiam (quam Regimbertus Abbas in honorem sancti Maximini construxit) vulgò nuncupatum. Est autem hæc eadem Ecclesia parochialis vicini oppidi *Niderehenheim* * dicti, distatque ab urbe *Oberehenheim* ** quæ una est ex decem civitatibus Imperialibus Alsatiæ, duobus circiter milliaribus.

* Gallicè *Nidernay*.
** *Obernay*.

b. Aliàs *Hündisheim.* *** Pagus est in Alsatia inter oppidum *Erstein* & civitatem Argentoratensem media quasi via situs, cujus Ecclesia parochialis est ea quam in honorem sancti Petri Principis Apostolorum idem Regimbertus Abbas ædificavit.

*** *Hindsay*.

c. Addit Joannes á Bayono * alias insuper tam Mediano monasterio quam Cellulis ipsius *Hobach* cessisse possessiones. quas his vocabulis designat *Marinivilla, Rodulphivilla, Acervala & in confinio Bettomaco atque Brundusiaco pariterque Fredesiaco, & in pago Elisacensi villâ Ronteneriâ nonnihil fundi, quamplurimisque aliis in locis.*

* *Lib. 2. cap. 9.*

Quænam sint illæ Mediani monasterii Cellulæ *Hobach* dictæ, nobis non constat. Vocem *Hobach* pro *Horbach*

mendosé positam suspicamur. *Horbach* autem est fluviolus à monte *Hor* emanans, juxta cujus decursum duæ olim existebant ad Medianum monasterium pertinentes Cellulæ : nempe Cellula sancti Joannis de Hormonte alias Hurimonte dicta, & Cellula sancti Erardi in Vico de Horbaco seu Hurbaco sita.

* *Aliàs* Mariviller.
** *Aliàs* Raviller.

Murinivillam & Rodulphivillam existimamus ea esse Alsatiæ loca, quæ vulgo Amerschvir * *&* *Roschvir* ** dicuntur. Possessiones prioris jam dudum abalienatæ fuerunt. Quæ verò posterioris erant, saltem magna ex parte Medianum monasterium sibi huc usque retinuit.

Acervala haud dubiè est *Aizerailles*. Cætera verò quæ hic enumerantur loca nobis prorsus ignota sunt.

Caput III.

Sundrabertus Abbas anno 757.
a. Madalvinus *aliàs* Maldawinus Abbas an.

SUcceſſit eidem non impar studio & moribus Sundrabertus & huic post viginti & eò ampliùs annos *a* strenué decedenti succeſſit Germanus ejus Maldawinus, qui mundanis dudum involucris expeditus monasticæ tranquilitatis expetiverat littus, quique laudabili studio præeminuit præfatis duobus. Arcam denique super beatos Patroni nostri Hildulphi artus fabricari instituit, quam etiam honorificè auri argentique metallis adornavit. * Pari modo oondecoravit sanctarum Reliquiarum feretrum, cum scriniolis, cum thuribulis, cum candelabris. Fecit & ca-

Arcam super B. Hildulfi artus fabricat.

* *Vide Commentar. prævium* §. VI. n. I.

calicem maximum nomine suo insignitum, nostræ pauperiei adhuc reservatum. Hic decori ararum Beatæ Dei Genitricis sanctique Petri aptans tabulas, prætiosis metallis insignivit ambas, multaque hujusmodi reliquit loco suæ industriæ credito monimenta. Ipse quoque suaptè prædium *Petri scamuum* nuncupatum juri nostri cœnobii contradidit, cum aliis quibus tam sua quam devota fidelium collatione c. illud ampliavit. Defungitur itaque tertio Idus Martii, cum regiminis ejus anni acutula argumentatione vestigati vix reperiantur duodecim.

Donat prædium Petri scamnum vulgò *Pechone* in Comitatu Salmensi. c.

Annotata.

a. & *b.* ex utroque hoc loco satis apparet Anonymo hujus libelli Authori non constitisse quot annis precise Mediano monasterio præfuerint tum Sundrabertus, tum Madalwinus.

In manuscripta Mediani monasterii historia, quam Joannes á Bayono composuit, legitur Sundraberto post triginta & eo amplius annos decedenti successisse Madalwinum, Remque se ita habere nisi supponamus, eidem Madalwino non XII. sed XXII. Regiminis anni tribuendi erunt, nam fortunatus Patriarcha successor illi datus à Carolo Magno, neque in Franciam venit, neque ad præfatum Principem accessit ante annum 803. ut ex infra dicendis patebit.

Vide Commentar. prævium §. III. n. VII.

Sundrabertus tam pro se quam pro suo monasterio societatem iniit cum Augiensi cœnobio, ut videre est in

in veteribus Analectis Mabillonii tom. IV. pag. 642. & 644.

c. Per id tempus (inquit *Joannes à Bayono*) *nonnullis Religiosorum donationibus locus hic auctus fuit: apud Lenbulceras* 1. *videlicet*, *Altam Petram* 2., *Oblionem Montem* 3., *Respalium* 4., *atque Rantgisicortem* 5., *diversisque in locis possessionibus concessis.*

1. 2. *Autrepierre.* 3. *Mont. Mouffey.* 4. *Repas* forté *Rechicourt.*

Caput IV.

EXtemplò in electione successoris multitudini fratrum surrepsit discordiæ bilis: sed prævalentibus beati viri hujus meritis, insperatò divinæ clementiæ jubar ab oriente *a.* destinatur illis. Nam cum bifariam scinderentur mutuæ dissentionis pertinacia ducti, ambarum partium priores pariter ad Principem pervenere Carolum. Ubi pacificus Princeps sedatu difficile monachorum persensit litigium, concordiæ providere gestiebat quam plurimum. Mira autem dispositione divinitatis repertus est ibi FORTUNATUS Patriarcha venerabilis, qui gratia salutandi famosum Principem (visendique loca Sanctorum, quos fama excurrente didicerat, ab Jerosolymis *b.* peregrè digressus erat. Is denique ante aliquot annorum curricula animadvertens apud Aaron Regem Persarum pluris haberi amorem Caroli quam quorumcumque Principum, quod etiam patefecerat dirigendo ei solum quem

a. Medianensium Monachorum discordia in electione Abbatis.

b.

quem habebat Elephantem, per Diaconem reliquias ligni passionis, seu inter homines non nullius conversationis Domini nostri JEsu Christi transmiserat illi, multaque prece contestatus exegit ut prædicto Aaron legationem per suos inferret hujusmodi: Omnimodis tuam clementiam precor pro loco Resurrectionis Domini Dei mei sancta Syon, ne tuo laxamento à gentibus passim calcetur, neque Religionis Christianæ Pontifici debitum cultum ibidem exequenti contradicatur. Ejus itaque ditioni tunc non tantum beata civitas: verum insuper omnis penè Asia præter Indiam patebat. Qui chari sibi principis amicabili suggestione adeò delibutus est, quatenus dispositioni ejus ascribi reverendum locum juberet, à suoque potentatu Veredariis cum Orientalium munerum ambitione directis, eidem cessionem illam firmaret. Hac pro causa Diaconem suum ad Carolum iteratò cum munusculis destinavit Patriarcha. Tertio autem per semet veniens ipse, mutua visione satis facere communi affectui, suo videlicet principisque religiosi,) offendit apud eum prædictam procellam cœnobitalis dessensionis; cui sedandæ Rex æstuans consultum iri, ad hunc quasi ob id divinitus destinatum repentè tota convertitur tractatio * Regalis consilii, si modò

Fortunatus Patriarcha ad Carolum magnum Imperatorem accedit.

* *In Manuscript. codicibus*

U

Legitur: retractio *cujus loco Martenius posuit* Oratio. *in Thes. Anecdot. Tom.* III. *pag* 1115. *Joan. à Bayc no habet:* Retractatio.

dò ille præsul maximus posset ad hoc flecti.
Regis itaque ac optimatum ejus importunis
tentatus precibus vix potuit ad hoc persuaderi,
quatenus Sanctorum qui tunc fortè aderant,
Sacerdotum cedens authoritati, susciperet curam
istius monasterii; cujus Sanctitatis excellentià
priorisque apicis reverentià stirpitùs
est sopita claustralis discordia & sub eo de more
effecti sunt monachi cor unum & anima

FORTUNATUS fit Abbas an. 8○3.

una. Fuisse equidem dicitur Recalvaster hic Domini
famulus, corpore exilis & exiguus, facie
& conversatione Angelicus, barba sublonga
c. canisque respersa decoratus. *c.* Prædia in
augmentum loci in diebus ejus collata sunt
numerosa, chartarum monimento hucusque
d. notissima. *d.* Ipsius verò collatione, ex cunctis
penè instrumentis humanæ conversationi
atque passioni Domini aptatis amplexabilia

Sacras Reliquias Mediano monasterio tribuit.

pignora locus hic meruit percipere, pariterque
prætiosorum Martyrum Stephani, Lazari
quatriduani sepulti, Georgii atque Pancratii,
e. cum plurimis *e.*; quod nunc longum videtur
prosequi.

Annotata.

a. Per orientem hic intellige Regionem respectu Mediani monasterii Orientalem.

b. Fortunati Patriarchæ sedem disertè notatam procul dubio non reperit Anonymus hujus libelli Author, cu: que cerneret illum ex Orientis partibus adventasse,

nec

nec non Patriarchas Jerosolymitanos illius temporis Caroli Magni clientelam & benevolentiam, missis ad eum non semel Legatis ac muneribus, sibi conciliasse: conjectavit Fortunatum Jerosolymorum extitisse Patriarcham; suæque conjecturæ nimium indulgens pleraque ei tribuit, quæ non nisi Jerosolymitano Patriarchæ conveniunt; qualia sunt quæ in textu his clauduntnr parenthesibus. ( )

Anonymum sequuti sunt Richerius in Chronico Senoniensi & Joannes à Bayono Historiographus Medianensis nostri monasterii, sed fidem illis adhibere nos vetat, tum quod in Serie Patriarcharum Jerosolymitanorum nullus circà idem tempus invenitur cui Fortunati inditum sit nomen; tum etiam quod Jerosolymitanum aliquem Patriarcham tum in Franciam venisse nemo prodit.

Longè igitur verissimilius cum Cointio * & Mabillonio ** putamus, hunc Fortunatum Gradensem fuisse Patriarcham, qui à Ducibus Venetis exagitatus in Franciam confugit ad Carolum Magnum, á quo Mediani monasterii Abbas sit constitutus; nam optimè congruunt, & Fortunati nomen, & Patriarchalis dignitas, & accessus ad Carolum magnum, & tempus ejusdem accessus, qui anno Christi octingentesimo tertio contigit.

* *Tom. 6. pag. 817. & Tom. 7. pag. 74.*
** *Annal. Bened. Tom. 2. pag. 240.*

FORTUNATUS non Jerosolymitanus, sed Gradensis fuit Patriarcha.

Gradus Italis *Grado*, Incolis verò *Grao*, Insula est Oræ Venetæ ab Aquileiensibus dum Longobardorum injurias timerent habitari cœpta; Postea verò ob Patriarchatum ab ipsis Aquileiensibus oppugnata, quousque tandem translatâ Venetias Patriarchali sede (quod anno 1445. contigit) Gradensis Civitas ad exiguum redacta est vicum.

Gradensis Civitatis situs.

Patriarchatus autem Gradensis hoc habuit initium inquit Ughellus, *nam cum anno Domini 565. Longobardi Gentiles Venetam ingressi Regionem Aquileiam versus infesto agmine*

Patriarchatus Gradensis initium, progressus & divisio.

Albuino Duce properarent ac Venetia Populi Hunnicæ immanitatis quam superiore sæculo experti fuerant haud immemores, idem à Longobardis timentes, passim omnes Patriis civitatibus relictis defugissent, Paulinus Patriarcha Aquileiensis ad tristem hujus irruptionis nuntium. ipse etiam trepidus fugam arripuit, atque omni Ecclesiæ thesauro sublato in Insulam Gradum contenenti proximam se recepit, eamque sedem Ecclesiæ constituit. Huic verò Probinus & Probino Helias successit, qui cum Gradum prædecessorum suorum exemplo incoleret, anno 580. decretum à Pelagio summo Pontifice elicuit, ut Patriarchalis sedes & titulus ex Aquileia Gradum transferretur, atque Episcopis suis in æde sanctæ Euphemiæ ad conventum vocatis decretum recitavit, ex eorumque sententia Aquileiensi Ecclesiæ expedire constituit, ut relictâ immanitati Longobardorum Aquileiâ, sedes Patriarchalis in Grado ut securiore ab eorum immanitate loco statueretur, & post hoc Gradensis Ecclesia Venetæ oræ Istriæque Ecclesiarum caput & mater appellaretur. Heliæ inde Severus successit, quo mortuo Gisulfus Longobardorum Dux Forojuliensis Christiana Religione suscepta, ad majestatem Longobardici regni pertinere arbitratus, ut Patriarchica sedes non alieno in solo, sed in ipsa esset Aquileia, quæ Longobardicæ ditionis facta erat, per Clerum Aquileiensis civitatis Aquileiensem Patriarcham novo exemplo creavit. Clerus verò Gradensis Candianum in Grado constituit, quem Bonifacius Romanus Pontifex approbavit, pallioque exornavit anno 605. Ita duo Patriarchæ facti Aquileiensis & Gradensis. Neque tamen eo seciùs Gisulfus suum Patriarcham retinuit, unde ipsarum Ecclesiarum divisio consecuta. Aquileiensi omnes paruerunt Episcopi qui in continenti Venetia quæ Longobardorum ditionis erat, sedes habebant; Gradensi verò ii, qui Æstuaria & Istriam orientis Augusto subjectam tenebant. Inde summa inter eos contentio nata dum Aquileiensem Longobardi: Gradensem Veneti defenderent; Pontifices verò modo in hanc modo illam partem, sed plerique in Gradensem declinarunt.

Ital Sac. Tom. V. pag. 1179.

Fuit igitur Fortunatus noster, quem Ughellus natione Urgestinum dicit, Gradensis Patriarcha decimus octavus & in locum Joannis Patriarchæ ejus propinqui à Veneto Duce necati substitutus est anno Domini 803. quo iti-

itidem anno XII. Calend. Aprilis pallium accepit à Leone III. Papa, cujus litteras sic recitat Ughellus

Leo Episcopus Servus servorum Dei. Ibid. pag. 1180.

Reverendissimo & sanctissimo confratri Fortunato Patriarchæ Gradensis Ecclesiæ. Vita tua tantummodo officium Sacerdotis assumere si interiori vigilantiâ perpendamus, plus est oneris quam honoris: quippe qui propria curare non sufficit, nisi & salubriter gesserit aliena; Nam ad hoc pastoralis regiminis curam aggreditur ut aliorum in se sollicitudinem pia provisione suscipiat, & in eorum sese custodia vigilanter disponat, ut Lupus insidians possibilitatem in eo irrumpendi non habeat, nec læsionem ovibus inferat. Sic qui animarum curam suscepimus assiduam debemus sollicitudinem gerere, ut Callido antiquo humani generis inimico aditum præcludamus & totis contra ejus voracitatem viribus obsistamus, ne nostra fortè desidia tabidâ quod absit quemquam fauce deglutiat, & ejus ad nostram non immeritò applicetur pœnam perditio, qui commissos sollicitâ custodire cautelâ negligimus. Exhibeamus ergò quod dicimur & quibus divini dispensatione consilii præesse contigit, prodesse quantum possumus festinemus, ut dum creditor rationem nobiscum positurus advenerit, lucrum nos fecisse reperiat, & sua sicut promisit remuneratione lætificet. Hoc itaque frater charissime considera & locum quem adeptus es non ad requiem, sed ad laborem te suscepisse cognosce: adhortationis ope fidelium corda corroborа, infidelium verò summo opere converte; quòd ut facilius assequi merearis prædicationem tuam vita commendet, ipsa eis instructio ipsa magistra sit, ad desiderium æternæ vitæ docente suspirent tuo viventes exemplo & perveniant, temporalia despiciant & quæ transitoria sunt contemnentes, ad ea quæ semper durant, quæ nullo fine clauduntur desideriis anhelent. In his igitur studium adhibe, in hoc tota mentis intentione persiste, quatenus dum tua prædicatione atque imitatione fuerint consecuti, tanto majora à Deo nostro recipias, quanto congrua sollicitudine lucrandis eis animabus officii tui exercere minimè destitisti. Pallium præterea juxta antiquam consuetudinem fraternitati tuæ dedimus, quo ita uti memineris sicuti prædecessores nostri tuis prædecessoribus con-

FORTUNATUM Leo Papa exhortatur ad pastoralem sollicitudinem.

Fortunato pallium concedit Leo Papa.

cessere privilegiorum suorum scilicet integritate servatâ. Fidem autem fraternitatis tuæ quamvis in epistola quam direxisti subtiliter debuisses exponere, veruntamen lætamur in Domino quia eam rectam esse & solemni synodali confessione didicimus. Oramus autem omnipotentem Dominum, ut sua te munitione circumtegat & Sacerdotii susceptum officium operibus implere concedat. Scriptum per manum Benedicti Notarii & Scrinarii S. R. E. in mense Martio Indict. II. *Benevalete. Datum* XII. *Kal. Aprilis per manum Eustachii Primicerii sanctæ sedis Apostolicæ, Imperante nostro Domino Carolo piissimo Augusto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatore anno tertio Indict.* II.

FORTUNATUS in Franciam venit ad Carolum magnum.

Post hæc inquit Ughellus *Fortunatus de prædecessoris sui occisione graviter dolens, patefactâ conspiratione quam adversus iniquitatis Duces excitaverat, exulare jussus, accito Obelerio Matemaucensi Tribuno, consilium in Franciam adeundi cœpit, ut Carolum magnum adversus Duces incenderet Res Nicephori Constantinopolitani Imperatoris majore quam par esset studio complectentes. Quo excepto consilio Duces subitò classem Gradum iterùm promoverunt ac Fortunatum & Obelerium inde excedere coegerunt. Ii cum se Tarvisium contulissent, Obelerius à Venetis exsulibus Dux est declaratus: Fortunatus verò in Franciam ut constituerat properavit, Carolum de cæde prædecessoris sui à Ducibus illata edocuit, atque animum eorum ad Orientale Imperium inclinantem aperuit.*

De hoc Fortunati ad Carolnm magnum accessu Annalista Metensis sic scribit: *Venit quoque Fortunatus Patriarcha de Græcis, afferens secum inter cætera dona duas portas eburneas mirifico opere sculptas.* Patriarcham de Græcis eum appellat, tum quia de Italia venit, quæ à Græcis populis occupata, magna olim Græcia vocabatur teste Isidoro *, tum quia Patriarchalem sedem habebat in Venetis, quos ad incolendum supremum Italiæ mare capta & expugnata Troja Antenore Duce misit, ut loquitur Trogi Pompeii Epitomator Justinus. *

* *Origin. lib.* XIV. *cap.* IV.

* *Lib.* XX.


Carolus Imperator Fortunatum benignissime susce-

sceptum Medianensi Abbatiâ & sequenti privilegio donavit.

Carolus Serenissimus Augustus à Deo coronatus magnus & Pacificus Imperator, Romanum gubernans Imperium & per misericordiam Dei Rex Francorum & Longobardorum. Maximum regni nostri in hoc agere credimus Immunitatum, si petitionibus Sacerdotum vel servorum Dei quæ nostris auribus fuerint prolatæ libenter annuamus & eas in Dei nomine ad effectum perducamus. Igitur notum sit omnibus fidelibus nostris præsentibus & futuris, Qualiter vir venerabilis Fortunatus Gradensis Patriarcha sedis sancti Marci Evangelistæ & sancti Hermacoræ Episcopus serenitati nostræ petiit, ut tale beneficium circa dictam memoratam sanctam Ecclesiam ex nostra indulgentia concedere & confirmare debeamus: quatenus sub Immunitatis nomine, tam ipse quam Sacerdotes & reliqui, nec non servi coloni qui in terris suis commanent in Istria, Romandiola, seu in Longobardia, vel ubique, quieto tramite vivere & residere debeant. Cujus petitionem, ejus servitio & meritis compellentibus, denegare noluimus: sed pro mercedis nostræ augmento in Dei nomine ita concessisse & in omnibus confirmasse cognoscite tam Episcopia & Xenedochia, Ecclesias baptismales. Præcipientes ergò jubemus ut in Vicis vel Villis seu rebus vel reliquis quibuslibet possessionibus undecumque præsenti tempore memoratus Patriarcha justè & rationabiliter vestitus esse dignoscitur, nullus Judex publicus injustè ad causas audiendum vel feuda exigendum, nec manciones seu paratas faciendum, nec ullas redibitiones injustas requirendum se ingerere aut exactare præsumat: sed dum prædictus Fortunatus Patriarcha advixerit, sub Immunitatis nomine tam ipse quam ejus successores & coloni ac servi qui super teras suas commanent, vel reliqui homines sic valeant ex nostra indulgentia quieto tramite vivere ac residere. Ita ut melius eis delectetur pro nobis vel pro stabilitate regni nostri jugiter Domini misericordiam exorare. Et ut hæc authoritas firmiter habeatur, vel per tempora melius conservetur, manu propria subtus firmavimus & de annulo nostro sigillari jussimus.

Carolus magnus FORTUNATO concedit privilegium pro Ecclesia Gradensi.

Si-



* Ad an. 803. num. 55.

Hodingus ad vicem . . . . Datas idib. Augusti in sacro Palatio nostro, anno tertio Christo propitio Imperii nostri.

Cur FORTUNATUS S. Marci & S. Hermagoræ Episcopus dictus.

In hoc Caroli præcepto Fortunatus sedis sancti Marci Evangelistæ & sancti Hermagoræ Episcopus ideò nuncupatur inquit Cointius *, quod patriarchali sede ex Aquileia Gradum translatâ, habitâque hujus translationis ratione deinceps Patriarchæ Gradenses quotquot post Heliam sederunt, successores se dixerunt antiquissimorum Aquileiensium Antistitum ac proinde SS. Marci & Hermagoræ; nam beatus Evangelista Marcus ut Bandolus Venetiarum Dux in suo Chronico scribit, Ecclesiam Aquileiensem fundavit, ejusque regimen Hermagoræ discipulo suo posteà commisit.

* Tom. v. pag. 1182.

FORTUNATUS Gradum repetit, sed Venetos Duces timens in Franciam revertitur.

Hoc eodem præcepto munitus Fortunatus Gradum repetere instituit, sed ut ex Dandoli Chronico narrat Ughellus * *non audens Venetias intrare, in Cypriani Ecclesia Torcellanæ sedis degere cœpit & Joannem Episcopatus invasorem incautè pergentem captivavit, qui pactâ fugâ liberatus, Venetis Ducibus quæ passus fuerat enarrans, eos contra Patriarcham vehementer animavit. Post hæc Niceta patricius jubente Nicephoro Constantinopolitano Imperatore, cum exercitu ad tuenda loca Dal-*

Se-

matia venit & succursum bellicum à Venetis requisitum obtinuit, quem postea Venetos accedentem Fortunatus Patriarcha præstolare non audens in Franciam iterum properavit, & Joannes Diaconus, qui Episcopatum invaserat in Patriarchali sede subrogatus est.

Secundum hoc Fortunati in Franciam iter Cointius refert ad annum 806. * moxque subdit: *Tunc Ecclesia Polana cum Æmilianus Episcopus vitam terminasset interpontificio laborabat. Carolus à Leone III. Papa petiit ut Fortunatus donec Ecclesia Gradensi restitueretur, Polanam regeret, quæ priusquam Istriæ civitates in potestatem Francorum devenirent, ad Diæcesim seu Provinciam Gradensem pertinebat. Annuit Leo, sed ea lege ut Ecclesiæ Polanæ nihil jurium facultatumque subtraheretur. Extant illa de re Leonis ad Carolum litteræ, quas tomo septimo conciliorum recusas sic invenies.* * Num. LXVI. Carolus M. petit, ut Fortunatus Polanam regat Ecclesiam, donec Gradensi restituatur.

Domino piissimo & serenissimo Victori ac Triumphatori filio, amatori Dei ac Domini nostri Jesu Christi Carolo Augusto, Leo Episcopus servus servorum Dei. Dum vestræ imperiales syllabæ de civitate in civitatem ad nos pervenissent, quæ & à nobis susceptæ ac relectæ fuissent, reperimus in eis quatenus à Gradensi insula, ubi Fortunatus Archiepiscopus suam propriam sedem habere videbatur, propter persecutionem Græcorum seu Veneticorum *exul esse dignoscitur. Et si congruè nobis apparuisset pro causa necessitatis in Pola ubi jam dudum Æmilianus quidam Episcopus præfuit, quæ & Diæcesis prædicti Fortunati existit, illic suam sedem haberet, & qualiter vestra à Deo protecta Imperialis potentia sine consultu Apostolatus nostri nequaquam eum alibi collocare voluit. Nos verò de hac re pertractantes providimus, ut secundum qualiter vestræ Imperiali clementiæ complacuit, ut in Polana Ecclesia persisteret: ita maneat sub eo prorsus tenore, ut si Domino annuente & beato Petro Apostolo protegente, per vestram in triumphis victoriam ipsa sua sedes illi restituta fuerit, secundum qualiter prædicta Polana Ecclesia integra omnia sibi pertinentia susceperit, sic iterum ea restituatur, ut non de rebus ejus aut pecunia ad suam debeat subtrahere sedem, sed neque cuiquam ex ipsis rebus seu pecuniis atque speciebus dare quoquo modo præsumat, ut ipsa Ecclesia semper irre-* Leo Papa annuit, ut Fortunatus Polanam regat Ecclesiam.

X fra-

fragabiliter cum suo Antistite salva existere possit. Reservatur siquidem in ipsis vestris Imperialibus apicibus, quomodo in Aquis Palatio nobiscum providistis de Aquileiensi Ecclesia, velut una qua suam sedem haberet. Credat enim nobis vestra clementia, quod quidquid ibidem unà nobiscum vel cum fratribus & Coepiscopis nostris Oratores vestri pertractavimus, ad mercedem animæ vestræ seu filiorum vestrorum esse conspicitur. Omnipotens & misericors Deus per intercessionem sanctæ suæ Genitricis suorumque Apostolorum Petri & Pauli diu vos in hoc mundo conservare dignetur, & per multorum annorum curricula cœlestia regna cum suis faciat adipisci. Piissimum Domini Imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat. Sequitur Embolum seu additamentum de prædicto Fortunato. *Et hoc* inquit Leo *Vestræ Serenitati intimare curavimus de præfato Fortunato, ut sicut semper pro illius honore temporali laboratis, ita & de anima ejus curam ponatis, ut per vestrum pavorem suum ministerium melius expleat. Quia non audivimus de eo sicut decet de Archiepiscopo, neque de partibus Franciæ ubi eum* beneficiastis. *Tamen gratias agimus Deo, quia omnia vobis incognita non erunt. Interrogate quidem fideles vestros, & omnia vobis nota fient, eoquod illi qui vobis eum collaudant, hoc per munera & calciaria faciunt. Quid nobis plus amabile est quam vestra dulcissima anima? & Deus cognitor est, quia pro salute animæ vestræ hæc omnia insinuavimus, eoquod de tanto amore, quem erga vestram Serenitatem gerimus, ideo silere non possumus. Potestis interrogare fratrem nostrum Hildibaldum Archiepiscopum Coloniensem & Ercambaldum Cancellarium. Fortassis exinde aliquid cognoveritis, quia cognovimus eos animæ vestræ fideles in omnibus.*

De Fortunato conqueritur Leo Papa.

Quod ait Pontifex Fortunatum ab Imperatore in Francia *Beneficiatum fuisse*, de Mediano monasterio huic Patriarchæ in beneficium concesso haud dubiè intelligendum est; nam nullibi legitur in Francia quidquam aliud jure beneficii obtinuisse. Et in Epistolam tertiam * Frotharii Tullensis Episcopi, in qua dicitur Abbas monasterii *Mediolacen-*

In Francia beneficiatus fuerat Fortunatus concessa ei Abbatia Mediana.

* *Tom. 2. col-*

censis, mendum irrepsisse clare patebit ex annotandis infra, ad cap. VI. hujus libelli. *lect. Histor. Franc.*

An re ipsa Polanam Ecclesiam Fortunatus aliquandiu rexerit non invenimus. At ipsum Venetorum tandem mitigato furore Ecclesiæ suæ Gradensi restitutum fuisse & Joannem qui Patriarchalem sedem 4. annis tenuerat synodali censura depositum fuisse testatur Dandolus ab Ughello relatus, atque hinc infert Cointius hanc Fortunati restitutionem contigisse anno Domini 810.* ** Tom. VII, pag. 141.*

Circa annum 815. ut ex eodem Dandolo pariter Cointius * colligit, Fortunatus contra voluntatem Venetorum in Franciam remeavit, in cujus sede Joannes Abbas sancti Servuli intrusus est. ** Ibid. pag. 350.*

Ad idem aut proximè sequens tempus referenda videtur exortæ inter Fortunatum & Medianenses Monachos controversiæ compositio. Nam ut inquit Mabillonius *, summo jure totius substantiæ administrationem „ Fortuoatus sibi vindicabat, Monachi verò ut ille erat „ alieni gregis & instituti, certam sibi portionem assignan- „dam esse contendebant. Res ad Ludovicum Imperato- „ rem delata est, commissaque fuit ejus negotii cura Sma- „ ragdo Abbati sancti Michaelis ad Mosam, qui mona- „ chis portionem de Abbatia dedit, ut regulariter viverent. Sed de hac reddituum inter Abbatem & monachos partitione, quâ forte nulla antiquior est, plura dicenda occurrent inferius in Annotatis ad Caput VI. ** Annal. lib. XXVIII. num. XXVII.* Partitio redituum Mediani monasterri inter Fortunatum Abbatem & monachos.

Anno 818. ut Ughellus tradit Fortunatus veteris privilegii sui confirmatione à Ludovico pio Imperatore receptâ, & reconciliatâ cum Venetis gratiâ, Ecclesiam Gradensem repetiit ac Joannem Abbatem qui illam invaserat ad monasterium suum redire coegit. Fortunatus Ecclesiam Gradensem repetit.

Anno verò 821. ut Eginhardus in lib de Gestis Ludo-

 vici

vici pii Imperatoris refert, Fortunatus cum à quodam presbytero suo, nomine Tiberio, apud Imperatorem fuisset accusatus, quod Luideuvitum Pannoniæ Regem ad perseverandum in perfidia qua cœperat hortaretur, eumque ad Castella sua munienda artifices & murarios mittendo juvaret & ob hoc ad palatium ire juberetur, primò velut jussionem impleturus in Istriam profectus est; inde simulato reditu ad Gradum civitatem, nullo suorum præter eos cum quibus hoc tractaverat suspicante, nactus occasionem clam navigavit, veniensque Jaderam Dalmatiæ civitatem, Joanni præfecto provinciæ illius fugæ suæ causas aperuit, qui eum statim navi impositum Constantinopolim misit.

Fortunatus apud Imperatorem accusatus fugit Constantinopolim.

Permansit Fortunatus Constantinopoli annis ferè tribus inquit Ughellus, & postea cum Legatis Michaelis Imperatoris Græcorum in Galliam regressus, ad Ludovici præsentiam venit, sub finem Novembris anni 824. Cum autem ut ait Eginhardus, Legati Michaelis Imperatoris litteras & munera deferentes pacis confirmandæ causâ se missos esse dixissent & pro Fortunato nihil locuti essent, Ludovicus Fortunatum de causa fugæ percunctatus Romam ire jussit, ut á Pontifice examinaretur; sed haud diu post in Franciam defunctus legitur apud Dandolum atque Sigonium, cum reliquisset Ecclesiæ suæ & cæteris piis locis multa Ecclesiastica ornamenta, quæ vivens ipse acquisierat.

Fortunatus in Franciam tertiò venit & ibidem vitam finivit.

Quo in Franciæ loco defunctus sit non tradunt præfati Authores, sed cum Anonymus noster cap. sequenti disertè asserat, illum in Oratorio B. Papæ Gregorii quod Mediano nostro monasterio adjacet, decenti sepulturæ traditum fuisse, vix dubitari potest quin etiam in dicto monasterio obierit.

In Mediano monasterio sepultus est.

c. Quod dotes animi spectat, Fortunatum fuisse infracti animi virum & eximia virtute præditum asserit Ughello

hello teste Chronica Dandoli, in qua insuper refertur Carolum magnum exoptasse illum habere compatrem.

d. Inter hæc prædia Joannes à Bayono * speciatim enumerat sequentia: videlicet Marchicenum, ** 1. Ragnaldi cors, 2. Pinsonis cors, 3. Barbavilla, 4. Hasso nis Villa, 5, apud Domnum Ferreolum 6. & Frisones 7. Quinam autem sit ille apud Domnum Ferreolum olim dictus locus, pro comperto non habemus, sed opinamur illum esse qui Brantigneium * nuncupatur, non longè à Frisonibus distans & ab illo jam ævo ad Medianum monasterium pertinens.

e. Richerius in Chronico Senoniensi & Joannes à Bayono in historia Medianensi tradunt Fortunatum attulisse ad Medianum monasterium corpus sancti Joseph Arimathei: sed postmodum eo videlicet tempore, quo Canonici idem monasterium possederunt, à quibusdam monachis peregrinis noctu furatum & adsportatum fuisse. At rem suspectam reddit silentium Anonymi hujus Autoris, qui Richerium ducentis & Joannem à Bayono trecentis annis præcessit.

* *Cap.* 11.
** *Forte* Marthicenum.
1. *Mattexey & Valois.*
2. *Rancourt* vel *Reheincourt.*
3. *Passoncourt.*
4. *Barbonuille.*
5. *Hassonville.*
6.
7. *Frisonshaute & Basse.*
* *Brantigny.*

Silet hic Author de corpore S. Joseph Arimathei à Fortunato ad Medianum monasterium allato.

Caput V.

PEr hæc tempora ab orientis partibus eidem cœnobio divino ductu destinata sunt duo præclarissima lumina, quidam videlicet inter suos Rex *a.* nomine *Lazarus* cum filia *Aza* quæ etiam extiterat in finibus illis Regina. Hi piæ devotionis studio deserentes propria, expetivere peregrina, a.

quatenus in urbe Romulea mererentur attingere Apoſtolorum limina, & inſuper adirent memorias Sanctorum quos trifida venerabatur Gallia. Cumque plurima peregrando loca Sanctorum ſatisfacerent Religioſæ curioſitati, tandem ſubeunt habitationem Mediani monaſterii, famæ ſuſurrio jam dudum ſibi cogniti: ubi reperientes Fortunatum Patriarcham venerabilem Monachorum cœleſtia ſuſpirantum choro prælatum, quem olim habuerant non ignotum, compuncti ſancta converſatione & admonitione eorum, ſuſceptæ peregrinationis fixerunt circuitum. Denique inſtantes nimiis precibus ut recludi permitterentur, vix aliquando obtinere quiverunt. Recluſi ſunt ergò Rex in cella ſibi præparata penes Oratorium B. Apoſtoli Petri, Regina ultra alveum Rabodonis juxta Baſilicam B. Confeſſoris Apri, in quibus uſque hodie feneſtellæ ipſorum poſſunt videri, per quas ſuſcipiebant neceſſaria humanæ imbecillitati. Ibidem cum aliquot vixiſſent annis, ſolummodo cœleſtibus vacantes conditionibus, exuti membris coruptibilibus migrarunt ad Palatia incircumſcripti ſpiritus; ob id veriùs Reges dicendi quod minimé regnarat peccatum in eorum corpore mortali. Sepulti ſunt autem in propriis cellulis: ſed poſtea ſacri artus

Lazarus & filia ejus Aza peregrinationis curſum figunt in Medio monaſterio & ibidem recluduntur.

tus

tus venerandæ Reginæ à prioris tumbæ loco relati, ſociati ſunt Artubus venerandi Regis; ut qui ſanguine, mente & corpore juncti fuerant, unius ſepulchri participes forent. Beatus ergò Patriarcha Fortunatus meritis tandem & ætate conſummatus, huic temporalitati IV. Calend. Martii eſt ſubtractus *b.* atque ad perpetem ſtantium dierum infinitatem perductus. Hujus veneranda gleba poſt baſes altaris Beati Papæ Gregorii decenti ſepulturæ eſt tradita *c.* Anni verò regiminis ejus Mediani monaſterii reperiuntur viginti. *d.*

b. Obitus & ſepultura Fortunati Patriarchæ.

c.

d.

Annotata.

Regis titulus nonnunquam tributus reperitur cujusvis loci Domino vel urbis gubernatori, nec non cuicumque viro potenti aut diviti.

Hanc Fortunati ſubſtractionem in Mediano monaſterio contigiſſe ſatis innuit Anonymus, dum alium locum non aſſignat & mox venerandam ejus glebam in Oratorio B. Papæ Gregorii decenti ſepulturæ traditam fuiſſe ſubjungit.

c. Obſervavit Mabillonius * quod in Necrolegio Monaſterio Senonienſis annorum ferè quingentorum notatur IV. Idus Martii: *Fortunatus Patriarcha Jeroſolimitanus.* In Calendario autem Gregoriani Monaſterii ante annos ſexcentos ſcripto & in Miſſali Morbacenſi annorum quingentorum, eodem die fit mentio *Fortunati Epiſcopi.* Quæ ſi de Fortunato noſtro intelligantur, ut ex trium illornm monaſteriorum in vicinia Mediani cœnobii conſiſtentium conſenſione omnino intelligenda videntur, non IV. *Calend.* ut hic legitur, ſed potius IV. *Idus* Martii, ut in Ne-

* *Annal. Bened. lib. 26. pag.* 340.

In Calendariis Vicinorum Mediano cœnobio monaſteriorum fit mentio Fortunati Epiſcopi.

Necrolegio, Calendario & Missali prædictis habetur; idem Fortunatus obiisse dicendus est; idque anno duntaxat 825.; cum ex antedictis constet illum Ludovici Imperatoris conspectum subiisse sub finem mensis Novembris anni 824.

d. Velmendum hùc irrepsit, vel male recensuit Anonymus annos Regiminis fortunati; nam cum Abbatiam Medianensem adeptus sit anno 803.: & obierit anno duntaxat 825. sequitur ipsum eâ potitum fuisse annis circiter viginti duobus.

Caput VI.

WALDO Abbas an. 825. quem secuti sunt ISMUNDUS, THEODORICUS, REGINARDUS, HUMBERTUS & PIPINUS usque ad an. 896.

SUccessorum tam idonei Patris nomina raptim perstringere libet, quia cum studio brevitatis, tum etiam quod ex eorum actis vix tenue quiddam scriptura seu relatio certa nobis transmittere quivit, immorari piget. Primus post eum rexit idem Monasterium WALDO ex sorore Maldawini progenitus. Secundus ISIMUNDUS quondam Episcopus *a.*, cujus tempore cessit nostro loco apud Domnum Juvinum fundus. Tertius exstitit THEODERICUS, quartus REGINARDUS *b.*, quintus HUBERTUS. * Sextus verò PININUS vix præfuit pauculis cœnobitis aliquot annis nimium *à Principibus* ** pressus. *c.* Porro sex horum Patrum ætas habuit Principes Reipublicæ, prædictum Ludovicum, Lotharium, item Lotharium, Ludovicum nec non Arnulfum; quorum temporibus ipsa Abbatia plurimùm atte-

a.
b.
* *In Manuscript. Eptern. legitur:* Humbertus.
** *Ita Joan. à Bayono.*
c.
Lotharius Mediano co-

attenuata, exigente jam ſæculi nequitiâ per Lotharium *d.* qui factus eſt anathema maranata penè exſtitit deſolata, quæ uſque ad ipſum pollebat religione, rerumque copia. Hic tergiverſator callidus damnabiliterque levis ac lubricus, patruorum *e.* patientiam ſedulis *irritabat* ★ machinationibus; adverſus quos cum etiam crebram aciem produceret, neque congreſſus illius lætos exitus haberet, præfatus Abbas nimis continua ex acie ★★ militum in expeditione regali compulſus & maximè parricidalem diſſenſionem peroſus, alam Loricatorum quam ſolebat, id eſt triginta milites cum conſueto clypeatæ manus numero, in exercitum deſtinare noluit; orare ſe dicens Regem ne iſtius modi Angariam imponeret militantibus Deo Monachis: ipſe potius ex ſa cultate Abbatiæ utilitatibus conſuleret propriis. Hac causâ Tyrannus ſtimulatus jam ſæpe dictum monaſterium Duci *f.* provinciæ jure contradidit, eâ videlicet conditione quatenus res loci pro libitu diſpenſaret, militumque turbam procinctui Regio procuraret. Tunc domus Dei pene eſt adnullata, monachis ſunt ſubtracta victualia, & ob id paulatim ſparſi per diverſa, egeſtate coacti deſeruere cellas circumcircà. Tantum aliquot ſunt permiſſi in ipſo principali loco remorari, quibus

nobio exitioſus.

d.

e.

* *In utroque Manuſcript. deeſt hoc verbum, quod ex Joan. à Bayono ſuppletum eſt.*

** *Joan. à Bayono legebat* exactione.

Medianum monaſterium Lotharius Duci provinciæ tradit jure beneficii, unde ſequitur ejusdem monaſterii deſolatio.

f.

bus ad neceſſarios ſumptus delegata fuit adjacens cum agellulis ſuis villa, cum curtibus pauculis. Mille verò ac quingentos & inſuper ***undecim*** ⋆ manſos g. cum ſuppoſitis ⋆⋆ Eccleſiis ex ipſa Abbatia uſurpavit ſibi ambitio Ducis. ⋆⋆

* *Ita Manuſcript. Epternac Richerius & Joan. à Bayono.*

g.

** *In Epternac. Manuſcript. hic fit diviſio hujus capitis, quod in duo ſcinditur.*

Cum autem ab Incarnato Domino inſtaret octingenteſimus nonageſimus ſextus annus, Arnulfus Romæ Cæſar efficitur: è veſtigio in audita lue mortalitatis ſubſequente, atque famis homines homine veſci cogentis. Zuendeboldus *h*. quoque tyrannus ipſius Arnulfi filius Lotharingam provinciam diſponere permiſſus, indebilis flagitii nota dedecoravit primitias ſui principatus; Prætitulato ſiquidem anno illam tantulam delegationem præbendæ monachorum illic adhuc ſub PIPINO Abbate excubantum, jure beneficii conceſſit HILLINO comiti, in cujus clientela vix aliquot Canonici permiſſi ſunt immorari; ſtirpitùs hinc avulſo ordine monachali, videlicet quia eſſet Clericis indifferens victus, & quia magis peculiaris quam communis rei innitерentur ſumptibus. Huic ſucceſſit RIQUINUS ſecundus, tertius OTTO, quo ſuperſtite Civitas Baſilea ab Hunnis expugnata atque æquata eſt ſolo. In Mediano autem cœnobio & tri-

h. Anno 896. conſtituuntur Abba-Comites, quorum primus HILLINUS, qui HASUMA vocatur à Richerio lib. 2. cap. 7. ſecundus RIQUINUS, tertius OTTO, quartus BOSO, quintus AMARDUS, ſextus GISLEBERTUS.

tribus eidem conterminalibus * monaſteriis vix ſinguli Clerici feruntur reſediſſe nonnullis menſibus, in eisdem obſervantes excubias vulgaris parochiæ. Tandem in culmine Regni Henrico ** ſtabilito & Barbari vetatur irruptio, atque Paulatim convaleſcente Patria, illuc reintegratur imminutus Canonicorum numerus & ordo Huic jam comiti OTTONI quartus Boso ſucceſſit in adminiſtrationem rerum ipſius monaſterii & huic deindè quintus AMARDUS poſtremus proviſor exterioris ſuppellectilis *i.*; ſed primus Inſtitutor monaſticæ Religionis in illo loco extitit GISLIBERTUS, *k.* quia jam venerat tempus miſerendi ejus. *At-tamen exactu ſexaginta & ſex annis, velut uſque ad Imperium Conradi * invicti Principis, Deo miſerante aliquantulum convaluit illic quamvis non ut prius exercitium Religionis, inſtantiâ Domni Brunonis Reverendi Leuchorum Antiſtitis. l.*

* *Senonienſi, Styvagienſi & Sandeodatenſi.*

** *Aucupe nuncupato.*

i.

k.

GISLIBERTUS Abba comes monaſticæ Religionis favet.

* *Salici.*

l.

Annotata.

a. Hic Iſimundus ſeu Iſmundus quondam Epiſcopus & jam Abbas haud dubiè ſæcularis, portionem Monachorum uſurpaverat, promittens ſe omnia illis neceſſaria regulariter adminiſtraturum. Cum autem promiſſis non ſtaret, offenſi hac de re monachi Frotharium Tullenſem, vel tanquam Diœceſanum, vel tamquam viciniorem Epiſcopum & Smaragdum Abbatem ſancti Michaelis ad Moſam appellarunt, quibus agentibus pollici-

 tus

tus est Ismundus se emendaturum quidquid hactenus negligenter ab ipso actum fuerat; sed monachi jam sæpe delusi fidem illius promissis habere noluerunt, & assignatam sibi tempore Fortunati Abbatis portionem omninò reddi voluerunt, quod cum negaret Ismundus se facturum injussu Imperatoris, hujus adeundi facultatem sibi dari unanimi consensu postularunt. Rem totam sic narrat Frotharius in epistola ad Imperatorem, quæ inter impressas tertium obtinet locum.*

Ad Frotharium Tullensem Episcopum & Smaragdum Abbatem S. Michaelis recurrunt Medianenses contra Ismundum Abbatem.

* *Collect. Histor. Franc. Tom. 2.*

Separatio mensarum à Fortunato Patriarcha facta, ab Ismundo Episcopo malè custodita.

Ad Aures misericordiæ vestræ reducimus piissime Imperator Ego Frotharius Episcopus & Smaragdus Abba, quod tempore fortunati Mediolacensis *Monasterii Abbatis, per jussionem vestram Smaragdus ipsius monasterii monachis portionem de Abbatia dedit, ut regulariter viverent. Et idcirco bene & secundum Regulam vixerunt quousque Fortunatus recessit, sed cum suscepisset Hismundus ipsum Monasterium, recepit illorum portionem & promisit se omnia eis necessaria regulariter administraturum, quod posteà sæpius aliter illis evenisse testantur. Unde & nunc venerunt ad nos reclamantes & dicentes se nec regulariter vivere interius, nec regulariter alimenta corporis sumere exterius. Venimus itaque pariter illuc & ita esse invenimus, & cognovimus ex parte negligentiam Abbatis eorum. Promisit ergò iterum se per omnia emendare velle quidquid hactenus negligenter ex sua parte fuerat actum. Cui rei & nos consensimus & ut illi monachi assensum praberent laboravimus. Sed illi timentes ne sicut sæpius evenerat, aut per eum aut per ejus ministros illius promissio frustraretar, nec ejus promissionibus jam amplius credere, nec ejus emendationem se recipere posse dixerunt, nisi illis portio redderetur, sicut dudum illis dare jussistis. Quod quia ipse sine vestra jussione nullatenus se facturum dixit, ideo illi omnes pariter communi intentione communique prece postulaverunt, ut illis licentiam darem ad vestræ pietatis præsentiam recurrendi & vestram misericordiam implorandi; dicentes se magis velle de eodem monasterio expelli & in Peregrinatione & mendicitate vivere, quam falsis promissionibus ulterius credere & sub falso monachorum nomine*

mine militare. Quamobrem dedimus eis licentiam ad vos veniendi. Hæc autem vestræ sapientiæ innotuimus, ut priusquam ad vos veniant, caussas acclamationis eorum dinoscatis.

Quid statuerit Imperator nobis non innotescit: verum in toto hoc negotio actum fuisse non de Mediolacensi monasterio Diœcesis Trevirensis, sed de Medianensi quod saltem in finibus Diœcesis Tullensis situm est, his rationibus probat Mabillonius * 1.° Cur ad Frotharium Tullensem Episcopum & non potius ad Trevirensem Antistitem reclamassent illi monachi, si Mediolacenses fuissent. 2.° Per id tempus quo Fortunatus apud Frotharium Abbas erat, nullus invenitur hujus nominis Abbas apud Mediolacenses. 3.° Fortunati Successor ab ipso Frothario assignatur Hisinundus, qui inter Abbates Medianenses secundus a Fortunato recensetur. Accedit quod in veterrimo codice quo usus videtur Chesnius in edendis Frotharii Epistolis, non *Mediolacensis* sed *Mediolanensis* monasterii adscripta est mentio & valde probabile est primitùs scriptum fuisse *Medianensis* vel certé *Mediolocensis*; nam Medianum monasterium non raró appellatum reperitur *Medii loci* cœnobium, & quemadmodum à Mediolacu *Mediolacense* dictum est illud quod ad Diœcesim Trevirensem pertinet: sic à Medio loco *Mediolocense* nostrum dici potuit.

* *Annal. Bened. lib. 26. pag. 340. & lib. 28. pag. 415.*

b. Reginardum fuisse Mediani monasterii Abbatem constat non tantum ex hoc testimonio: sed etia ex disticho quod altari B. Mariæ ab eo erecto appositum ita legebatur referente Jo. à Bayono.

Hoc Altare in honore Dei sanctaque Mariæ
Munere de proprio Reginardus contulit Abbas.

Sed veretur Mabillonius * ne Theodericus ille cui successisse Reginardus dicitur, Senoniensis potius quam Medianensis Abbas fuerit; suspicatur enim vir sagax hos

* *Annal. Bened. lib. 28. pag. 145.*

 esse

esse Abbates duos quibus Frotharius inscribit Epistolam vigesimam sextam, in qua agit de luporum infestatione, qui homines devorabant, deque murium pernicie, qui vineas ac segetes depascebantur. Verum quamvis pro certo habeamus hanc Epistolam inscribi duobus Abbatibus in Vosago commorantibus, quorum alter fuerit Reginardus Medianensis, certè nihil obstat quin Senoniensi vel Sandeodatensi monasterio tunc præfuerit Theodericus aliquis á Theoderico Reginardi nostri prædecessore diversus.

Cæterum ejusdem Epistolæ verba siquis diligenter perpendat, facilè animadvertet 1.° duobus illis Prælatis certam plebem subditam fuisse, quam non sine aliqua affectatione ad Diœcesim suam pertinere asserit Frotharius. 2.° Plebem illam suos habuisse Sacerdotes quibus præcipiendi & quos ad sua monasteria convocandi jus habebant iidem Abbates. Quæ duo non obscurè arguunt ordinariam in Clerum & populum Jurisdictionem, quâ etiamnum gaudent tam Abbates Medianenses & Senonienses, quam Abbatibus substituti Præpositi Sandeodatenses. Frotharii Epistola talis est.

Collect. Histor. Franc. Tom. 2.

Hæc Frotharii Epistola indicat ordinariam jurisdictionem in Clerum & plebem fuisse penes Theodericum & Reginardum.

Frotharius gratia Dei Ecclesia Tullensis Antistes, Theuderico Ragenardo venerabilibus viris, cum universo grege vobis commisso *perpetua beatitudinis in Domino opto salutem. Quoties vestra dignitatis personam cum his qui* vobis *sub nostro regimine* subditi sunt, *bene ac salubriter vivere cognosco, divina pietati uberrimas gratias refero. Quoties verò vel vos* ac plebem vestram *ad Diœcesim nostram pertinentem, utcumque infirmari vel periclitari audio, ingenti mœrore ac doloris anxietate afficior & veluti pro filiis charissimis* atque ovibus propriis *undique contristor. Quod his diebus fateor accidisse, cum scilicet mortiferam pestem acerrimè grassatam me contigit agnovisse. Siquidem significatum mihi est de vastatione luporum quosdam vestrorum hominum superatos & ruinis subitis funditùs ab hac vita esse extinctos. Quam quidem plagam per fraudem diabolicam divino judicio permit-*

mittente in omnibus factam esse non ambigo. Siquidem peccatis nostris exigentibus multi adversa permittente Deo patimur, quæ minimè nobis acciderent, si ei ut dignum fuerat tota mente quotidie famularemur. Quod enim cum gravi gemitu dicendum est, abundat iniquitas, refrigescit charitas multorum. Ob hoc tot plagas cœlesti censurâ disponente ingruentes, tot adversitates dæmonicæ instigationis miseria nostra tolerat generi humano infestas. Siquidem cum his præteritis annis inopiam famis multimodam ob ariditatem segetum, vel grandinis irruptionem perpessi fuerimus, præsenti anno fertilitatem messium atque ubertatem vinearum murium devastatione consumptam conspicimus. Ad extremum quod cum luctu dicendum est, luporum rabida infestatione animas hominum Christianas subitò necari videmus. Quæ facta cur nostræ præsentiæ non anteà significaveritis usquequaque miror. Venissem quippe ad vos & tam per verbi prædicationem, quam per manus impositionem ac confirmationem pectora fluctuantium hominum corroborare satagerem. Quod quia adhuc non, in proximis diebus si vita comes fuerit acturus sum. Nunc autem moneo ut præcipiatis omnes presbiteros in illis locis commanentes ad vestra monasteria pariter convenire, *& per triduum jejuniis & letaniis insistere, cilicio & sacco obvolvi, cinere conspergi & communi supplicatione Domini clementiam obnixè deprecari, ut ejus exuberans misericordia non secundum merita nos dijudicet, nec secundum iniquitatum nostrarum scelera ultionem ex nobis capiat: quin potiùs propitiatus expectet & ad pœnitentiam recurrentes misericorditer suscipere dignetur. Omnem itaque populum ad confessionem & pœnitudinem pro peccatis suis Sacerdotes provocent & quæ ignoranter à plebe commissa sunt digna emendatione solvantur; ne subitò nos exitialis morbus absumat, & inferni voracitas perenniter cruciandos absorbeat. Et si mens nostra charitatis amore Dei conspectibus renuit famulari, saltem mortis formidine à malis retracta in salutiferis actibus convalescat.*

c. De his Abbatibus hæc habet Joan. à Bayono. ** *Cap. XIII.*
Aliquo inquit *ex his Abbatibus fungente vicibus pastoralis vigilantiæ, nonnihil incrementi & mox plurimum decrementi locus hic*

re-

refertur incurrisse. Et de incremento quidem narrat id quod sequitur : *In vicinia Salinarum jacet possessio prioris possessoru ex nomine Theudonis villa * dicta, cujus cessio huic loco hac occasione fuit facta. Quidam Theudo inter strenuos Athletas strenuus, Libertis Lantergensibus ** confinia prædicta Villa sua incolentibus nimium erat infensus, quod unicam virilis indolis prolem dediderant Neci . . . . Cernens autem nihil oblectationis sibi superesse in sæculo, cui sublata erat naturalis hæredis successio, volebat se suaque dedere Christo: sed maculam conquirere dedignabatur nomini suo, si permitteretur inulta filii occisio. Quem quia frater suus Richisus (cujus de nomine cors ***) possessioni illi contigua nuncupatur, distulerat ulcisci quoad rediret pater, quem contigerat tunc abesse, à patrimonio ejus dicitur penitùs exclusus fuisse. Veniens tandem Medianum monasterium traditionem sui & rerum fecit suarum, eâ tamen conditione ut prius permitteretur acerba proli quasi satisfacere mortibus adversariorum. Sed cum hunc monachi ab hac re plurimum, attamen in cassum deterriti essent, tandem abire siverunt orationibus prosequentes. Qui mox ut Lantregas venit ulturus filium, tanto pavore noxii correpti sunt, ut deditione ultroneâ se suaque manciparent dominio illius. Super hoc facto ipse divinitatis respectu mollitus, eis jam dictum facinus donavit, reversusque ad monasterium fratribus fecit de suo adventu gaudium non parvum, quod ab animo recessisset virus inimicitiarum indicibilium, & absque fusione sanguinis conquisisset illis cum mancipiis prædium. Protinus ergo deditos cum suis omnibus sancto Petro . . . . se monachis sociavit.*

* Thinouiller propè Richisicurtim.

** De Lentrey.

*** Rechicourt.

Possessio Theudonis Villæ Mediano monasterio traditur.

De detrimento autem ita subjungit præfatus Author. *Accessu jam temporis nostraque sponsionis urgemur, quatenus aliquas imminutionis atque destructionis ipsius cœnobii causas castrato pollice hic aggrediamur. In prædio* Bercheim *transisse in hujus loci jus Basilicam B. Matris Domini celebrem memoria, dictum meminimus supra. Hæc sub attestatione Chirographi usque ad hæc nostra tempora reservati, à beato Patre Hildulfo suisque successoribus est possessa pacificè, at nunc Basiliensi præsuli cogitur annuos redditus pendere; quod qualiter acciderit tametsi fortè lasci-*

Ecclesia B. Mariæ de *Bercheim* amittitur.

vie-

visum videatur, ad commonitionem posterorum stylus resignabit. A quodam praescriptorum Successorum sat cauto, in futurum oppignorata est pro aliquot caseis, quibus pacta die minimè restitutis, pignus sibi usque in praesens cupiditas fœneratoris vindicavit. Hoc factum monstri ut ita dicam simile, perterreat administratores rerum Ecclesiae, ne tantùm praesentibus ac privatis contenti commodis, jacturam inferant futuris; quia si luce clarius constat eos cumulasse sibi aeternale praemium, qui terrena patrimonia ad cœlestes thesauros transtulerunt: ita vicissim contrahere sibi enorme flagitium, qui prodigè dissipavit delegata usibus Christi pauperum.

d Hæc & sequentia intelligenda sunt de Lothario juniore, Lotharii Imperatoris filio, qui Austrasiæ Regnum de ipso Lothariense dictum, anno 855. adeptus fuerat. Hic rejecta uxore Thietberga Valdradam concubinam sibi matrimonio copulavit, quod cum resciviſſet Nicolaus Papa Excommunicationis pœnam minatus est, nisi Tietbergam retineret & Valdrada abstineret Tergiversatus est Lotharius, nec à Valdradæ jam Excommunicatæ consortio abstinuit ac propterea pro Excommunicato ipse habitus est. Forte etiam respexit Anonymus hic autor ad sacrilegam illam communionem, qua Lotharius commissi (ut creditur) sceleris sibi conscius sacrosanctam Eucharistiam ab Adriano Papa accepit, eâ conditione si postquam Nicolaus Papa Valdradam excommunicave rat, nullum cum ea carnale contubernium habuiſſet. Româ rediens Placentiæ obiit anno 869.

Cur Lotharius dicatur Anathema Maranata.

e. Patrui Lotharii Regis fuere Carolus Calvus & Ludovicus Germanicus fratres Lotharii Imperatoris.

Quis nam fuerit ille Dux seu Gubernator Provinciæ ignoramus. Si tamen Vasseburgo fides adhibenda sit, Ducatum jam tenebat Ragnerius aliàs Regenherus. Per hanc autem Mediani monasterii concessionem præfato Duci factam, idem monasterium quod antea Imperiale seu Regium erat, ditioni ejusdem Ducis subditum fuit.

g. Mansus ut ex Cangii Glossario colligitur, est certa agri portio quæ colitur, & in qua ipsius Coloni ædes continentur. Non in uno eodemque loco simul collecti reperiebantur tot Mansi: sed diversos in diversis locis constituebant pagos, proprias habentes Ecclesias, quæ cum iisdem pagis ad Medianum monasterium pertinebant. Quinam verò fuerint illi pagi nobis haud compertum est. Verumtamen cum prædictas Ecclesias illarumque decimas Mediano nostro monasterio Fridericus Dux posteà restituerit, nullum est dubium quin dictorum pagorum major pars sit ex illorum numero, in quibus decimas nunc possidemus & Ecclesiarum Rectores vel constituimus authoritate quasi Episcopali nobis competente, vel constituendos vicinis Episcopis nominamus & præsentamus.

Detractis ex Mediani monasterii dominio illis mille quingentis & undecim mansis, cum suppositis Ecclesiis illarumque decimis, ad tantam egestatem reducti sunt monachi, ut circumjacentes cellas * deserere & victum quæritando vagari coacti fuerint, atque in ipso Medio loco vix deni aut duodeni ut Richerii verbis utar ** sustentari potuerint.

* *Vide Comment. prævium* §. v. *num.* 11.
** *Chronic. Senon lib.* 1. *cap.* 17.

Addit idem Richerius, quod *Fratribus cellarum* sic „ à suis locis eliminatis, qui in Abbatia remanserant red„ ditibus destituti cœperunt à semita recta retrahere pe„ dem: Abbates verò segniores effecti de grege Domini „ non curare. Sicque videntes Monachi cuncta sibi pro „ voluntate sua licere quamvis non expedirent, ad præ„ cipitia quæque potiùs quam ad bona cœperunt esse pro„ niores.

Ibid. cap. 18.

Subnectit præfatus Author visionem cujusdam Monachi Senoniensis de futura Medianensium Monachorum clade, qui brevi unus post alium mortui sunt, uno exce„ pto Abbate. Quod videns *idem Abbas* inquit *non Dei judi„ cio, sed casu hoc advenisse arbitratus est. Circuiens verò civita„ tes, quoscumque invenire potuit qui volebant monachari secum*

„ *ad-*

„ *adduxit & eos tonsuratos non corde sed habitu tantum, mona-„ chavit, & talibus pyratis locus ille redimitus non diu est ga-„ visus; nam sicut alii unus post alium vitam finientes omnes „ in modico tempore sunt decucullati, & ita male adunati male dispersi sunt. Abbas verò fuga lapsus in Alsatiam unde „ natus fuerat repedavit & ita monasterium istud Abbate & Mo-„ nachis diu caruit, nec aliquando divina ibi agebantur; excepto „ quod ibidem presbiter villæ adjacentis aliquando missam gratis „ celebrabat, donec à quibusdam Monachis Gorziensibus ut credo ad „ hoc à Deo missis, ordo Monachorum & officia divina ibi sunt re-„ stituta.*

His nonnulla alia de licentiore Medianensium Monachorum vita superaddit Joan. à Bayono. Quæ omnia vera ne an falsa & unde hausta sint nobis non liquet; nam de iis ne verbum quidem habet Anonymus noster prædictis Authoribus longe antiquior, nec de tempore quo talia contigerint inter hos Authores convenit. Illud enim non assignat Richerius, qui tamen post relatam mille quingentorum & undecim Mansorum ablationem ista statim narrat. Et Joannes à Bayono annos quidem indicat prædictam ablationem consecutos, labascente jam sæculo nono, sed mox Hardulphum seu Nardulfum tunc temporis Abbatem fuisse commemorat, qui tamen ante initia undecimi sæculi regimen monasterii non assumpsit. Mabillonius verò qui miserabilem hunc Mediani cœnobii statum refert ad annum 942. * Amaldo aliàs Amardo Abbati adscribit ea quæ à Richerio & Joanne Bayonnensi narrantur: at Amaldus unus est ex *Abba-Comitibus* qui monasterium jure beneficii tenuerunt, nec Monachis sed Canonicis ibidem suffectis præfuit.

Verissimilia non videntur quæ tum à Richerio tum à Joanne à Bayono narrantur de licentiore Medianensium vita.

* *Annal. Bened lib.* 44. *num.* 48.

h. Anno 895. Arnulphus filium suum Zuentebol-dum Spurium regno Lothariensi præfecit, ut tradunt Annal. Metenses, Marianus Scotus, Otto Frisingensis & cæteri communiter.

i. Narrat Joannes à Bayono * quod dum regimine

* *Cap.* XVI.

 Me-

Medii Claustri gloriaretur Amardus, prædium quoddam situm in pago Ornensi, loco vico formato, tempore Canonicorum alienatur. Addit idem Autor quod Otto *Henrici Regis filius* (que n Rufum perperam appellat) *Conrado Patri Hermanni Ducis prædium medii itidem Claustri quod dicitur* Bercheim *conditione regia concessit: Hic enim Conradus* (inquit *finxerat verbis vulpinis parvam aut nullam apud prædictum Ottonem esse possesiunculam illius cespitis; quare faciliori inductione eam à prædicto Rege acquisivit.*

Prædium Bercheim Conradus Pater Hermanni Ducis ab Ottone callidè obtinet.

k. Hic Gislibertus capite sequenti Comes vocatur, nec confundendus est cum Gisleberto Lotharingiæ Duce, qui Gerbergam Henrici aucupis filiam in matrimonium habuit & anno 939. in Rheni undis submersus est.

l. Quæ charactere Italico hic subnectuntur non bene cohærent cum præcedentibus ac subseqüentibus Anonymi nostri dictis, & videntur adjecta à posterione quodam scriptore; Nam hunc libellum de Successoribus sancti Hildulfi in Vosago præfatus Anonymus non perduxit usque ad Episcopatum Domni Brunonis, neque transgressus est Hardulfum Abbatem, qui tempore Bertholdi Tullensis Episcopi depositus & Abbatiali dignitate privatus fuit. Bertholdus autem obiit anno Domini 1019. ejusque immediatus Successor fuit Hermannus, post cujus obitum anno videlicet 1026. in Episcopum Tullensem Bruno electus est. Vide P. Benedictum Capucinum in Historia Ecclesiastica & Politica civitatis ac Diœcesis Tullensis. Lib. IV. capp. IV. V. & VI.

Caput VII.

* *Rectius* Arnaldi. a.

GOrziense cœnobium sub industria * *Amaldi a.* nimium reverendæ vitæ Abbatis

batis longè latéque vibrabat radios monasticæ Religionis, ubi tunc degebat in Monachi habitu quidam ADALBERTUS sanguine primatum Regni sublimis, qui suorum & præcipuè præfati comitis GISLIBERTI fretus adminiculo, sistitur Duci FRIDERICO, *b.* cui inerat Mediani monasterii per id tempus dispositio. A quo loci gubernatione donatus, monasticum ordinem ibidem restituere est jussus. Tunc etiam Religiosus Dux sub confirmatione Chyrographi restituit huic loco Ecclesias quas olim possedisse dignoscitur, & quidquid Canonici tenuisse comprobantur. *c.* ADALBERTUS igitur prædicti Abbatis sui suffultus subsidio, monasticæ professionis viros aggregavit in præfato cœnobio, inter quos BLIDULFUM *d.* olim Metensium primicerium & GUNDELOHUM nobilissimum Dei famulum. Ambo nempe isti Deo digni viri vitâ & specie monachi, per omnia *parentes* * paternæ voluntati, ab Abbate AMALDO commendati fuerant huic Abbati.

ADELBERTUS Abbas regularis circa annum 955.

b. Monasticus ordo in Mediano cœnobio restituitur favente FRIDERICO Duce.

c.

d.

* *Ita legitur in Epternac. Manuscript.*

Annotata.

a. Hic legendum putamus *Ainaldi* aliás *Einoldi*, nam Gorziensi cœnobio tunc præerat Einoldus ex Archidiacono Tullensi Abbas Gorziensis effectus, vir eximiæ Religionis, qui plurimorum monasteriorum reformationi tam per semetipsum, quam per Monachos priùs á se in prædicto cœnobio informatos, operam dedit.

b. Tria hic enarrat Anonymus noster quæ Friderico convenire non poterant antequam Ducatum Provinciæ obtineret, aut saltem Ducis vices in ea gereret. Primum est quod *ei tunc inerat Mediani monasterii dispositio.* Secundum est quod ab eo *Ainaldus* seu *Einoldus* ejusdem monasterii gubernatione donatus & monasticum ordinem ibidem restituere jussus est. Tertium denique quod idem Fridericus Mediano cœnobio tunc restituit *Ecclesias quas olim possiderat & quidquid tenuerant Canonici* qui locum à tempore Zuenteboldi insederant. Quæ omnia Ducalem arguunt potentiam & autoritatem. At ex Flodoardi Chronico constat Fridericum nonnisi anno 959. Lotharingicæ provinciæ Ducem fuisse constitutum, & quamvis concedamus fieri potuisse ut antequam Bruno Archiepiscopus Coloniensis qui Lothariense regnum ab Ottone Rege sibi commissum moderabatur, Friderico nepoti suo plenam & integram Ducatus Lotharingici administrationem cederet, eidem vices suas nonnunquam commiserit, quod in præsenti negotio factum esse credi potest: attamen cum idem Bruno Lothariensi regno præfectus non fuerit ante finem anni 953. ut ex eodem Flodoardi Chronico comprobatur, nihil agere Brunonis nomine potuit Fridericus ante annum 954. Unde ne opinari quidem nobis licet monasticum ordinem ipso jubente in Mediano cœnobio restitutum fuisse ante prædictum aut sequentem annum 955. qui à Zuenteboldi usurpatione & Monachorum expulsione sexagesimus est.

Quo anno Fredericus fuerit Lotharingiæ Dux constitutus.

Hinc corrigendi sunt tum Joan. à Bayono qui prædictam restitutionem expressè adscribit anno 918., tum Richerius qui idem supponit * Turpiter autem hallucinantur hi duo Authores (nisi mendosa sint illorum manuscripta) dum eandem restitutionem anno 938. affigentes, aiunt ipsam factam esse septingentesimo anno post quam Zuenteboldus Medianum monasterium tradiderat Hillino comiti, qui monachis expulsis Canonicos ibidem con-

* *Lib.* II. *cap.* X.

conſtituit; quod nonniſi anno 895. vel 896. contigiſſe ex antedictis patet.

Cæterum nos non moratur Ducis titulus in uno aut altero veteri Diplomate ante annum 959. Friderico tributus, nam quæcumque ſit honorificæ hujus denominationis ratio, certum eſt eundem Fridericum non fuiſſe Ducem Lotharingiæ ante prædictum annum 959 Mortuo quippe ut ait Mabillonius * Gisleberto Duce, Rex Otto Ducatum Henrico fratri ſuo tradidit anno 940. quem mox ob ejus rebellionem Ottoni Ricuini comitis filio commiſit, dum Heinricus Gisleberti filius impubes adoleſceret. Poſt mortem verò Ottonis & Heinrici quæ anno 944. accidit, Ducatum obtinuit Conradus Verinheri filius Ottonis Regis gener. Deinde Bruno Colonienſis Antiſtes ejusdem Ottonis Regis frater. Et poſt eum Fridericus comes Adalberonis Metenſis Epiſcopi frater & Brunonis nepos anno 959.

* *Annal. Bened. lib.* XLIV. *num.* 47.

Exceptis his *inquit Richerius*, corpore ſcilicet ſancti Joſeph ſepultoris Domini (*quod à quibusdam peregrinis Monachis ablatum fuiſſe creditur*) & aliis per incuriam Clericorum alienatis, quæ inſtaurari non potuerunt.

Exceptâ etiam *inquit Joan. à Bayono* Sancti Hidulfi patris noſtri vitâ, quæ præ ſui magnitudine proprio continebatur corpore & á Clericis amiſſa fuerat.

d. De his duobus ſanctis viris fit mentio in vita ſancti Joannis Abbatis Gorzienſis cap. 8. * Et de Blidulfo quidem ibi dicitur quod ſanctæ Eccleſiæ Metenſis Archidiaconus fuit, nec ſine miraculo Gorzienſibus monachis ſociatus ſit. *Vir enim* inquit Author ejusdem vitæ, *cum & nobilitate generis & rerum copia non mediocri fultus, litterarum ſcientia cæteros ejus loci præiret* (*quippe qui ex ſcholis adhuc ſupererat Remigii* *) *tùm ſæcularibus rebus ita deditus erat, ut vix cujusquam in eo Religionis veſtigia viſerentur. Is ut dicitur morbo præ-*

* *Bolland. Act. SS.* 27. *Febru.* De Blidulfo.

* *Antiſſiodorenſis Monachi.*

præreptus venerabilem Einoldum otiùs advocans, monachum profitetur, statimque habitum sumens, Æger monasterio devehitur ac post paucos dies integer Domino propitio redditus, mentis meliore integritate fœlix, & multis deinceps exemplo futurus convaluit atque in sancta conversatione ferè inferior nulli apparuit. Is post plures annos majori calore virtutis tactus, Eremum altero quodam (cui Gondelach *vocabulum fuit) sibi sociato, in remotioribus Vosagi expetiit: ibique in illa divina contemplationis suavitate, acerba admodum corporis castigatione & mundo vere (ut Veracium qui eum noverunt fert sententia) mortuus, decem aut eò amplius annos exigens fœlix decessit, atque in ejusdem Cella sua Oratorio, ab eodem socio suo viro æque sanctissimo sepultus, eundem ibi reliquit vitæ & rerum paupercularium hæredem.*

De Gondelacho.

De Gondelacho autem hæc ibidem superadduntur. *Porrò idem socius ejus ex monasterio Fulda olim retrò ante complures annos flore juvenili conspicuus, Treviros apud S Maximinum ob insignem Religionis conversationem commigraverat. Deindè Domni Eginoldi fama accensus Gorziam veniens, ei individuus ferè comes per aliquod tempus adhæsit, donec eodem jubente cum prædicto venerabili Blidulpho in manasterium sancti viri Oggonis magni & præclari prius in sancto Maximino Abbatis & post Leodiensis Ecclesiæ egregii Pontificis delegatus, post obitum ipsius Domni Oggonis utrique inde Gorziam regressi, mox brevi ad ea quæ prædixi Eremi remotiora pari consensu secedunt, & ut dictum est, ipse Domno Blidulfo succedens, locellum ipsum usque in finem vitæ incoluit, doctrinaque & vitæ puritate clarus ibidem quievit.*

Remotiorem hunc Eremi Vosagensis locum assignat Richerius * in Valle *Lebrath* ** ad quam cum pervenisset Blidulfus, Valliculam intra montes inclusam adiit, in qua in clivo montis ad meridiem cellam erexit, quam Bellum montem appellavit. *Audientes vero multi* inquit Richerius *sanctitatem viri Dei, ejus se conversationi sociare studuerunt. Inter quos extiterunt duo genere & fide nobiles Willelmus & Acherius, qui etiam ambo ipsius loci fundatori coequari potuissent.*

* *Lib. 2. cap. 9.*
** *Val de Lieure.*

Tan-

Tanta autem fuit fama posterioris hujus sancti viri, ut Cella Belli montis amisso hoc nomine, Acherici cella deinceps nuncupata sit. Hæc Mediano monasterio olim attributa & subdita fuit: sed ætate Richerii in Parochialem Ecclesiam nonnullis jam ab annis conversa fuerat, solo jure patronatus & decimarum penes Medianum monasterium remanente. Circa finem verò sæculi decimi sexti hæc eadem Ecclesia ab hæreticis fuit occupata & ab iisdem etiamnum detinetur. Acherici pagus vicinus est oppido sanctæ Mariæ ad fodinas, à quo mediâ circiter Leucâ distat.

Vide Richerium ibidem.

Ex quibus colligas Blidulfum & Gondelachum in Mediano nostro cœnobio haud diu cum Adelberto permansisse: sed brevi remotiorem & secretiorem adhuc locum quæsivisse, in quo soli Deo liberius vacarent.

Expeditâ narratione de Blidulfo & cella ejus, Richerius sic prosequitur. *Anno igitur DCCCCXLII.* (arbitramur primum & genuinum Authoris manuscriptum habuisse *DCCCCLXII.* qui numerus si restituatur, quæcùmque in antecedentibus & consequentibus de Friderico narrantur, apprimè conveniunt tempori quo Ducatum Lotharingicum hic princeps gessit.) *Fridericus Dux Lotharingiæ de quo supra mentionem fecimus, quia divinis libenter providebat Ecclesiis, cum monasterium sancti Deodati proprio foret viduatum pastore, Adalbertum quem Mediano monasterio post Canonicos præfecerat adire decrevit, & ei ut dicto monasterio sancti Deodati præesse vellet ammonuit.* Acquievit voluntati Ducis Adalbertus: sed cum utrique loco se non posse sufficere posteà cerneret, cuidam Erchemberto Monacho Abbatiam sancti Deodati commisit. Ille verò brevi totam loci substantiam & suppellectilem ita devoravit & distraxit, ut fratribus ibidem commorantibus victui necessaria ministrare non posset. Quare Dux Fridericus valde iratus illum ab administratione amovere cogitavit, quod cum rescivisset Erchembertus statim vendictis calicibus & vasis sacris, il-

ADALBERTUS Monasterio S. Deodati præfectus Erchembertum sibi subrogavit, qui substantiam monasterii dissipans dejectionis suæ & Canonicorum introdu-

ctionis causa fuit. lorum pretium Duci placando offerre statuit. At munus istud aversatus Religiosus princeps, malum illum provisorem cum monachis ibi ab Adalberto restitutis expulit, & Canonicos eorum loco substituit, qui ibidem etiamnum perseverant.

Caput VIII.

POst hæc Oratorium gloriosæ Virginis & Matris Domini Mariæ crebro fragore ruinam sui minitans idem Abbas cupiebat diruere, alterumque illo augustius restaurare: sed quia conatibus ejus plurimum obviabat quod venerabile S. Præsulis HIDULFI corpus usque ad illud tempus ibidem arca saxea servabat, coacto Abbatum ac vicinorum Clericorum Religiosorumque concilio illud decrevit levare

a. tumulo ac apparato locare in scrinio. *a.* Quod

Elevatio B. HILDULFI ex arca saxea, in qua reconditus fuerat in Oratorio B. Mariæ.

cum omnibus placuisset ac tantæ rei perficiendæ instarent, consilii fuit ut si sacros artus ceu velle habebant, recondere quissent, monasterio devotionis gratiâ circumferrent. At quoniam minaci nubilo pendente, solis ac siderum facies denegabatur terris menstrui * imbris vehementiâ resolutis, nec valebant cum Ecclesiasticis ornamentis secedere tectis, annuit Abbas ut solis circumferrentur claustris. Ubi tamen ad tumbam Sancti cum cereis ac thimiamateriis ** ventum est ac operculum illi subductum est, pariter quoque gravida

* *In Manuscript. legitur* menfurni.

** *Forte* Thymiateriis.

vida madidi aëris palla diſcinditur, ridente ſereno, & Terrigenis lux diu ſuſpirata redditur continuò, quatenus cunctis liqueret quantâ meritorum claritate in vivorum regione fulgeret anima, cujus exuviis arridebant in terris aera. Nefas enim erat elemento non parcere mortalibus, quorum devotio opponebat Trinitatis habitaculum ejus terroribus. Cujus rei evidentiâ confricatus animus præſentium, incaleſcebat ad inviſibilis regni deſiderium: in quo ille cujus in præſentiarum cernebant corpus, evidentibus indiciis oſtendebat ſe jam recepiſſe ſtolam unam, in die quoque ſuprema ſuſcepturum aliam. Quantum lachrymarum gemituumque dulciter ex intimi animi medullis prorumpentium ibi fuſum ſit, digne proloqui carnis lingula nequit. Tandem ſacras reliquias nitido involventes pallio, ligneo recondidere ſcrinio, quod imponentes ſcapulis intulere Oratorio beati Apri Confeſſoris Chriſti: indéque mox efferentes, altera regreſſi via invexere monaſterii clauſtris VII.° * Idus Novembris; tanto funeri inſperatum obſequium aëre præbente, & poſt ejus collocationem nonnullis diebus idem conſervante. Qua de re communi cunctorum voto hunc diem celebrem habere placuit recurſu annuo; qui uſque in præſens celebrior ſolet ſu-

* *Legendum eſt* VI.° *quo die feſtum hujus translationis annuatim celebratur in Medi[illegible]mo cœnobio & in antiquo illius Martyro-*

logio manuscripto annotatur.

ſuſcipi etiam depoſitione ipſius, quam repræſentat menſis Julius: ſive propter illud occupatiſſimum tempus, ſeu quia minus abundat victualibus. Tunc quoque beata ſanctorum germanorum JOANNIS & BENIGNI corpora quemadmodum ex uno ſublata ſunt Mauſoleo, in uno reponunt ſcrinio, quorum advectio à prioris ſepulturæ loco ſexto Idus Maij extitit *b*. & ut erat ſolemnis remanſit; quia ſingulare feſtum perſolvere huic ſancto præſuli quot annis devotio priorum voluit.

Elevatio SS. JOANNIS & BENIGNI.

b

Annotata.

a. Quo regiminis ſui anno Adalbertus hanc translationem fecerit, non conſtat. Ex Richerio * colligitur facta anno 956. ſed maturiùs quam par ſit credere; nam Adalbertum Mediano monacterio vix tunc præficere potuerat Fridericus, qui Ducatum Lotharingiæ non obtinuit ante annum 959 ut ex annotatis ad præcedens caput liquet. Joan. Herculanus in libro de antiquitatibus Vallis Galileæ * diſertè aſſerit eandem translationem peractam fuiſſe anno Domini 973. ſed longius & tardius illam hic Author diſtrahere videtur; Nam ſeries & ordo rerum tam ab Anonymo noſtro quam à Richerio & Joanne Bayonenſi relatarum poſtulat, ut hæc translatio non protrahatur ultra initium Epiſcopatus B. Gerardi Tullenſis Epiſcopi.

* *Chron. Senon. Lib. 2. cap. x. & xi.*

* *Cap. 18.*

De eadem translatione non meminit quidem Joan. à Bayono, ut alias obſervavimus *, ſed cum expreſsè tradat * anno Domini 963. Domnum Gerardum Tulli á Brunone Colonienſi Epiſcopum præfectum fuiſſe: anno verò

* *Comment. præv §. VI. num. 1.*

* *Cap. XXVIII.*

verò Domini 964. Kalend. Aprilis, Adalbertum Mediani cœnobii Abbatem diruto Oratorio sanctæ Mariæ matris Domini, alterum augustius ædificare studuisse; consequens est ut translatio sancti Patris nostri Hildulfi facta fuerit anno præcedenti 963. sexto Idus Novembris.

Anno itidem 964. idem Joannes à Bayono ait * præfatum Adalbertum prædium *Bercheim* quod incuriâ Abbatis & Monachorum dudùm perditum fuerat, auxiliante beato Gerardo Episcopo Tullensi recepisse *sub chirographo signato Argentina annulo Imperiali.* * *Cap. xxvii.* Curiæ *Bercheim* recuperatio.

Tum subdit quasi per parenthesim: (*sub hoc tempore Codex vita Beati Hidulfi repertus est, quem Medianenses fratres scolasticis adhibitis studuerunt braviare.*) Et mox priorem sermonem de prædio *Bercheim* perficiens ait: *sed anno 977. Hermannus*, (haud dubiè Alemanniæ & Alsatiæ *Dux*) *prædium de* Bercheim *invadens, cuidam Lugoldo compatri suo concessit.* Nova ejusdem Curiæ amissio.

De hac Hermanni Ducis invasione Almannus Abbas Adalberti Successor apud Imperatorem Ottonem III. graviter conquestus est per sui monasterii præpositum, ut testatur præfatus Historiographus his verbis: *Otto Imperator tertius quarimoniis multis Ecclesiarum & Mediani cœnobii præcipuè, pro prædio Berkeim pulsatus, adeo ut præpositum dicti cœnobii vix à suis pedibus provolutum dimovisset, gemens Hermanno Duci iniquo pervasori talia imprecatus est: Deus omnipotens dignam vicissitudinem rependat ei cujus violentia cogor importunitatem pauperum monachorum perpeti; attamen vita comite, sancto Petro conabor sua restituere. Anno 997. Igitur Otto adversus Crescentem civilia bella concitantem Romam profectus est post tale votum seu promissum, & cum ipsum Crescentem turri dejectum morti dedisset, ab uxore ejus sicut fertur Cæsar veneno potatus, vita functus est; & sic Medianum cœnobium fraudatum est effectu promissorum Cæsaris.* Fallitur autem hic autor dum Ottonem ex hac expeditione in Germaniam non rediisse De hac amissione gravis apud Imperatorem conquestio.

ſupponit; nam anno 999. ex Italia reverſus idem Imperator, Poloniam profectus eſt ad limina ſancti Adalberti Martyris & anno 1000. Aquisgrani comitia habuit, ac deinde Romam tertiò profectus & veneno potatus dum in Germaniam rurſus properaret, in Romaniæ oppido Paterno dicto mortuus eſt, die 24. menſis Januarii anno 1002.

b. In antiquo Mediani monaſterii Martyrologio manuſcripto ſic annotatur feſtum translationis SS. Joannis & Benigni: VI.° *Idus Maij: Medii monaſterii, Translatio SS. Confeſſorum Joannis Presbiteri & Benigni Diaconi diſcipulorum S. Hildulfi Archiepiſcopi.*

Caput IX.

Inventio S. Bonifacii.

HIc ordo geſtorum expoſcit ut memor promiſſi, retexam inventionem ſancti BONIFACII Martyris. Diruto equidem templo Beatæ Dei Genitricis ac perpetuæ Virginis Mariæ, ſimulque ædiculâ beati Martini eidem cohærente, in qua jam dictum eſt Martyrem tumulatum fuiſſe: neceſſariò loca dudum Orationis occupaverant parietinæ hominibus ac beſtiis perviæ. Quam ſuarum reliquiarum negligentiam non ferens ſpiritus Martyris, qui mirabiliter honorabatur in cœlis: quadam nocte per viſum in habitu militari, ſicut eſt vultus dignitate venerabilis, cuidam juvenculo monacho TIETFRIDO nuncupato adſtitit, ex indigenarum quidem medio-

cri

cri ſanguine procreato, ſed ut putabatur bonæ actionis futuro, eumque ſuo taliter dignatus eſt alloquio: admodum ægrè fero, quod parietinis premor, pedibus & ſordibus hominum pecorumque atteror, conculcor ac inficior; quamobrem quantocius ſurgens maturato dicere Abbati, ut ſi propriæ vult conſulere ſaluti, provideat quietem corpori meo. Quem frater ille hoc modo percunctatus eſt: Domine mi quem te dicam & ubi habere vis ſepulturam. Martyr ad hæc ſic intulit: ſcias me Bonifacium nominari, glorioſæ legioni Thebeorum Martyrum numero & merito ſociari; ſiquidem divina concedente gratia non impar gloriæ collegæ mei Mauritii, in cœlis ſervatur & mihi gloria, quos per omnia fecit pares labor & militia, exhortatio ſociis titubantibus impenſa & in fide uſque ad mortem perſeverantia. Poſt nonnullos verò annos à corporibus commilitonum meorum furtim diſgregatus, à quibusdam devotis Deo viris ad hunc locum ſum delatus atque in Oratorio* beati Martini terræ commendatus; ubi uſque in præſens latuerunt omnes artus mei excepto capite, quod inter collegarum meorum corpora prior retinuit locus. En tibi cunctarum reliquiarum mearum cauſam explicui. Tu nunc abſque recraſtinatione pergens

* *Manuſcript. Epternac. habet* Oratoriolo. Divi Bonifacii caput deeſt in Mediano cœnobio.

gens explica hoc ipſum Abbati. Nec mora cum verbis ſubducitur monacho ſpecies Martyris, qui ubi expergefactus eſt, quia maluit revelationem iſtam fantaſmati adſcribere, quam ei aliquatenus fidem accomodare & ſuper hoc divinitatis miſericordiam implorare, diſtulit ſibi imperata perficere: ſive pertimeſcens hypocriſi atque mendacio notari, ſeu invidiam contrahere ſuæ parvitati. Quapropter iteratò adventantis acerrima increpatione percellitur Martyris. Cur inquit commonitionis meæ acrimoniam minimè perhorreſcis? quid denuò ad te venire compellis? ſcias te igitur luiturum pœnas contemptus & inobedientiæ priuſquam corruptibili careas luce. Hujusmodi verò minis poſtquam fratrem illum perterruit, omnem ſuperioris viſionis ordinem retexuit & Abbati intimare juſſit: ſed eo ceu primitùs diſſimulante, tertiò glorioſus Martyr eum dignatus eſt adire, ejusque vecordiam nimia verborum acerbitate increpare, ac recapitulato primæ & ſecundæ revelationis oraculo adjecit continuò: Animadverto duritiam tuæ infidelitatis non poſſe ad obedientiam flecti, niſi molliatur fomentis alicujus ſigni. Quocirca ſurrecturus ad nocturnales hymnos adi tum altare ſitum ad caput Sancti Hildulphi, ſupra quod mox inventurus cruci-

ciculam cum Cambuca ipsius Pontificis beati, totius ambiguitatis callum remove à latebris animi. Attamen quoniam tolerabilius tibi erit temporali supplicio subjacere, quam irrevocabiliter perpetuæ mancipari gehennæ, hujus neglectus ultionem noveris te subiturum in hac luce; satis enim satis superque penarum restat tuæ nimium carnali vitæ, quanto plus si adjiciatur facinus tantum inobedientiæ? Hac perterrefactus juvenis comminatione expergiscitur & fidem jussionis exploraturus, facto signo nocturnarum vigiliarum Ecclesiam ingreditur, ubi cum prædicti signi evidentiam cum corporeo hausisset oculo, omni dubietate postposita, Abbatem & fratres illuc advocavit adhuc in crepusculo matutino: quibus postquam ostendit præsens signum, cæteræ quoque revelationis patefecit textum. Indè unà cum illis ad locum tumbæ Martyris properavit & sicut per revelationem * acceperat, eis designavit. Ubi fodientes Mausoleum invenerunt decens, quod dum aperuere fragrantiam suavissimi odoris nares præsentium persensere. In quo tandem juxta visionis fidem reperientes Martyris exuvias, in syndone munda involverunt eas, sicque recondentes in scrinio, Begonis Cellæ invexere festinatò; quia recondendi aptus locus minimè suppete-

* *Manuscript. Epternac. habet* Visionem.

a. bat eis in diruto monasterio. *a.* (*Sed incuriâ successorum faciente, præfata cella sanctos artus permissa est retinere usque ad Domnum Abbatem Lambertum, qui anno ab Incarnatione Domini millesimo quadragesimo tertio, in sexta feria quæ* II. *Nonas Novembris habebatur, revexit.*) Frater verò qui toties commonitus tam claræ visioni assensum dare distulit, post aliquot annos præ domo infirmorum stans, repentino accessu paralisis adeo extabuit, ut se invito retrogradum iter ageret; donec per ipsius domus ostium intrò corrueret atque fractis cervicibus expiraret.

Annotata.

a. Quæ hac clauduntur parenthesi non videntur ab Anonymo nostro tradita: sed à posteriore aliquo scriptore hic interjecta; Nam idem Anonymus non progreditur ultrà Hardulfum Abbatem, cui prima vice dejecto successit Ensiboldus: quo brevi mortuo restitutus est Hardulfus, quem secunda vice privatum consecutus est Norbertus & huic post plures regiminis annos defuncto suffectus est Lambertus.

At inquies, forte non absolvit hunc suum libellum Anonymus, sed imperfectum illum reliquit. Immò absolvisse credendus est; nam si in animo habuisset de Lamberto Abbate sermonem aliquando facere, quod de revectione sacrorum divi Bonifacii artuum hic refert, ad tempus ejusdem Lamberti haud dubiè distulisset.

Ca-

Caput X.

INterea Dux FRIDERICUS suæ utilitatis insudans negotiis, Castrum cognominatum Barrum construxit in prædio Ecclesiæ Tullensis. Qua de causa GERARDUS vir totius sanctitatis præconio efferendus Imperatorem OTTONEM majorem adiit & ei injuriam illatam suæ urbi intimavit. A quo Dux satis facere jussus pro pervasione prædii, mutuæ vicissitudinis conditione, duas Abbatias Medianum monasterium & Galileam, *a.* cum aliquot villis patrimonii sui contradidit ei, ut posset ipse pacificè possidere quod præsumpserat sibi. Cumque tali pacto denominata loca Tullensi Diœcesi cessissent *b.*, memoratusque Præsul officiales eorum Sacramento sibi adstrinxisset, ob monumentum ipsius modi cessionis secum tulit Cambucas * Beatorum Antistitum HILDULPHI atque DEODATI, specie quidem vilissimas, nec ut hac nostra ætate passim cernitur artificiosè cameratas ac politas: sed tamen ad ostensionem sanctæ mortificationis meritique eorum efficacissimas, quibus nihil pompæ adjecerat artium industria, naturà sufficiente ad omnia. Has ergò Antistes ille devotus postquam metallis prætiosis pariterque reliquiis

Constructio Castri de Barro.

Abbatiæ de Mediano monasterio & de Galilea B. GERARDO traduntur à Frederico Duce.

a.

b.

* *Id est baculos pastorales.*

Cambuca S. HILDULFI Medianensi-

bus ablata cum majore & meliore campana.

quiis Sanctorum insignivit, in Gazophilatio Sanctuarii servari præcepit, quod & hactenus fit. Tulit etiam signum nostri cœnobii majus & melius, multis sibi quantitate metalli paribus, soni qualitate præstantius; quod acquisiverat Abbas ADALBERTUS. Illud tamen duodecim vix paria boum quiverunt ad oppidum convehere, cum post decessum ipsius Pontificis quatuor tantum facillimè quiverint revehere. Etenim quandiu Leuchæ fuit consueti soni dulcedine caruit: at postquam Deo volente locum recepit suum, pariter & sonum solitum.

Annotata.

a. Utramque hanc Abbatiam jam pridem à Regibus & Imperatoribus fuisse Tullensibus Episcopis concessam narrat Anonymus qui acta Tullensium Episcoporum ineunte sæculo duodecimo conscripsit. * Et quidem de Abbatia sancti Deodati sic ait: *Jacob Episcopus qui post Domnum Bodonem in Cathedra resedit Episcopali, acquisivit Abbatiam sancti Deodati apud Pipinum piissimum Regem.* De Abbatia verò Mediani monasterii sic de B. Gauzelino agens loquitur: *Is adeptus est Abbatiam Medii monasterii, eâ lege ut Fridericus Dux dum adviveret advocatiam retineret, ac Pontifex prabendam loci ordinaret, postque finem Ducis tota Abbatia ad Episcopum pertineret.*

* In Thesauro Anecd. Martennii. Tom. III.

Verum aut has concessiones effectu suo caruisse, aut easdem Abbatias Ecclesiæ Tullensi ejusque præsulibus statim ablatas fuisse necesse est; nam re verâ tunc erant pe-

penes Ducem Fridericum: alioquin quâ ratione illas D. Gerardo tradere potuisset?

Nemo autem sibi in animum inducat à Frederico Duce & subsequenter à Gerardo præsule prædictas Abbatias ita possessas fuisse, ut omnia illarum bona, jura, possessiones, redditus & proventus sibi vendicarent & in proprios usus converterent; nam ibidem perseverabant Abbates & Monachi, qui sine eorumdem bonorum adminiculo nec victum & vestitum sibi comparare, nec Ecclesiis suis ornamenta, Luminaria & Vasa sacra suppeditare, nec ædificia sarta tecta præstare, nec denique cætera sibi incumbentia onera supportare potuissent. Unde necessariò sequi videtur Fridericum his Abbatiis alio jure potitum non fuisse, quam jure Advocatiæ & Regaliorum: id est Monetæ, Telonei, Pedagii & similium ad summam sub Imperio dominationem & jurisdictionem temporalem pertinentium.

Accedit quod in Bulla Leonis Papæ IX. data Romæ an. M. LI. VIII. Kal. Aprilis & Udoni Tullensis Ecclesiæ Episcopo directa, quæ in calce historiæ Ecclesiasticæ & politicæ Civitatis & Diœcesis Tullensis reperitur *, hæc leguntur: *Confirmamus* (etiam Ecclesiæ Tullensi) *Abbatiam Mediani monasterii, sitam in Comitatu Calmontensi in Vosago, super fluvium Rabodonem, dicatam in honore sancti Petri, cum omnibus appendiciis ejus: quam antecessor noster Gauzelinus venerabilis Antistes illius misera servituti & desolationi paternè condescendens & ad relevandam paupertatem monachorum, qui per potentiam secularis malitia jam exulaverant, maximâ honestate sui & sapientiâ, ab avo & genitore Domni Ottonis Imperatoris impetravit ad augmentum Tullensis Ecclesia.* Quænam enim esset illa Gauzelini erga Medianenses paterna commiseratio & quod nam per hanc impetrationem levamen illis attulisset, si omnia Mediani monasterii bona in augmentum Tullensis Ecclesiæ cessissent? Sola igitur Regalia vel solam monasterii Advocatiam Gauzelinus impetravit, & hæc dum

* *Pag.* CXXVIII.

Udoni Episcopo Tullensi confirmatur Abbatia Medianensis.

duntaxat Fridericus Dux obtinere & Gerardo Gauzelini ſucceſſori concedere potuit.

Præterea in diplomate Othonis II. Imperatoris à P. Benedicto Capucino Tullenſi ad calcem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & politicæ Civitatis ac Diœceſis Tullenſis edito pag. XIX Abbatiæ non minus quam decem, (quarum aliquæ nequidem intra Diœceſim Tullenſem conſiſtunt) beato Gerardo ejusdem Diœceſis Epiſcopo conceſſæ ſeu confirmatæ leguntur: quas omnes cunctis ſuis bonis ac juribus continuò ſpoliatas fuiſſe nemo dixerit; cum in illis tunc permanſerint ac etiamnùm permaneant Abbates & Monachi. Unde conceſſiones & confirmationes hujusmodi nonniſi de Regalibus ac Jurisdictione temporali, aut certè de ſumma monaſteriorum præfectura intelligi poſſunt.

Castrum Barri construitur.

Abbatia Medianensis cum curia *Bercheim*, nec non Abbatia Galileæ dantur B. Gerardo in Con-

Anonymus autor hiſtoriæ fundationis ſancti Michaelis ad Moſam agens de concambio facto inter Fridericum Ducem & Gerardum Tullenſem præſulem, meminit expreſſè Curiæ *Berkeim* per Fridericum Gerardo traditæ. *Hic Fridericus* inquit, *propter frequentes Campanorum in Lotharingiam incurſiones, in confinio Lotharingiæ & Campaniæ caſtrum conſtruxit, quod Barrum quaſi Barram nominavit; cumque in partibus illis terram non haberet unde caſtrum illud caſare poſſet, de tertia parte poſſeſſionum Abbatiæ illud caſavit; dicens caſtrum illud totius Abbatiæ tutamen fore. Villam quoque quæ Barrivilla dicitur & alias plures ibi adjacentes quia ſancti Stephani Tullenſis erant, per concambium à ſancto Gerardo obtinuit: data ei curia quadam in Theutonica terra quæ* Berkeim *nominatur. Datis etiam duabus Abbatiis, ſcilicet Medio monaſterio & Galilæa quæ dicitur Deodatus.* At valdè mirum eſt nullam deinceps hujus concambii mentionem factam fuiſſe, tum ab ipſo ſancto Gerardo dum de reimpetranda Mediani cœnobii Abbatia apud Ottonem juniorem ageret, ut mox dicetur: tum à poſterioribus Leuchorum Epiſcopis, dum pro retinenda vel

vel recuperanda curia *Berkeim* omnibus nervis contenderent, ut infra videbitur. cambium Barrivilla.

Easdem sancti Deodati & Mediani monasterii Abbatias præfato Antistiti Gerardo ab Ottone juniore rursus concessas seu confirmatas fuisse tradit præfatus P. Benedictus à Tullo Capucinus & profert loco mox citato ejusdem concessionis aut confirmationis instrumenta duo *, in quorum primo agitur de Abbatia Mediani monasterii & novem aliis: in secundo verò de Abbatia sancti Deodati sola. Sic autem primum se habet: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divinâ clementiâ Augustus. . . . . Noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum industria, qualiter Gerardus sanctæ Tullensis Ecclesiæ Episcopus adiens nostram serenitatem humiliter expetiit, quatenus de Abbatiis & rebus ad Ecclesiam sibi à Deo commissam pertinentibus præceptum nostræ authoritatis conscribi juberemus. Ejus petitionibus annuentes, interventu serenissimæ genitricis nostræ semperque Augustæ Adalbaldis, venerabilis quoque Metensium Antistitis Theodorici, decrevimus ut Abbatiam sancti Apri cum omnibus appendiciis & Abbatiam sancti Mansueti cum universis adjacentibus, ac Abbatiam sancti Germani & sancti Martini cum omnibus ad easdem pertinentibus, tam ipse quam successores ejus quieto ordine teneant. Similiter Abbatiam quæ vocatur Medianum monasterium sitam in Comitatu Calmotensi, in Vosago saltu, super fluvium nomine Rabadone, dicatam in honore sancti Petri cum omnibus appendiciis: quam antecessor ejus Gauzelinus venerabilis Antistes olim à beatæ memoriæ nostro genitore ad augmentum suæ Ecclesiæ impetraverat. Nos verò hanc memores munificentiæ nostri genitoris dedimus, ut Fridericus Dux beneficium jam dictæ Abbatiæ tantùm tempore vitæ suæ teneat; adjicientes illud nostra Impetiali decentiâ, ut præfatus Gerardus Episcopus & Ecclesia ipsius prabendam monachorum investiturâ possideat, & quantum ex beneficiis ipsius Abbatiæ à jam dicto Domino consequi potuerit. Post autem obitum Friderici Ducis, cum omni integritate & absque alicujus contradictione Domno Tullensis Ecclesiæ perpetualiter tenenda reformetur. . . . . Data anno Incarnationis Dominicæ*

* Pag. XIX. & XXIII.

Abbtia Mediani monasterii Ecclesiæ Tullensi confirmatur.

ce MCCCC LXXIV. Indict. I anno regni Domini Ottonis XIII. *Imperialiter actum Machi.*

Post obitum Friderici S. Gerardus novas conventiones fecit cum Ducissa Beatrice ejus vidua, quas refert Vidricus Abbas sancti Apri in vita ejusdem S. Gerardi, ubi inter alia hæc ait: *Ipse* Gerardus *concessit Duci Beatrici tempore vitæ suæ & post se uni filio suo, tenere Abbatias Medii monasterii & sancti Deodati: retinens investiturâ indominicata monasteria & decem Mansos de utroque cœnobio, & altare sancti Deodati & Decimas mina argenti, censusque hominum ad altare pertinentium cum omni districto.*

b. Id est Jurisdictoni temporali accessissent. An verò fuerint aliquando ambæ illæ Abbatiæ Jurisdictioni spirituali Episcoporum Tullensium subjectæ, aut saltem intra limites Tullensis Diœcesis comprehensæ, præsertimque nostra Medianensis? Ex tota hac historia quam bona fide tradimus, prudens lector dijudicet.

Quædam tamen hic annotasse juvabit. Primum est, Medianenses nostros ad Tullensem potius quam ad quemcumque alium Episcopum in necessariis recurrere olim consuevisse; quanquam id non aliâ fortè ratione facerent, quam quod in eadem cum ipso Provincia tam Ecclesiastica quam Politica commorarentur, iisdemq; moribus & idiomate uterentur; hinc enim fiebat ut & facilior eis esset ad illum accessus & commodior cum illo societas, quam cum dissonis Patriâ, moribus & lingua Episcopis: quales erant alii circumvicini, Basileiensis nimirum & Argentoratensis. Secundum est, hanc consuetudinem post concessam Episcopis Tullensibus Mediani monasterii Jurisdictionem temporalem, magis ac magis firmatam fuisse. Tertium est denique, eandem Medianensium consuetudine cum prædicta Episcoporum Tullensium Jurisdictione temporali conjunctam sufficere potuisse ut Medianum monasterium Tullensis Diœcesis aliquando nuncuparetur,

tur, & aliquam ſibi in illud auctoritatem ſpiritualem Tulleníes Præſules aſſumerent.

Caput XI.

ADALBERTUS qui tunc temporis fungebatur Abbatis nomine, cum per aliquot annos ſtrenuè, quantum ad hominum pertinet æſtimationem, impendiſſet ſollicitudinem ſibi commiſſæ Abbatiæ, incommodo aliquantulæ infirmitatis cœpit laborare; qui vehementer percuſſus paraliſi, poſtquam nonnullos pœnaliter tranſegit menſes in grabato, ſæculo huic aufertur cum luctu magno. *a.* Succeſſor ejus in loci regimine extitit ALMANNUS ex familia ſancti Petri Martyris* excellentiore *b.* oriundus, corpore elegantiſſimus, ſtatura procerus, moribus & actu modeſtus, in eruditione litterarum minus perfectus, in reſtructione Abbatiæ vigilantiſſimus, juxta mediocritatem ſui ingenii in revocando ſubjectos ad inſtituta Regulæ fervidus. Hic denique eruditionem ſuorum credens ſuam, mercede conduxit eis doctorem Grammaticæ; quin & volumina artis ejuſdem plurima ſtuduit loco conquirere. Hic monaſterii fabricam cum omnibus officinis à deceſſore ſuo inchoatam, ſed maxima ex parte imperfectam,

ADALBERTUS Abbas moritur an. 985. Illi ſuccedit eodem anno ALMANNUS.

a.

* *In Manuſcript. Epternac. vox* Martyris *non legitur.*

b.

c. ctam, perduxit ad manum supremam. *c.* Verum donec fabrica eadem reparatur, corpora reliquiasque Sanctorum servavit aula Pontificis, *d* juncta tunc claustri officinis: in qua divinitùs innumera præstita sunt infirmis beneficia, quæ censui prætereunda brevitatis gratiâ. Unum tamen non pigeat me inferre quod inter alia ibidem contigit. Energumenus quidam possessoris sui impulsu scelesta faciens, scelestiora dicens, propinquorum obsequio illùc advectus est. Qui cum aliquandiu invitus ante aram Sanctorum teneretur, repentè corruens, rotatu horrifico per pavimentum agitur. Sed hic rotatus & tormentum captivi liquidò astantibus prodebant flagra & torturam latronis maligni quibus compellebatur egredi. Denique post nimiam rotationem ipso aditu quo fuerat intromissus, exire coactus, cum obscœnitate vomitus instar vermis bipedalis ab intimis visceribus miseri est projectus. Qui mox ut paululum somni diù negati arripuit, gratias creatori omnium ac fidelibus ipsius agens, propria incolumis repetiit.

d. Dum fabricam monasterii perficit ALMANNUS Abbas Reliquiæ SS. servantur in aula Pontificis, ubi varia fiunt miracula.

Annotata.

* Cap. XXX.

a. Juxta Joannem à Bayono * Adalbertus viam universæ carnis ingressus est anno 985. III.º Nonas Aprilis & sepultus fuit *à tergo & fronte altarium SS. Mariæ & Hildulphi.*

Pau-

Paulò ante finem vitæ ejus, hoc eſt anno 984. ut narrat præfatus Autor * *Rex Francorum Lotharius mota expeditione ut Ottonis* III. *infantis imperium invaderet, ad Rheni alveum pergens, Chuononis Ducis Sueviæ qui ejusdem Imperatoris tuebatur infantiam, occurſu fugatur. Fratres autem Medianenſes hoſtilem dicti Regis Franciæ timentes impetum, corpus S. Hidulphi cum Sanctorum reliquiis, omneque decus Eccleſiæ ſuæ tranſtulère ſub Balma, quam* Altam Petram *vocant: campanas verò misère ſub fluminis pontem. Porrò Chuono Dux prædictus uſque flumen Mortam Regem Franciæ proſecutus eſt & dum rediit ad propria, pernoctatus ſub cella B. Erardi quæ eſt contigua medio cœnobio, ſuper fluviolum ſita, pro quodam miraculo (quod Hiſtoriographus non narrat) exercitui ſuo interdixit ne quidquam vaſtationis rebus Medianenſibus inferrent. Quo ita abeunte Beati Hidulphi artus & cætera cuncta ad ſuum monachi ſtuduerunt locum referre.*

* *Ibid.*

Corpus S. Hildulfi ſub Balma abſconditur, ob metum tranſeuntis exercitus Lotharii Regis Francorum.

Tradit inſuper idem Autor * Imperatricem Adelheidam Ottonis I. conjugem Mediano monaſterio devotam fuiſſe & ſub Abbate Adalberto Eccleſiam noſtram duarum cortinarum munere decoraſſe; quas ſuo tempore adhuc extitiſſe aſſerit.

* *Cap.* XXII.

Adalbertus non Medianum tantùm: ſed etiam ſancti Manſueti Tullenſe monaſterium rexit, fuitque vir moribus laudabilis & ſtrenuus Rector Monaſtici ordinis; ut colligitur ex charta á beato Gerardo Epiſcopo Tullenſi cui familiariſſimus fuit, anno 982. data, in qua teſte P. Penedicto Tullenſi Capucino Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & Politicæ Civitatis & Diœceſis Tullenſis pag. 196. ſic loquitur ſanctus Pontifex: *Impegi in Dominum Adalbertum loci Domini mei Manſueti Abbatem, qui eâ tempeſtate & Medii monaſterii regebat Abbatiam, moribus laudabilis, Rector pugil monaſtici ordinis, apud nos obtinuit locum magnæ familiaritatis.*

b. Quis ille ſit ſanctus Petrus Martyr, quæve ejus familia, ignoramus. Inveniuntur quidem plures hujus nominis ſancti Martyres, ſed alii longè antiquiores: alii

verò longè recentiores sunt, quam ut ex illorum familia Almannus noster oriundus dici possit. Circa medium sæculi noni fervente in Hispania Maurorum sævissimâ persecutione, passi sunt duo ejusdem nominis sanctissimi viri. Primus est Petrus Sacerdos ex urbe Astigitana qui litterarum studio Cordubam profectus fuerat. Secundus verò Petrus Monachus qui Cordubæ pariter paulo post cæsus est. Sed ingens locorum distantia non mediocrem ingerit difficultatem & citrà omnem verisimilitudinem ex illorum familia oriundus diceretur Almannus. Huic coævus fuit Petrus Abbas Sublacensis à nonnullis pro Martyre habitus & Martyris nomine insignitus *, cum enim inquit Mabillonius ** ad annum 999. *Castrum Armulæ quibusdam illius Regionis præpotentibus viris tradere nollet, in vinculaconjectus est ab illis: sed meritis sancti Nicolai quem præcipuo cultu venerabatur semel solutus, iterum captus & duplicatis vinculis irretitus, demùm oculis orbatus misere vitam finivit, sepultusque est juxta idem castrum in Ecclesia sancti Vincentii, ubi Deus per eum mira quædam operatus fuisse traditur.* Recens erat Sublacensis hujus Abbatis memoria cum Anonymus noster libellum suum de Successoribus sancti Hidulfi scriberet, sicque illum sub sancti Petri Martyris nomine designare potuit; quo casu necesse est aut Almannum fuisse hominem Italum, aut Petrum ex his partibus in Italiam profectnm fuisse & Sublaci monachum induisse: vel (si monachus jam erat) stabilitatem suam ibidem firmasse; quod facilè fieri potuit, cum nostrates Italiam frequenter peragrarent limina Beatorum Apostolorum & alia sancta loca visendi gratia, inter quæ monasterium Sublacense & in eo existens divi Patris nostri Benedicti sacrum specu, non infimum obtinent locum.

* *Vide Bucelin in Menolog. ad diem* XXXI. *Decemb.*
** *Annal. Bened. Tom.* 4. *pag.* 131.

Verum quidem est in Epternacensi manuscripto sanctum illum Petrum quem quærimus non denominari Martyrem: sed cum non sit minor difficultas reperiendi sanctum aliquem Petrum Confessorem ex cujus familia oriundus sit Almmannus, nec certum & exploratum hac

in

in re quidquam habere possimus., frustrà diutius hic immoraremur.

c. In hac monasterii fabrica præcipuum locum haud dubiè obtinet Ecclesiæ B. Mariæ instauratio, cujus integra pars transversa adhuc superest, cum duabus Campanilibus illi conjunctis. Excipiendæ tamen sunt ejusdem partis transversæ concamerationes, cum fenestra ad meridiem posita, quæ longè posterioris sunt ætatis.

d. Pontifex cujus hic fit mentio non alius est ab Episcopo Tullensi Gerardo, qui post concessam sibi Abbatiam Mediani monasterii, Ædem juxtà claustri officinas construxerat.

Caput XII.

INterea Domno Pontifice Gerardo ex hujus vitæ ærumnis sublato *a.*, ad Tullensis Diœcesis Pontificatum subrogatus est STEPHANUS ex Mediomatricæ urbis Clero, qui jugiter pluris fecit locum hunc, quam cætera suæ suæ sedis cœnobia, Oratoriumque sanctæ Mariæ suâ consecravit industriâ: qua etiam die restituit signum loco olim ablatum à prædecessore suo *b.* Hic vix duobus annis Ecclesiam rexit, sed licet apud Bodonis monasterium hominem exuerit: hic tamen sepeliri voluit, quod & contigit. Sepultus autem extat à dextris altaris semper Virginis & Matris Domini Mariæ in Mausoleo ex quo dudum leva-

a. GERARDO Episcopo succedit STEPHANUS, qui Ecclesiam B. Mariæ consecrat & campanam olim ablatam reddit.

b.

Obit STEPHANUS Episcopus, & in Ecclesia Mediani monasterii sepelitur.

levatæ fuerant Sanctorum Germanorum Johannis & Benigni reliquiæ, pectori ejus cruciculâ superpositâ, disticon Abbatis Sicconis inscriptum habens ita:

Hic fuit Antistes Leuchorum Stephanus o'im
Idibus & ternâ Martis discessit ab arvis.

Stephano Episcopo successit Bertoldus, qui Almannum Abbatem delusit.

Super tumulum ejus dum postmodum duo fratres consisterent & odas Missæ decantarent, repentè nimius fragor sub pedibus eorum insonuit, qui eos à statu suo super pavimentum conquiniscere coegit. Verum an hoc contigerit causa Sanctorum Mausolei, seu pro reverentia sepulti Episcopi, non plane cognitum est mihi. Successor verò ejus in Pontificatu extitit Bertoldus natione Suevus, honestati sæculi præcipuè intentus, in constructione novarum atque eminentium fabricarum nulli secundus, in solitis legibus oppressor vulgi & monasteriorum versutus: qui Mediano cœnobio irrecuperabilem calamitatem intulisse dignoscitur. Nam præfatus Abbas tempore Henrici Principis ratus sibi divinitus offerri occasionem reposcendi prædii *Bercheim* ab iniquis diu possessi, suasu supradicti Bertoldi enorme servitium exhibuit Imperatori, in cujus impensa coactus est cunctam penè

penè ſupellectilem & pecuaria Abbatiæ abſtrahere; quin etiam omne ornamentum tam à crucibus & candelabris, quam etiam à lecto Sancti HILDULPHI ac geſtatorio ſanctarum reliquiarum diripere. Siquidem vir ille bonus & ſimplex nihili pendebat cenſum Eccleſiæ bonum prodiga manu in tali negotio diſpergere, quem ſperabat ex redditibus fundi illius multipliciùs reſtitutum iri. Igitur poſtquam duo pondo auri appendit archariis Gazæ Imperatoris, præter præfati impenſas ſerviminis, ſolemni traditione recepit ab eo prædium cum appendiciis ſuis. Quod cum uno anno pacificè poſſediſſet, BERTOLDUS Epiſcopus qui debuerat res ipſius cænobii ab improborum retibus ſua auctoritate ſubducere, pellaciâ malignitatis ſuæ non timuit ſubintroductæ chartæ atque vafræ machinationis conſpiratione vendicare c.: immemor divini Judicii, neglector etiam indicibilis damni quo domus Dei penè annullata fuerat, ob receptionem illius fundi. Hujus tam immaniſſimæ crudelitatis cuſpide perfoſſum cor Abbatis, aut nullam aut raram diem in hac luce poſt hæc ſine mœrore tranſegit. Hic poſt innumera induſtriæ ſuæ exercitia, quibus loco ſibi credito prodeſſe curavit, ætate & infirmitate confectus natu-

ALMANNUS obit anno 1011. ut teſtatur Joan. à Bayon. l. 2. cap. 32.

turæ cessit ac in Basilica beatæ Mariæ sepulturam meruit.

Annotata.

a. Præter ea quæ de beato Gerardo superius dicta
* Cap. XXIX. sunt, sequentia tradit Joannes à Bayono*: *Gerardus* inquit *hunc gloriosum* (divum Aprum) *à tumulo transtulit, in cujus translatione digna miracula Dominus ostendit. Corpus etiam sanctæ Aproniæ sororis ejus à Trecorum urbe susceptum Tulli mœnibus advexit, Reliquiasque Elyphii Martyris transferens, majorem partem ex eis Coloniensi Ecclesiæ tulit. Martyris etiam Blasii pignora Medianæ cellæ, quæ* Begonis *dicebatur itidem attulit.* Cætera cum in vita sancti Gerardi legantur, & ad propositum nostrum nihil attineant, consultò omittimus.

* Cap. XXXIII. *b.* Addit Joannes à Bayono * quod hic Episcopus Stephanus Mediano monasterio attribuit aliquid fundi, cum mancipiis *quæ* inquit *usque hodie deserviunt Camerariæ monachorum. Sedis ejus* Tullensis videlicet idem monasterium hìc dicitur, vel quoad temporalia duntaxat, vel etiam quoad spiritualia saltem juxtá sensum à nobis traditum superiùs in annotatis ad cap. x. hujus libelli.

* In Thesauro Anecdot. tom. III. *c.* In actis Episcoporum Tullensium à Martennio editis * de Bertoldo sic legitur: *Ipse reimpetravit ab eodem Imperatore* (Henrico) *reddi Ecclesiæ suæ villam in Halsacio sitam, quæ vocatur* Berchem *& Teloneum & districtum minæ.* Verum non indicat horum actorum Autor qua arte cujusve chartæ obtentu hanc villam reimpetravit, nec tali reimpetrationi acquievisse videntur sequentes Mediani monasterii Abbates: donec controversia inter illos & Tullenses Episcopos hac de re mota, per Innocentium II. Papam anno 1131. finita est, ut inferius dicemus suo loco.

Ca-

Caput XIII.

SUccessor autem ejus NARDULFUS * extiterat *a*. quem præfatus Abbas à sacri baptismatis fonte susceperat, quemque per diversa loca causâ discendi cœnobitalem vitam transmiserat. Hunc cum ipse defungeretur, sermone quo valuit BERTOLDO Episcopo commendavit atque ut sibi succederet imperavit. Tempore verò prælationis ejus, plurima in loco præfato divinitùs ostensa sunt miracula, quibus pravorum retunderetur insolentia & rectorum confirmaretur benevolentia *b*. Ex his libuit aliqua subnectere quæ interim occurrunt memoriæ. Depositionis festum Sancti Patris nostri HILDULPHI instabat & cœmentarii restruendæ maceriei Domitorii operam dabant. Qui cum vellent ob solemnitatis reverentiam opus illud intermittere obstitit, ENCIBOLUS præpositus, talia eis inculcando creberrimè: Servitium est Sancti, quod propter festum ipsius non debet intermitti: sed magis studiosè peragi. His monitis machiones accensi plus solito instabant cœpto operi: at hora refectionis incumbente, cum pariter mensam petentes cibum sumerent, quidquid operis per hebdomadam integram fecerant, repen-

a. * *In Manuscript. Epternac. legitur:* Hardulfus. *Item apud Joan. à Bayono. Unde hic mendum irrepsisse opinamur.*

HARDULPHUS Abbas ALMANNO successit an. 1011.

b. Hic & in sequentibus varia narrantur miracula tempore HARDULPHI Abbatis patrata.

pentinâ ruinâ terram petiit & quia Sanctus obedientiam quam sacrificium mallet, casus parietis innotuit. Itaque nullus præsumpsit illâ die fabricam illam aggredi, in cujus eversione intelligebant quid eis potuisset contingere adversi, si non pepercisset illis misericordia Domini. Sequentis miraculi textus docebit quam piâ aure Sanctus hic se in veritate invocantibus adsit. Translationis ejus solemnium quod illic populoso frequentatur accessu aderat, & tam fratrum quam etiam supervenientium usibus apparatio piscium omninò deerat. Dumque præpositus Monasterii MARBODUS dictus pisces hinc inde præstolando cassâ spe delusum se doleret & missæ solemnia concio Monachorum & Canonicorum c. summo studio perageret, publicâ necessitate cogente, palam omnibus lectum Sancti in Cripta cum lachrymis infusus addiit, & tacitam precem cum contritione nimia ante venerabile corpus prostratus aliquandiù fudit. Ubi ab oratione surrexit, affuere extemplò quidam qui dicerent nonnullos Allabroces * inesse contiguo flumini: quò sub omni agilitate piscatores transcurrentes, mirâ capturâ tot & tantos retibus suis continuò cinxere, quod plenè possent non solum die festo, verum etiam per totam septimanam fratribus sufficere.

* *Legendum putamus* Allobroges, *quo nomine indicare voluit Autor pisces* Umbras *dictos, qui simillimi sunt cuidam pisci*

An-

Annotata.

a. Ponderandum eſt hoc verbum in præterito plusquam perfecto poſitum: *Extiterat*. Sequitur enim Hardulphum ſeu Nardulfum tunc non amplius extitiſſe Abbatem, cum Anonymus noſter hunc libellum conſcriberet. At teſte Joan. à Bayono ** Hardulfus anno 1016. per Bertoldum Epiſcopum Tullenſem depoſitus fuit, & ad ſancti Apri *** cœnobium directus, ibidem puerorum Tullenſium ſcholis præfectus eſt. *Ejus locum* inquit idem Chronographus *ſimoniacè invaſit Enciboldus quem ex ſancto Nabore* **** *Almannus Abbas Hardulſi anteceſſor ſcholares in uſus invocaverat, & Abbatiæ potius exſtirpator quam proviſor fuit, licet benedictionem Hardulſo impediente non promeruerit. Qui Enciboldus pervaſor Mediani loci cum anno* 1018 *infælici omine obiiſſet, Hardulfus denuò eundem locum regendum ſuſcepit anno* 1019. De hac Enciboldi morte & Hardulfi reſtitutione cum nullam mentionem faciat Anonymus noſter eidem Hardulfo ceteroquin minimè infenſus, ſed operi ſuo ſtatim finem imponat: non leve eſt argumentum ab eo conſcriptum fuiſſe libellum hunc de ſucceſſoribus ſancti Hildulfi inter an. 1016. & 1019.

bus Lacuum Allobrogrum propriis. Vide Aldrouand. de piſcib. lib. v. cap. 51.

** *Cap.* 33.

*** S. Eure.

**** Saint Avold.

b. Hæc in Hardulfi laudem & commendationem, quæ vero immediatè ſubſequuntur in Enciboldi odium & vituperationem manifeſtè dicta ſunt.

c. Canonici de quibus hìc fit mentio erant Sandeodatenſes, qui in ſolemnitatibus Sancti Hildulfi ad Medianum monaſterium accedere ſolebant Sacra cum Monachis peracturi: quemadmodum vice verſâ iidem Monachi ad Juncturas accedebant, feſta S. Deodati cum præfatis Canonicis celebraturi.

Caput XIV.

SAcratiſſima depoſitio ejus cum annuo recurſu mortalibus innovaretur & fratres ante matutinorum ſinaxim ſopore detinerentur, coquinæ ædificium ignis repentinus arripuit: qui quantociùs tectorum faſtigia petens ac ex torridis imbricibus nimia incrementa concipiens, per circumpoſita ædificia totas laxabat habenas. Cumque tanto terrori nemo obviaret, cunctis alto ſomno depreſſis, HERMANNO cuſtodi Eccleſiæ, ſicut ipſe ſolitus erat fateri, per viſum Sanctus aſtitit, vehementiſque ſeveritate quia ſic nequàm actio illius merebatur, capillos ejus concusſit, eique dixit: Ociùs ſurge, nam omnis ſtructura hujus loci nimio devoratur igne. Hoc ille pavore expergefactus ſurrexit, incendium ſicut ſomno didicerat perſpexit, cæteros nimiis clamoribus incitavit & ut igni ædificia tenenti obviare niterentur ſuggeſſit: quibus ſtatim id facere conantibus, ſtrepitu eorum excitata accurrit cum hydriis ruſtica manus. Cumque continuatâ ſuperfuſione lympharum variiſque argumentis * alii malè victricem flammam certarent evincere, adeò erumpebat ex ædificiorum culmine ut crederetur ex con-

* *Id eſt* artificiis.

contrario hactenus elemento nutriri magis quam sopiri posse. Summâ tandem desperatione circa oppressionem flammarum pariter fracti, nimiis & confusis ejulatibus ad sepulchrum confugêre Sancti, cui cum inter alia & hoc ei lachrymosa vociferatione crebrò ingererent: propter quidem ipsorum flagitia locum eundem justis traditum flammis, sed dignaretur ei parcere ob lætitiam suæ solemnitatis & sanctitatem sui nominis, ac si eis omnipotens Pater per merita dilecti sui Hidulfi juxtà vocem Ezechielis Prophetæ responderet: non propter vos ego facio Domus Israel, sed propter nomen sanctum meum quod polluistis in gentibus, ut sciant quia ego Dominus. Nec morâ, omnis vis illa incendii in semetipsam recidit ac celerrimo torpore languescens, cuncta quæ vastabat deseruit, & malè victricis * ignis periculum quod non valebat reprimere adversa natura aquarum, meritis Sancti repressit imber lachrymarum.

* *In Epternac. Manuscript. legitur:* Urentis.

Caput XV.

Cum incolæ depositionis ejusdem festum Sacerdotali auctoritate suscepissent celebrandum, sicut in hujusmodi traditionibus contingit, Religiosi & honesti as-

ſenſere ſolemniter ducendum: bruta & vecors Ruſticorum multitudo obſtinatione ſolitâ negligendum, ex quorum numero extitit apud Cicomacum * quidam ſenſu & cenſu pauper, nomine UNALPERTUS, qui ſacerdotalis mandati contemptor effectus, calciamenta ſua ipſa die ſarciebat attentiùs. Sed quia ſi nulla pravos coercerent flagella ſupernæ animadverſionis, putaretur omnipotens non intendere rebus humanis, ſubitâ contractione ita manus colligatæ ſunt illius hominis, intra volam inextricabiliter defixis & extra deformiter retortis digitis, ut reatum contemptus & inobedientiæ perſclverit. Dum hic vixit exemplo ſuæ pœnæ alios terruit à præſumptione prohibiti operis.

* *Hodiè apud Sanctum præjectum vulgo* S. Preyè. *Vide Joan. à Bayono lib.* II, *cap.* V.

Caput XVI.

EAdem rurſus die quidam BELZO vix duobus ſtadiis diſparatus à Monaſterio, commanebat in domo quæ illi ceſſerat jure paterno. Qui ut aſſolet inter commercia veterum & novarum frugum, defectu compulſus panis, aliquot manipulos novellæ meſſis deſecavit. Verum quia ignem qui poſſet his ſupponi in Villulæ ſuæ tuguriis minimè invênit, alteram Villam * haud longè poſitam haud impigrè causâ foci petiit. Ex qua tor-

* *In Manuſcript. Eptern. legitur* Villulam.

torrem ſumens rediit, ſed omne domus ſuæ ædificium cum ipſo ſiccatorio ultricibus traditum flammis invênit. Quibus celerrimè in cinerem cuncta reſolventibus, miſerabilis & ſtolidus homo damno ſuo coactus vel ſerò didicit Eccleſiaſticis parendum juſſionibus.

Caput XVII.

INtereà apud Obliſiacum quòd ſitum eſt intra confinium parochiæ Acervallenſis * conſenſu BERTOLDI Antiſtitis conſtructa eſt Baſilica; quia intolerabile erat ruricolis adire matrem Eccleſiam ob ſingula Chriſtianæ plebis obſequia. Hæc cum ex nomine vel Reliquiis beati Pontificis HILDULPHI fuiſſet Chriſto conſecrata, accurrit illuc quædam mulier ſerâ viæ longinquitate feſſâ, animi fide robuſta, mediocritatis ſuæ munere devota: ſed quibusdam reviſentibus ſua, quibusdam verò reficientibus corpus, ibidem poſt ſolemnia neminem reperit, atque obſerata Eccleſiæ oſtia. Manſionarium ergò accitura locavit ante januam candelam: ſed cum illo ociùs repedans perſpexit, divinitùs accenſam vidit. Super hoc aliquandiu admirati pariter intulerunt Oratoriolo ac præfixerunt altari reverenter. Mulier tamen interno delibata gaudio, qui-

* *In Manuſcript. Epternlegitur* Aceravallenſis *vulgo* Azeraille.

quibus poterat gratiarum actiones acclamabat Deo, pro fideli verna suo HILDULPHO, perfusa genas dulciter prorumpentium lachrymarum rore largo: quem non solum ipsa, sed & tota vicinia per visibile lumen experiebatur Christi Confessorem esse lucis invisibilis filium, ac meritis ipsius sibi maximam patere fiduciam in necessitatibus deprecandi Dominum. Quam spem non incassum concepit animus eorum; nam adeo numerosis locellus idem deinceps diffamatus est miraculis: adeò nunc usque variarum ægritudinum medetur causis, ut si singulatim possent mandari, non modicùm distenderent quantitatem voluminis. Quapropter his prætermissis, insistamus aliis. * Decurrente autem ab Incarnatione Domini millesimo decimo quarto anno, multimoda atque veracissima docuit revelatio animæ sanctorum *Lazari* & *Azæ* quanto in cœlestibus relucerent merito, quorum exanimes artus neglecti monstrantur in terræ gremio. Cum enim per successionem temporum tam nomina quam sepulchra eorum fuissent prorsus subducta memoriæ superstitum, divinitùs reducuntur cognitioni concordatissimis visionibus Monachorum, Clericorum & utriusque sexus fidelium, non solum vicinorum, verum etiam remotissimorum. Quin etiam ve-

* *In Epternac Manuscript. præsens caput hic dividitur.*

vespertino incumbente crepusculo frequenter audiebatur quasi duorum psalmodia, ubi prius sepulta fuerat Aza, in beati Apri scilicet Basilica: extra quam in caprifico quæ fenestellæ ejus erat adversa noctu recubabat lux tanta, ut diceretur illic plura accensa esse luminaria. In Basilica etiam omnium Apostolorum fuerat arcus in angulo cohærente cancellis versus Boream fundatus, soli receptui venerandorum corporum ex industia præparatus: cujus sinus quia (ob Pannonicam gentem Galliis hostiliter incubantem) parebat instar solidi parietis super Sarcofagos obstructus, locus tanti thesauri per annos nonaginta quinque paulatim memoriæ cunctorum est elapsus; ut nihil minùs quam alicujus corpus inibi delitescere putaretur. Superposita tamen Maceria attendebatur plurimum rimosa ac penè collapsa, utpotè consurgentis monumenti jugi impulsu concussa Hanc tandem ut subruerunt, secundum fidem revelationis in duabus conjunctissimis Thecis maximaque diligentia ad id quondam præparatis, reposita Sanctorum corpora reppererunt. Quorum gratia ubi hymnum *Te Deum laudamus* decantaverunt, ibidem sicut invenerant reliquerunt. Eà autem novitate febres & emigranium diversa-

 rum-

rumque acceſſiones infirmitatum multotiens ſedarunt, donec meriti ſui notitiam circumcirca ubertim diffuderunt. Recentis enim memoriæ Sancti ſuæ reverentiæ cultum taliter inſerunt hominum menti.

Annotatum.

a. Obliſiacum Gallicè olim *oblesey*, nunc per contractionem *Olcy* dictum. Eſt hodie Villa ruſtica non quidem intrà fines, ſed in confinio parochiæ Acervallenſis ſita & ad monaſterium Belli prati pertinens. Vide infrà chartam Hermanni Abbatis an. 1173.

Caput XVIII.

MOris erat quarumdam Provinciarum Parricidas pœnitentiali ferro conſtrictos brachia vel cervices, non ingreſſum ire fines ſuorum: ſed quaquà verſum expetere juvamina Sanctorum; donec divinitùs reſolutum viſibile ferrum, indicia dederit inviſibile parricidii vinculum reſolutum. Quidam itaque talium devenit monaſterium, olim ferreis circulis conſtrictus utrumque brachium: quorum alter in Palona * deciderat apud Reverendum Beati Martyris ADALBERTI ſepulchrum, iſtic autem alter per Sanctorum quos veneramur meritum. Siquidem illùc ad-

* *Haud dubiè* Polonia.

adveniens veſpere cujusdam Sabbati, devotus interfuit Sinaxi. Dominica verò die Senonum ire voluit, ſed repentè mutatâ voluntate à medio jam itinere acceleravit iſtuc redire. Reperiens autem fratres jam adorſos ſolemnia majoris Miſſæ, in introitu chori delegit ſtare: ſupplici vultu atque indeflexo obtutu attendens præfixam imaginem crucifixi Salvatoris, ſic quondam effigiatam docta manu ſculptoris, ut hactenus poſſit quamvis duras hominum mentes mucrone quodam transpungere compaſſionis; acſi [illegible] oculis haberent nimiùm piam mortem adhuc pendentis redemptoris. Huic ergò peregrinus ille cum gemebundus aſſiſteret, ſancto jam recitato Evangelio, circulus ferreus ſubitò crepans, carne conſciſſâ ex continuato impactu ferri excretâ, tanto impetu diſſiliit ab ejus brachio, ut eminùs oppoſitum parietem feriret, validoque tinnitu adſtantes permoveret. Protinùs ſive novo dolore inveteratæ jam cicatricis: ſive ſubitò ſtupore tanti facti homo penè exanimis factus corruit, atque humi protenſus ſuper oram chlamidis lacero tunc brachio ſubſtratam, plurimùm cruoris dimiſit. Perſtrepunt Monachi ad allevationem proſtrati, quem ſic affectum admirati, circumſpectabant exitum rei. Et ecce poſt aliquantulum ſan-

guine redeunte à præcordiis, ſumma genarum rubeis inficiuntur notulis. Hinc collapſos artus paulatim ſubrigens, plene reſtituitur in gradu ſuo: Deo gratias pro meritis Sanctorum agens, non tantum ex reſolutione viſibilis vinculi atque diuturni exilii, quantum pro adepta remiſſione execrabilis parricidii; quam indubitanter ſe adeptum gaudebat præſentis proteſtatione facti. Verbo ergò atque evidenti ſigno poſtquam abundè adhortatus eſt accolas revereri & amplecti ſuorum ſanctitatem Patronorum, lætus exceſſit fines eorum. Porrò circulus præfatus in teſtimonium facti, ſub pedibus Crucifixi fuit appenſus. Deo gratias.

Annotatum.

Jam ſuperius vidimus * unum eundemque eſſe Auctorem hujus libelli & Interpolatorem tertiæ Sancti Hildulfi vitæ. Conſtat inſuper ex variis utriuſque locis ipſum fuiſſe Mediani monaſterii cœnobitam. At Humberto ejusdem monaſterii monacho qui poſtea Cardinalis & Epiſcopus Silvæ candidæ factus eſt, utrumque hoc opus adſcribi poſſe non putamus; nam nonniſi poſt interpolatam tertiam S. Hildulfi vitam adornatus eſt hic libellus de Succeſſoribus ejus; quem inter annos 1016. & 1019. compoſitum fuiſſe antè oſtendimus. * Tunc autem adoleſcentior erat Humbertus, quam ut hanc Provinciam ſuſciperet. Noſtram de utriusque operis autore conjecturam dedimus ſuprà in fine primæ Partis.

* *Anno. ad cap. XXI. tertiæ vitæ.*

* *In annotat. ad cap. XIII. hujus libelli.*

AP-

APPENDIX,

Hic Appendicis loco subnectenda esse censuimus quædam alia miracula, quæ à Richerio commemorantur; nam quantum ex loco & ordine narrationis illorum conjectare nobis licet, decimo circà sæculo desinente vel undecimo mediante patrata fuisse videntur.

Ex Libro I. Manuscripti Chronici Senoniensis.

Caput XIX.

De Obsesso à peritissimo demone & Sanato in Mediano Monasterio.

BEeato igitur Patrono nostro Hyldulpho adhuc vitam præsentem agente, ut erat corpore prudens & spiritu, nec quæ sua erant quærens, sed quæ JEsu Christi: cuncta quæ intra claustrum erant discretè moderans, & quæ exteriùs cum moderatione disponens, ut Deum offendere timeret & à fratribus sibi commissis plus amari quàm timeri affectaret. Ordinans siquidem interiùs claustri cuncta religiosè, decrevit domum hospitum, ne fratres à supervenientibus molestarentur, ad portam monasterii ædificare & juxtà illam capellam in qua hospites ad divina audienda convenirent, in honore sancti Joannis Baptistæ erexit, quam & nomini ejus consecra-

 vit

* *Vide suprà in Vitis S. Hildulfi.*

vit. * Ad gloriam igitur & honorem Omnipotentis & Dilectorum suorum magni sui vatis Joannis & Beati Hydulphi Archipræsulis (ut opinor) tot & tantis mirandis miraculis Deus deorum dignatus est illustrare Ecclesiam, ut quotquot Energumeni, quotquot Dæmoniaci ad ipsum Oratorium delati fuissent, statim a quocumque spiritu vexabantur, liberarentur. Habebatur quippe in ipso oratorio dolium aqua exorcizata plenum, ut Energumeni & alii à dæmonibus obsessi in ipso mersi sanarentur, quod & ità fiebat. Cum ergò hæc ita agerentur contigit quemdam rusticum à Valle sancti Deodati illuc adventâsse, qui à tam potentissimo dæmone obsessus erat, ut vix catenis ferreis astrictus teneri posset: qui etiam tantæ erat scientiæ, ut se omnium linguarum jactaret habere notitiam; artium quoque liberalium eruditus erat prudentiâ, omniumque actuum præteritorum & cogitationes simultatesque omnium ad se venientium eruditissime referebat. Officio Missæ & aliarum intererat & cum cantantibus cantabat, & cum psallentibus psallebat, nec crucem nec crucifixum vitabat. Hic talis ad dictum oratorium adductus, in dolio ipso mersus, quia & circumstantibus insultabat: monachus quidam qui ad officium Energumenorum deputatus erat, audiens quod dæmon secretos actus hominum revelaret, timuit ad illum venire, sed adiens quemdam seniorem, omnia quæcumque fecerat illi confessus est & ad Dæmoniacum reversus ita eum alloquitur: O tu mendacissime hominum deceptor, qui tuis mendacissimis assertionibus te dicis scire hominum cogitationes & actus, dic ea quæ de me cognoscis. At ille attonitus, demisso vultu in terram, cogitat quid diceret; tandem in hæc verba prorupit: Nudius tertius rem grandem fecisti, quæ modo lapsa est á memoria mea. Quare cum ipsa responsa dæmonis audisset, animatus confessione, cœpit super caput illius sanctum Evangelium Joannis recitare. Cui ille indignatus dixit: Idiota tace, nonnè scis me melius scire hoc Evangelium? scias illud plane me scire & ejus mi-

misterium, nec per ipsum ab isto hospitio expellere me poteris. Vade & quære tibi aliud quod tibi melius placuerit. Quo audito Monachus ad Ecclesiam quantocius properavit, & ibi accepto scrinio in quo Sanctorum plurimorum Reliquiæ erant reconditæ, ad Dæmoniacum quantocius cum scrinio ipso repedavit. Appropinquante verò illo cum Reliquiis, dæmon ille cœpit clamare: Tolle tolle inimicos meos. Qui accedens cum Reliquiis posuit super caput ejus. At ille clamans dixit: O me infœlicem, quantum lapidum acervum super caput meum adunasti, tolle à me quæso ista, quia valde crucior. Quod cum Monachus audiret, gavisus est valdè, & tunc cœpit arctius adjurare. At ille acriùs clamabat: Tolle tolle, tolle inimicos meos. Ille verò interrogans eum, qui essent inimici sui, ait: Stephanus & Laurentius. Unum lapidavi, alterum assavi, & jam meritis ipsorum oportet me hinc exire. Et hæc dicendo prosiliit ex ore ipsius quasi scarabeus & cecidit in terram, & lento gressu, videntibus cunctis pervenit ad ostium Ecclesiæ, & ita volatu se elevans, miscuit se ventis. Cumque ille interrogatus utrum aliquid sciret an non? asseruit se nihil penitùs scire nisi matetnam linguam quam à pueritia didicerat. Ego verò in ipso scrinio vidi * cum pluribus aliis, ipsorum Martyrum Reliquias de saxo quo lapidatus est S. Stephanus & carbones sanguineos S. Laurentii Levitæ & dalmaticam S. Leodegarii. Plures etiam utriusque sexus senes & juvenes: alii cannabinis funibus ligati, alii vinclis ferreis adstricti, ad locum ipsum ab amicis & vicinis adducebantur, qui statim in dicto dolio mersi curabantur. Et ita Dominus merita servorum suorum declarando, nos ad ipsius timorem & amorem quotidè invitat.

* *Memoratas hic Reliquias Richerius vidit in Mediano cœnobio.*

Ca-

Caput XX.

De Miraculis tempeſtatis à Sancto Hydulpho quater in die repulſæ.

ADhuc Sancti Patris noſtri Hidulphi facta me ſcribere delectat, ut ea lecta vel recitata hominibus, glorificent Deum Patrem qui in cœlis eſt, qui dedit poteſtatem talem hominibus. Una dierum cum anno revoluto ſolemnitas Beati Hydulphi eveniſſet & fratres Mediani monaſterii ſolito ut decebat, celebrius feſtivitati inhærerent, contigit quaſi horâ tertiâ magnam imminere tempeſtatem. Adunatâ igitur à quatuor ventis craſſitudine nubium, corruſcationum & tonitruum horribilitatem geſtantium, ita ad ima ſe detrudebat, ut putares cœlum cum nubibus ſuper locum illum & totis adjacentibus locis velle fulminare cadendo; apparebat enim tanta in nubibus horribilis cum turbinum apparatu nigredo, ut aſpicientibus multum incuteret timorem. Cumque tale ac tantum immineret exitium, fratres exterriti ad altare cucurrerunt: alii cruces, alii Reliquias Sanctorum, alii corporalia ſancta efferebant, alii campanas ſonabant, atque alii Deum invocabant. Et quanto plus fratres hinc inſtabant, tanto plus illa nubium adunatio cladem minabatur. Quare cum Monachi viderent contra hanc moleſtiam precum inſtantiam nihil proficere, ad ſolitum Patroni ſui refugium confugerunt. Compoſito quidem feretro in quo ſanctum ejus corpus habebatur, altiſonis vocibus ipſum inclamantes exportaverunt. Videres verò in exportatione Sanctorum artuum totam illam comminantem nubium moleſtiam quaſi intelligibilem creaturam, ſui Creatoris famulo cedere imperanti. Solutis nempe illis horribilium nubium adunationibus, tota illa maſſa ſeſe in quatuor dedit partes,

&

& ità retrocedens, quod factura erat, ad tempus repressit, & aëris temperie serenitati redditâ, fratres cum ingenti gaudio quasi prælii triumphatores, reliquias Patris Hydulphi venerandi ad locum suum reportaverunt, & ita cum summa devotione Missam inchoaverunt majorem. Necdum ipsam finierant cum subitò quasi insidiatores ab insidiis erumpentes viatores deprædari desiderant: ita illa ut prædiximus vastationis oppressio à locis in quibus se priùs in exportatione Sancti occultaverat exiliens, cum inevitabilibus ventorum collisionibus, fulgurum corruscationibus & magnorum tonitruum mugitibus revertendo super faciem illius loci, multò truculentius quam antea acumulavit & ad solum omnia æquaturam minabatur. Accurrunt, periculum fratres vident, mirantur, expavescunt: ad securum sibi auxilium recurrunt Glebam Sancti cum crucibus & thuribulis contra aeris tempestates pugnaturam exportant. Quid plura? adventus famuli Dei sicut priùs, sancta ejus anima in cœlis Deum rogante, illam periculosam in quatuor iterum divisit partes; nec morâ redditur serenitas. Monachi & tota plebs quæ ad festum convenerat pro tam evidenti miraculo exultant, Deum totis nisibus laudant, corpus Sancti cum summa veneratione reportant. Nec morâ: locatis Reliquiis viri Dei, tanto labore attriti & pavore, ad mensam tam serò pransuri conveniunt, & inter prandendum, de isto turbine & clade ita irrumpente habetur sermo. Sed necdum à mensa surrexerant cum tonitruum fragor auditur, ventorum impulsio mittitur, fulgurum corruscationes sagittantur, Grandinum calculi tectis alliduntur. Quid agere possent Monachi? Tam subita illa supervenerat calamitas, ut jam desperati â loco moveri nequirent. Coacti verò tanta turbinis impulsione, immò quia mortem sibi credebant imminere, surgunt à prandio, tota acclamat populi mmltitudo, ut ille promptus adjutor exportetur, curritat quantociùs: ille se leviorem portitoribus præbet, tertium immò continuum initurus bellum adest; pugnat interven-

 tu,

tu, jussu expugnat, venti silent, tonitrua obmutescunt, fulgurum sagittæ reprimuntur, grando casus suos in altum suspendit, nubium densitas clarescit & aeris cœlique tranquilitas adeo emicuit, ut crederes in tota illa die vel nocte sequenti nec unam pluviæ guttam casuram. Enim verò quia eadem dicta tempestas nunc recedendo, nunc subitò revertendo totiens ipsos terruerat fratres, arbitrati sunt loculum Sancti cum custodibus custodem dimittere, ne ipsa nequam impulsio sub noctis silentio loco damna valeret inferre: Ita igitur cunctis dispositis horas vespertinas perficiunt. Dies ad suum finem devenit. Igitur nocte incipiente lassi fratres ad lectulos pausaturi veniunt. Videns verò ille tempestatum ductor se pro præsentia Sancti, sui videlicet impugnatoris, nil suæ malæ voluntatis adimplere posse: voluit tamen quid (si licuisset) facere potuisset, demonstrare, nocte verò eadem cum se omnes sopori dedissent tanta congeries grandinis inter claustrum & domum hospitum in media nocte cum summo silentio demissa est, prout scriptum reperi, ut in tanto fervore solis & temporis, illa grandinis massa infra quindecim dies liquari nullatenus posset: & tamen in toto confinio illo extra ambitum Claustri, nec una quidem gutta pluviæ vel grandinis granum illa nocte visa vel audita cecidisse.

Caput XXI.

De Rustico S. Prejecti à tempestate dignè collisо in festo S. Hydulphi.

ALio quoque anno quo etiam ejus revolutio festum adduxerat, fuit quidam rusticus apud sanctum Prejectum* qui junctis bobus fœno currum oneraverat, & ad suum domicilium revertendo fœnum cum curru jam prope Villam minaverat: cum sum subitò aër qui

* Vulgò Saint Preye.

qui antea satis clarus & purus apparebat, obtenebratur, tonitrua mugiunt, corruscationes fulminant, atque grandinis tanta influentia inundat, ut vix rusticus ille subsistere valeret. Procellâ siquidem invalescente rusticus atteritur, concutitur, grandinis globis lapidatur: nihil refugii invenire poterat, nisi quod relictis plaustro & bobus se cum curru protegeret, quod & facere non distulit. Sub plaustro latitare sperat, spes tollitur; qnia ex improviso ventus tam validus insufflavit, ut non tantum currum ipsum everterit: sed etiam fœnum totum per lata camporum totaliter dispersit & rusticum sine tecto reliquit. Quid ultra? vapulat rusticus vento, rebus spoliatur, grandine lapidatur, inundatione aquarum pluviarum suffocatur, terretur tonitru, fulmine jaculatur, & ita ferè ad extrema perducitur. Illo etenim ita castigato, statim universitas illius Villæ supervenit, scrutantes si illa tempestas frugibus terræ in aliquo nocuisset; cumque invenissent quod non, invenerunt illum juxta currum jacentem semimortuum, quem ad domum suam deportantes, judicabant digna pro meritis evenisse; quia Deo nec honorem, nec Sancto suo Hydulpho incredulus impendere cogitaverat; unde ista ei accidisse certum erat. Ita noster adjutor Hydulphus & suos novit contemptores corripere & suos protegere cultores. . . .





HISTORIA MEDIANI IN VOSAGO MONTE MONASTERII

PARS TERTIA.

Continens excerptam ex Joanne à Bayono ſubſequentium Mediani Monaſterii Abbatum continuationem, cum intermiſta Rerum Lotharingicarum Hiſtoria, ab anno M. x. uſque ad annum M. cc. xx., in quo deſinit hic Autor hactenùs ineditus.

Ob-

Observatio Prævia.

JOannes à Bayono Mediani monasterii Historiographus suam ab initio mundi exorditur historiam. Nec tantùm de Mediani cœnobii, sed etiam de totius orbis rebus compendiosè scribit. Quæ ad historiam generalem spectant, alibi passim accuratius digesta reperiuntur: quæ verò ad Medianum duntaxat monasterium portinent, à prima ejus origine ad initium XI. *sæculi, ex tertia Sancti Hildulfi vita, libello de Successoribus ejus in Vosago & Chronico Richerii Senoniensis Monachi ferè deprompta sunt. Ab ineunte autem sæculo* XI. *usque ad annum* 1220. *ex nonnullis aliis domesticis aut extraneis chartis, scriptoribus & traditionibus collecta fuerunt. Hanc ultimam ejus historiæ partem ex Manuscripto nostro verbo tenùs depromptam nunc tradituri sumus: nihil omittentes ex iis quæ vel ad nostras, vel ad Lotharingicas Res pertinent: cætera verò tanquam inutilia resecantes.*

Neque Autographum, neque antiquum, sed quantum opinamur unicum est nostrum Manuscriptum & quidem initio libri secundi mutilum ac per totum identidem valdè mendosum. Illud à XIII. *die Octobris usque ad* XXV. *diem No-*

vembris anni 1544. integrum exscripsit Plebanus quidam Medianensis.

His ita observatis non abs re erit eundem Joannem à Bayono de se suaque historia loquentem inprimis audire

Ex Prologo.

Anno 1326. suam historiam conscripsit Joan. à Bayono.

EGo Frater Joannes de *Bayon* Ordinis Fratrum Prædicatorum cum Joseph in exilium relegatus, anno Verbi Incarnati millesimo trecentesimo vigesimo sexto, inter Pascham & Pentecostem, dum penes dominum meum ac cognitionis fœdere mihi unitum Reverendum in Christo Patrem & Dominum Dompnum Bencelinum Mediani cœnobii Patrem gratiosum & Rectorem, hospitalitatis gratiâ & pietatis commorarer, ejus præcibus commonitus, quæcumque habere ad præsens potui vel ex historiarum & Annalium fastis, vel ex veridicorum relatione auris vehiculo percepi: aut belli gravia, aut corrupta morbis, aut fame tristia, aut terrarum motibus terribiiia, aut inundationibus terrarum insolita, aut eruptionibus ignium metuenda, aut ictibus fulminum plagisque grandinum sæva, aut patre aut parente, sive à parricidiis flagitiisque misera, aut honestate vitæ imitanda, aut severitate justitiæ amplectenda, aut Religione veneranda, aut miraculorum corruscatione admiranda, aut summo virtutum splendore diligenda, sub uno voluminis textu licet inculto stylo & incompto sermone, pro ingenio á Deo mihi collato, breviter chronicé loquendo coarctavi: maximè ea quæ de Mediani Claustri fundatione, & ejus fundatore & Abbatum successione in eodem loco & de his eventibus prosperis vel adversis qui circa dictum Claustrum contigerunt. Et de Sanctis ini-

Quæ complectuntur eadem historia.

inibi degentibus, Hydulpho, Spinulo, Joanne, Benigno, Fortunato, Lazaro & Aza, Bonifacioque Martyre, quorum actus, vitam & gesta compegi & conscripsi, ut per ea ad amorem, honorem & devotionem Dei & ipsorum Sanctorum populus valeat excitari, potui reperire in diversis codicibus sparsim & confusè, huic operi annotavi. Et etiam circumjacentium fundationes Ecclesiarum & fundatorum nomina vel dignitates: vel etiam aliqua ipsorum miracula, quibusque Regibus vel Cesaribus claruerunt, more balbutientis infantis huic membranæ inserere procuravi. Denique cum Lotharius filius Lotharii qui Prumio Monachus fati munus exsolvit, patruos suos Karolum & Ludovicum sedulis irritaret machinationibus & crebram aciem adversus eos produceret, Abbatiam Mediani monasterii (nam ejus sub Imperio idem locus erat) quorumdam relatu stimulatus, Duci Lotharingiæ ut inferius patebit, jure beneficii contradidit. Qui Dux locum adeò spoliavit redditibus & suppellectili, ut Monachi cogente inedia, cellas quas multiplices idem locus possidebat desererent & vix paucissimi in cœnobii loco principali residererent. Processu autem temporis per Zuendeboldum filium Arnulphi (qui Romæ monarchiam tenuit & obtinuit) cui Ducatus Lothariensis administratio fuerat tradita, prædictum cœnobium Medianum cuidam comiti Hillino nomine, jure beneficii traditur possidendum. Qui Pipino Abbate expulso & fratribus, Canonicorum ordinem inibi constituit: sub quorum regimine codex vitæ Beati Hidulphi qui pro sui magnitudine proprio continebatur corpore, amittitur: Post temporum autem multos cursus de cursos, rursus reperitur, sed quia pro suæ quantitatis magnitudine legentibus tædium subministrabat, adhibitis scholasticis breviatur. Sed ob fratrum negligentiam rursus à Medio cœnobio factione quorumdam elabitur; ita quod vix vitæ gloriosi Hidulphi media pars in dicto cœnobio continetur, quod tamen glebâ sacri corporis Hydulphi decoratur & meritis fulcitur gloriosis-

Antiquus codex vitæ S. Hildulfi amittitur, ac post ai repertus breviatur.

ejus-

ejusdem. Sed ego frater Joannes prædictus penes quemdam Monachum in Cella Bellævallis commanentem Simonem nomine, quemdam libellum partim soricibus corrasum, partim foliorum abscissione seu deperditione divisum repperi. Hoc enim in hac Ecclesia Mediana in novissimo sæculi tempore de libro memorato sicut & de aliis accidit, quod antiquo tempore de autenticis divinæ legis scriptis Joannes Chrisostomus super Mathæum evenisse declarat dicens: multa enim ex propheticis monumentis, (quod de historia Paralipomenon probare possibile est) deperiere. . . . .

Ex Lib. II. Caput LXII.

Bodonis monasterium translatum & immutatum.

BOdo Tullensis Episcopus vir per omnia laudabilis, elapso parvo tempore post B. Deodatum, zelo fervens Dei, in prædio suo Sanctimonialium conventum statuit & plurimis redditibus eum ditavit: sed anno M. x. ab Incarnatione, cœnobium illud monialium per Bertholdum successorem dicti Bodonis est in clivo montis translatum. . . . . Monachisque viventibus secundum regulam B. Benedicti repletum & S. Salvatoris monasterium vocatum; sed culpis forte monachorum exigentibus, monachis expulsis Canonici ibidem statuuntur sub regula B. Augustini, ut hactenus patet.

Caput LXIII.

S. Deodati corpus è tumulo levatum.

ANno Domini M. III. vergente numero, Beatrix Lotharingiæ Ducissa Friderico marito suo viduata, qui obiit annô Dcccc. xc. Idibus Aprilis, eoquod filius suus Theodericus pueritiâ tenebatur, Ducatum vice filii sui regens Vallis Galileæ colonos adiit & habitatores dicens: aut sibi B. Deodatum suum quem saxeo tumulo

se

ſe jactabant habere ex antiquitate, oſtenderent, aut ſe ſuamque poſteritatem ſibi dominari deinceps ſcirent perpetuâ ſervitute. Clerici verò minis & populis coacti, dum magnâ inſtantiâ omnis ſexus & conditio precibus & jejuniis inſtarent, Dei nutu inventum ſanctiſſimi præſulis Deodati corpus de medio Eccleſiæ ſancti Mauritii levantes, pridie ante vigiliam depoſitionis ipſius, in ſcrinio in medio ipſius Eccleſiæ ante altare ſanctæ Crucis locaverunt. * Unde adhuc ſingulis annis eo die ejus translatio colitur. Et per hoc calumniæ Duciſſæ prædictæ ſucceſſorumque ipſius de cætero quieverunt; quia ex tunc Eccleſia Deodatenſis & Vallis oppreſſione ipſius Duciſſæ fuit exemta. Secundo autem anno poſt hoc, Oratorio S. Mauritii unde S. Deodati corpus ſublatum fuerat, præ vetuſtate nimia corruente ſponte, etiam mulierem cum oppreſſiſſet, ſupradicta Duciſſa & Ludovicus comes de Dasporch avus S. Brunonis cum aliquibus fidelium, dictante Bertholdo præſule Leuchorum fabricam inibi pulchri operis erexerunt.

Ex Cap. XLIV.

QUia Domnus Bruno Epiſcopus Tullenſis, qui & Leo Papa Eccleſiæ Mediani cœnobii fuit beneficus, huic negotio aliquid de converſatione ejus inſerere Deo auxiliante conabor. Anno Milleſimo II.° ab Incarnatione Domini Domnus Bruno ex nobilibus Pa-

Brunonis Epiſcopi Tullenſis parentes

Gg

* *Narrat Ruyrius SS. Antiquit. Voſag. part.* III. *cap.* XIX. *hujus Tranſlationis meminiſſe Valcandum quemdam Medianenſis monaſterii monachum, qui in hiſtoria à ſe conſcripta aſſerebat eamdem translationem ſuo tempore factam fuiſſe: Duciſſæ verò nomen reticebat. Ejusdem hiſtoriæ codicem Velineum valdè quidem carioſum & obliteratum penes ſe habuit præfatus Ruyrius, atque utinam ad nos perveniſſet talis qualis erat vetus ille codex, cujus auctor eodem Ruyrio teſte gravis & eruditus fuit. Vide Ruyrium ibid. Edit. anni* 1626.

& monasteria ab ipsis fundata.

Parentibus procreatus. Cujus corpus cum enixum est caracterisatum fuit per totum cruciculárum signis. Hujus progenitores scilicet Comes de Dasporch & Comitissa, inter magnifica reliqua gesta, Hyssa Sanctimonialium Monasterium penes Sareborch & sancti Ciriaci claustrum in Helisaci partibus (quod Aldorf dicitur) ex propriis sumptibus & redditibus ditaverunt & construxerunt, Lustrenseque cœnobium patrimoniis suis satis ampliaverunt. Anno autem Millesimo sexto prædicti parentes Domni Brunonis Hugo & Helwidis, aliud Claustrum Sanctimonialium in Helisaci partibus nomine Wofheinheim ædificantes ex propriis prædiis, dedicari fecerunt in honore sanctæ Crucis. Venerabilis verò Bruno anno Millesimo septimo litterarum traditur studiis, quarum Gimnasio maximéque arte Musicâ insigniter effloruit. Cum autem gravis dissensio anno Millesimo duodecimo orta fuisset inter Henricum Cæsarem & Theodericum Episcopum Metensem, qui erat levir ejusdem Henrici & Comitem Gerardum fratrem Alberti Ducis Lotariensium: qui Gerardus neptem ipsius Cæsaris ex sorore nomine Gillam uxorem sortitus erat; qui tumultus graviter vexavit non solum miserabile vulgus: sed & Principes Regni adeo percussit, ut ipse Cæsar eandem Metensem urbem longo tempore obsederit. Propter quam cladem Domna Helwidis mater Domni Brunonis relictis ubique firmis castris, ad Mediani cœnobii quasi ad firmum præsidium confugit. Cujus industria quoniam in Epitaphio super tumbam sanctæ Azæ inter cætera scriptum legerat: Aza bona Regina. Nec non pro psalmodia & lumine quæ crebro in sancti Apri Ecclesia, ubi eadem Sancta olim quieverat sentiebantur, sed ex quorumdam visione reperta sunt corpora sanctorum Lazari & filiæ ejus Azæ, in Basilica sancti Petri versus boream, sicut usque nunc aliquibus indiciis ostenditur. Ante enim nonaginta annos & quinque, ob Pannonicam gentem Gallias pulsantem, in maceria templi posita fuerant; tem-

Comes Gerardus Alberti Ducis Lotharingiæ frater.

Helvidis mater Brononis in Medianum cœnobium se recipit.

tempore enim Caroli ut in præcedentibus ostensum est, sub Fortunato hi Sancti vitam finierunt.

Sub hoc tempore anno Millesimo decimo quarto sancti Gemi monachi ossa in cella S. Errardi Horbaci vico sita, vivificæ Cruci sacrata *, alterius Ecclesiæ sancto Stephano dicatæ, reposita sunt. Anno Millesimo decimo nono circa festum sancti Mauritii signum Mediani cœnobii Basilicæ, horâ intempestæ noctis ultrò personuit, valvisque obseratis quidam per rimas viderunt candidæ multitudinis catervâ templum deintus repletum: post quod anno millesimo vigesimo primo subsecuta est horrida mortalitas in cœnobio Mediano, quæ Monachis biennio cœnobium vastavit; adeo ut Hardulphus Abbas vix cum uno fratre superstes ex hac peste extiterit. Et tunc apud Begonis cellam quæ nunc S. Blasii dicitur ingentia fulsere miracula. Anno autem millesimo vigesimo quarto Domnus Bruno jam Levita insignis apparet. & anno millesimo vigesimo sexto, defuncto Hermanno Episcopo Leuchorum, per Conrardum Cæsarem qui & Chono, qui consobrinus erat Hugonis patris Brunonis, qui Imperii jura post Henricum Cæsarem obtinuerat, ab Orba ** Mediolani Oppido (quia illo in tempore Cæsar dictus expeditionem habebat contra Italiam, præcipuè tunc Mediolanum, rebellem) Successor Bruno Hermanno, qui anno millesimo vigesimo quinto sancti Salvatoris Blasiique Martyris Ecclesias in Vosago consecrarat, dirigitur & Tullensis Præsul efficitur. Anno autem millesime 38.° Cum dissensio orta fuisset inter Conrardum Imperatorem & Robertum Francorum Regem, Pontifex Tullensis Bruno Legatus cum pacis concordia inter eos est directus & eo mediante inter eos Dei nutu

** *Aliàs* Orta.

Bruno fit Episcopus Tullensis.

* *Vitiosus & obscurus est hic locus, nec liquet ex qua Ecclesia hæc sancti Gemi ossa in aliam translata sint. Verisimilius est tamen sanctum hunc Monachum ex cella S. Erardi translatum fuisse in Ecclesiam parochialem S. Stephani, quam ex hac in illam.*

fœdera sunt conjuncta tam firma, ut quo advixerunt Principes præfati cum sibi successoribus filiis utriusque, nullâ arte quis discordiam inter duo Regna serere valuerit. Quo regresso à Legatione prædicta paceque ut dictum est reformatâ inter celebres Principes, anno millesimo quadragesimo tertio cœnobium Portûs suavis quod prædecessor suus cœperat perficiens, cœtum Monialium inibi statuit atque genere & vitâ laudabilem Berhennam nomine, ipsius Congregationis matrem ordinavit. Hic enim Antistes insignis eleemosinæ & lacrimarum exercitiis inter sua opera mirabiliter vacavit; adeò ut sæpè conviciantibus non verba, sed fletuum rivos condolendo impenderit. Veneranda autem Helwidis Domni Brunonis mater anno millesimo quadragesimo sexto memoria dignum finem fecit. Hæc etenim dum tantæ grossitudinis esset ut vix rhedâ vehi posset: quia eleemosinarum precumque satis operibus instabat, sedulò expetiit Dominum ut sicut unius matris exiit alvo, ita unius mulieris ulnis traderetur sepulturæ: quæ longa ægritudine extenuata, dum in faucibus illi adesset mors & diu exanimis lecto decubuisset alienata à sensibus, tandem rursus est locuta & cum beata Virgine Mariâ se fruituram in cœlo prædixit; rogans ut cuncta sepulturæ ornamenta pauperibus tribuerentur, ut sicut nuda ex matris alvo processit, ita omnino nudam susciperet terra. Miranda res! ab ejus viro mox ejus postulatio in effectum est perducta.

Cœnobium Portus suavis perficitur.

Helvidis mater Brunonis Episcopi moritur.

Ex Cap. XLV.

ANno quo Bruno elevatur ad Leucæ Præsulatum in nucleis pirorum & pomorum effigiata hominum capita pro sui quantitate inveniebantur, quod est mirum dictu. Mediani etiam cœnobii & sancti Mansueti Rectores ab officio Abbatum privantur. Mater etiam Bernardi Mediani loci Villici à sancta Aza per visum, ejusdem-

Hardulfus Abbas officio

demque mulieris vir, Romæ à quodam incluso, quanti meriti & cœnobii Mediani locus & præcipuè sancti Gregorii collis essent, visibilibus signis perdocentur. privatur altera vice.

Anno millesimo vigesimo octavo Willermus Abbas inter cætera, Medianense sanctorumque Mensueti & Apri cœnobia rexit. Ubi cum videret se minùs posse sufficere, pro velle Domni Brunonis Episcopi, quemdam Widricum Abbatem delegit. * . . . . Widricus autem Abbas industriâ Lamberti præpositi & post Abbatiæ suæ successoris, constructam eleganter Ecclesiam sancti Apri à Domno Brunone consecrari fecit. Willermus Abbas Medianum monasterium regit anno 1028.

Ex Cap. XLVI.

HEnrico Imperatore quondam Baïoariorum Duce, Frederico Duce Lotharingiæ defuncto, Beatrix uxor ejus aliquanto tempore ut dictum est Ducatum rexit. Filius ejus Theodericus minor annis erat. Qui Theodericus à Beatrice matre anno millesimo undecimo cum non posset petitione, Regimen Ducatus violentiâ extorsit. Et sub hoc Duce Theoderico Humbertus clari postmodum ingenii, anno millesimo decimo quinto litterarum exercitio, sub monachili habitu, Mediani loci à Parentibus oblatus imbuitur, sub Hardulpho Abbate. Et anno millesimo decimo septimo Theodericus Dux prædictus contra Widricum Comitem castri cui nomen Clari-mons, qui cum Almarico fratre suo Lingonicæ urbis Archidiacono ejus villas populabatur famosissimè, cum paucis contra ingens agmen penès Barrense oppidum dimicant. Ubi inter multas strages Dux ipse

Friderico Duci Lotharingiæ defuncto succedit Theodericus filius ejus. Humbertus posteà Cardinalis monachum in Mediano monasterio induit.

* *Huic Widrico commendatum pariter fuisse Median. cœnobium tradit Wibertus in vita S. Leonis. Willermo adjutor dari potuit Widricus tam pro Monasterio S. Apri, quam pro Mediano & cæteris ejus curæ commissis.*

ipse á prædicto satellite non clerico, qui hujus actor conflictus erat, licet fuerit crudeliter vulneratus: illum tamen cum improperio illicò extinguens victoriam sumpsit.

Ex Cap. XLVII.

* *Willermi scilicet.*

HEnricus Cæsar anno M.º XXII. compertâ famâ * de quo præfati, sumus qui jam tum plurima cœnobiorum circumquaque regebat, ad se accitum magnæ cum eo familiaritatis usum habuit; nam idem Princeps Regulæ monasticæ perfectiores actu vel habitu cognoscens mirè diligebat . . . Iste Henricus obiit anno M.º XXIV. . . . . Huic Henrico successit Conrardus anno prædicto qui & Chono consobrinus ut prædictum est Hugonis Patris Domni Brunonis. Sed paulò antequam Imperium hic sumeret, Theodoricus Dux & cæteri optimates Lotharienssium dum Brunonem (qui & Chuono vocatus est) filium Hermanni Ducis Karinthiæ, (cujus matrem Fridericus quamvis Theoderici ipsius *filius* * uxorem duxerat) voluissent Cesarem eligere, mutato repente consilio supradictus Conrardus à Principibus Germaniæ purpura firmatus est. Qua de re magnæ dissensionis fomes tunc exortus est. Hic anno M.º XXVIII. Romæ Imperator constituitur.

Hugo Pater Brunonis Episcopi consobrinus Conradi Imperatoris.

* *In Manuscript. legitur* alius.

Ex Cap: XLVIII.

Corpus B. Hildulfi pro gravi aere valli Galileæ illatum.

PRoximè autem his diebus Beati Hidulphi corpus valli Galileæ quæ nunc est sancti Deodati, ut moris erat, pro gravi aëre illatum est. Quod causa litigii fuit, quia eadem vallis violenter conata est reverendos artus sibi vendicare. Et ideo deinceps curatum est, nullatenus illas in partes illos exponere. Anno millesimo vigesimo octavo, & anno sequenti Domnus NORCHTBERTUS Me-

Medianensi cœnobio præficitur Abbas. Hic Domnum Humbertum in artium studiis quamvis ille jam plurimum studuisset, in multis studentiorem reliquit. Hic Norchtbertus anno millesimo trigesimo quinto templum sancti Petri ad dextram Ecclesiæ Matris Dei, quia illud priscum claustro conjunctum, quieti fratrum à Conventu plebium frequentatum obstabat, ædificare cœpit. Hujus tempore Theodericus Dux obiit anno millesimo vigesimo nono. Cui Fredericus ex filio Nepos, quia ipse æquivocus filius ante obierat, succedens, paucis diebus Lotharingis præfuit. Hujus sorores tres: prima Sophia, quam Ludovicus Comes, secunda Beatrix, quam Bonifacius Marchio Italiæ, tertia Petronix, quam quidam Elisatii Princeps uxores duxerunt, fuerunt. Odo etiam Comes Franciæ filius Eriberti fratris Stephani adversus Lotharingos procinctum movens, Leucham urbem * in vigilia omnium Sanctorum ac deinceps per totam hebdomadam obsedit anno millesimo ** . . . . Quia enim illud oppidum in trium finibus Regnorum quas commarchias vocant positum, argenti pondera, quæ marchæ Francicæ vocantur, Francigenis solvebat, pro vitiati metalli redditus sumptâ occasione, prædictus Princeps non solum hanc urbem, sed & multa Lotharienſium loca devastabat. Miro accidit casu autem quod dum ab hac obsidione abscederet, ejus muri septentrionem versus corruerunt. Qui licet post & tertiò advenerit, Dei nutu Civitatem ipsam, multa hostiliter agendo & loca Sanctorum maximè S. Apri violando, capere non potuit.

NORCHBERTUS Abbas anno 1029.

Novum S. Petri templum construit an. 1035.

Fridericus Dux Theoderici Ducis ex filio nepos ejusque sorores tres, Sophia, Beatrix & Petronix.

* *Toul.*

** 1036. *juxta Chronic. Alberici.*

Dum NORCHTBERTUS Abbas hujus vitæ cursum peragere t anno millesimo trigesimo sexto, famosissimum illud quod multorum adhuc ore vulgatur bellum actum est. Nam contra comitem Odonem de quo præfati sumus, licet Domno Brunoni Tullensi Præsuli fœderatum, multa tamen & sacra loca igne rapinisque populantem; qui etiam

etiam Barrense castrum quod sororum Frederici Ducis prædium erat, vi cœperat: Gozilo *, qui erat tunc tutor earum, præmisso Godefrido filio suo cum Hasbanis, Lotharienfibus & Migis, inito quamvis paucioribus prælio se opponit. Ne autem hoc sileatur, Richardus *S. Vincentii* ** Abbas ante congressionem, missam jam expedito Ducis militi celebrans, inter Sacramenta solo elevatus per aëra visus est attolli & post peractionem eos communicans, victoriam habituros fidenter prædixit. Ergo totis viribus omni genere in campis *Honol* super Ornam flumen, festo sancti Clementis, tertiæ feriæ ab horâ diei quartâ usque penè decimam decertarunt. Cum jam Franci multitudine superarent, adventu Gerardi comitis territi terga dederunt. Ipse Odo fugiens à Theoderico quodam verna assecutus occiditur, expoliatusque capsa sanctarum Reliquiarum munitus reperitur. Filius verò Theobaldus nomine, vix fugiens elabitur. Hæc enim pugna omnes hactenus Merovingorum proceres finibus suis contentos esse docuit: nec eorum quisquam præter Goffridum & aliquos qui noctium furtis insidiati sunt, Lotharingos bello appetere ausus fuit. Numerus occisorum mille quidem ex parte Ducis, Francigenarum verò geminatus, excepto vulneratorum numero, qui ut fertur multus fuit. . . . . Ante hoc bellum Fridericus Dux Lothoringiæ anno M. XXXI. obierat, qui fuerat nepos Theoderici ex filio. Admodum erat adolescentulus cum vitam finivit. Defuncto ergo Godefrido Hasbaniæ Duce, Gozilo ejus frater strenuus vir utriusque Ducatus providentiam à Chonone seu Conrardo Augusto promeruit. Gerardus comes Albertum fratrem suum avum Gerardi Ducis Lotharingiæ crebris tumultibus pulsans, dum prospera succederent eò usque elatus est, ut Godefridum Hasbaniæ Ducem dolo caperet *, propter quod contigit ei id ipsum post justè luere [anno Domini M. IV.] nam anno

* *Aliàs* Gothelo.

** *Legendum* S. Vitoni. *Gallicè* S. Vanne.

Odo Comes Campaniæ à Lotharienfibus devictus fugit & occiditur.

Fridericus junior Dux Lotharingiæ moritur.

Gozilo utriusque Lotharingiæ Ducatum ab Imperatore suscipit.

Albertus avus Gerardi Ducis Lotharingiæ.

* *Hic collocandus videtur annus infrà notatus intra duas ansulas.*

anno Domini M.** . . ipse Godefridus Dux frater Gozilonis contra prædictum Gerardum, causa olim suæ captionis Hasbaniæ conflixit. ubi post multum sanguinis victoriam & Sigifridum filium ejus apprehendit. Anno autem millesimo trigesimo septimo *prædictus* † comes Gerardus neptem ex sorore nomine Gyselam, pro re quam decet silentio premi, uxorem sortitus est: pro quo equivocus ex ea natus, quia ipse citata morte obiit, Ducatum Lotariensem post assecutus est. Anno autem M.XXXVIII. Regnum Austrasiæ quod dudum ab origine tenebat Rodulphus Jurensis Burgundiæ, Romano adjungitur Imperio & corroboratur interveniente venerabilis Brunonis legatione & consilio. Hinc Gerardus comes Ekenisheim castri, frater scilicet jam dicti Episcopi Brunonis, dum contra Regnibaldum de Castello, quod ab ejus nomine Regnibaldi Petra * dicitur, qui Allemanniam tunc & sæpiùs populabatur, cum paucis profectus, orto gravi conflictu insigniter bellans occisus est: acrem luctum tam parentibus & fratri, quam cunctæ Provinciæ & ipsi Augusto reliquit.

** *Forte* M.XIV. *Vide* Sigebert. *ad hunc an.*

Gerardus comes de Ekenisheim Frater Brunonis Episcopi.

* *Riebaupierre.*

Ex Cap. XLIX.

ANno Domini M. XXXIX. Norchtbertus expiravit Abbas cui LAMBERTUS successit. Hic Lambertus corpora SS Lazari & Azæ, quia mirâ elevatione sepulcra eorum à terrâ se erigebant, de veteri oratorio S. Petri in Ecclesiam S. Mariæ transtulit. Oratorium autem S. Petri Apostoli à decessore suo ut diximus inchoatum perficere curans, à sancto Brunone Tullensi Præsule dedicationem ejus quinto Idus Junii facit. Ubi inter cæteras sancto-

LAMBERTUS Abbas Norchberto succedit anno 1039. Oratorium S. Petri perficit & à Brunone præsule Tul-

Hh

† *Hæc vox redundare videtur, nam hic Gerardus non est Sigifridi pater, illiusque Alberti frater, qui paulo superiùs Gerardi avus dicitur: sed est ejusdem Alberti filius & pater Gerardi Ducis.*

ventii dedicari curat.

ctorum Apostolorum, Martyrum, Confessorumque plures & præcipuas Reliquias, Capsa Gypsea pignoribus Sanctorum qui ignorantur plena reconditur, corpusque sancti Spinuli non multo post illuc infertur. Anno Domini M. XLII. ut enim prædictus Abbas refert, locum Mediani cœnobii reperit dum Abbas fuit confirmatus, ornatu Ecclesiastico nudum, præter unum mediocris pretii pallium textumque deargentatum, tresque casulas ad Missam holosericas, sexque de pallio cappas, calicem magnum, thuribulum argenteum. Qui hoc motus loci dedecore, paupertatem ejus Deo dante & amminiculante, multo ingenio & labore maximè in ornamentis Ecclesiæ studuit honestare. Insuper eum in libris, palliis, vestibus pretiosis, campanis, suppellectili ampliavit intrinsecus: acquisitio tamen prædiorum non defuit extrinsecùs. Quarum summam rerum sub rati cautione testamenti sibi inibi nominatim ac fidelibus suis ascribi, descriptionemque ipsam Deo sanctæque ejus Genitrici super altare ipsius corroborandam præsentavit. In quâ seriatim continebantur hujusmodi pallia XXI. pallam unam. Facterdia * de Serico Oserosa ** XXIV. Alba limbo serico ornata. Vexilla duo. Duæ Sindones in quibus vultus Domini colorato filo depictus est. Item tertia, ubi Sanctus Hydulphus cum discipulis eodem schemate depingitur. Casulæ tres de pallio. Cappæ IX. Dalmatia quatuor de pallio. Cortina ubi miracula Domini sunt depicta & altera parvula, ubi vita sancti Hidulphi depicta. Cortinæ plani operis, V. Dorsalia de lana, unum magnum & duo parva. Baccalia IV. Grandiuscula & minuscula, Tapetia XI. Candelabra quatuor de argento, quorum duo sunt majora auro parum per infusa, duoque minora argento tamen tecta. Cruces duæ de argento lapidibus aliquibus & auro completæ. Stola aurea cum aliis V. de serico. Calices tres, quorum unus est cum ansis. Thuribulum unum de argento, Campanæ VII. Quatuor fortiores & tres nolæ. Epistolare unum argento tectum. Tabulæ duæ de Ebore auro ornatæ. Albæ quinquaginta

In illud infertur corpus S. Spinuli.

Pleraque Ecclesiæ Medianæ ornamenta suppeditat Lambertus.

* *Fortè* Facitergia.

** *Fortè* ostreosa, *id est purpurea.*

sue-

Succinctæ de serico duæ, tertiaque de auro. Baccei quatuor. Cingula serica XII. Summa librorum LXVII. qui solebant esse in secundam partem moralium. Prædia etiam multa acquisivit idem Lambertus. Apud Winterlay duos mansos & dimidium & quartam partem Ecclesiæ cum dimidietate sylvæ quæ inibi adjacet. Apud Tillicacum * duos mansos. Dimidium Ecclesiæ de Repasco. ** In Elisatio de acquisitione Allodii cujusdam Sygullonis; VII. jugera cum Manso & domo inibi constituta. Apud *Bercheim* partem vineæ cujusdam Bernardi ad duas carradas vini. Angilla quædam mulier in eâdem Villa tradidit partem vineæ ad unam carradam vini. In Villa supra dicta partes quatuor vineæ ad tres carradas quas reddidit Dux Gozilo eximius, quærelis fratrum Mediani loci pulsatus, anno M. XXXIX. ad altaræ sanctæ Mariæ, ut nemo inde præsumat auferre. Apud Montiniacum * Tietzelini dimidium cum servo Mansum. Fulco dimidium mansum in loco supradicto cum servo & ancilla. Visilum ** est redditum Mediano monasterio suis diebus, alteram partem cum heredibus. Apud Barbavillam *** mansum unum & quartam partem alterius, exceptis indominicatis & vineam ad duas carradas vini. Duas partes Sylvæ cum integerritate, & apud Beronisvillam * de Allodio Beraldi V. mansos. Apud Dellonisvillam ** mansum dimidium. Apud Frizonisvillam *** de Allodio Rambadi duos mansos, unum ex integro dono datum: alterum in Vademonio pro quinquaginta soldis traditis. Medietas inibi Quernæ Sylvæ. Apud Franconisvillam * pratum ad sedecim carradas fœni. De Remoldivilla ** unus mansus cum quarta parte alterius, & indominicatis & cum quarta parte ipsius Ecclesiæ. Item in vicinio Franconisvillæ unus mansus quem tenet Humbertus. Anno Verbi Incarnati M. LXII. regnante Henrico quarto Cæsare, anno Regni sui VIII., anno suæ Ordinationis XXIII. In præsentia Abbatum Liethfridi atque Bercheri plurimorumque sub imprecatione talis anathematis: de summa

LAMBERTUS varia prædia acquirit.

* Tilley *unde infrà in Pontio Abbate.*

** Repas.

* Montigny.

** Vaseval.

*** Barbonville.

* Blainville, *vel* Brovville.

** Glonville.

*** Frisons.

* Franconville *propè* Domjevin.

** Remenoville.

na hujus ornamenti, suppellectilis & fundi á Domino Lamberto acquisita, si quis quod absit successorum ipsius vel aliorum: excepto profectu Mediani loci diminuere in aliquo presumpferit, diminuat illi omnipotens Deus dies vitæ ejus, fiatque â communione Sanctorum separatus, cum Dathan & Abiron & diabolo sathana in abisso condemnatus, sitque anathema maranatha per æterna sæcula.

Ex Cap. L.

Humbertus Medianum cœnobium illustrat scientiâ & cantu.

VEnerabilis Humbertus anno ab ordinatione hujus Lamberti tertio, ab Incarnatione M. XLII. Medianense cœnobium sub eodem Lamberto magnis scientiæ & maximè litterarum & cantus lampadibus illustrans adeò decoravit, ut verba Cæsaris Augusti qui de Romuleæ urbis renovatione gloriatus dixerat: hanc urbem lateritiam reperi, relinquo marmoream, eidem ut nunc oculis perspicimus veraciter possit aptari. Hic Humbertus à Reverendo Brunone ut post patebit admodum dilectus fuit. Hic anno ordinationis Lamberti sexto, Domini verò M. XLIV. laudes Sanctorum Cyriaci Martyris, Hydulphi Trevirorum Episcopi sanctique Deodati & Odiliæ Virginis, quam cœcam natam idem Hydulphus baptizando illuminavit, S. Gregorii sanctique Colombani Abbatis, quæ vulgò Responsoria nominantur, rithmicè ac metricè componens, sæpè dicto Episcopo Brunoni modulanda tradidit. * . . . Anno ab Ordinatione Lamberti secundo Conrardus Cæsar qui & Chono obiit sepultusque est apud Hebudunum id est Spiram, quam ipse multis sumptibus olim vetustate consum-

* *Vibertus in vita S. Leonis cap. v. asserit hæc Responsoria ab eodem Sancto composita fuisse, quod de cantu & modulatione duntaxat intelligendum videtur.*

ſumptam renovaverat. Cujus Imperium Henricus proles qui fuit potentiſſimus ſuſcepit. . . . Hic Henricus anno regni ſui ſexto, Domini verò M.XLVI. Godefridum filium Gozelonis Ducis Ducatu Lotharienſium privans, quemdam Albertum nepotem ſuum præfecit. Gozilo enim an. Regni Henrici V. obierat, Domini verò M. XLIV. Qui dictus Godefridus filius ejus ab Henrico Cæſare conſtitutus fuit ſucceſſor, qui anno ab ordinatione Lamberti Abbatis VII. Cæſaris autem VI. Domini verò M. XLV. pravorum uſus conſilio ipſi Cæſari rebellans, Palatium quod totius penè ejus Imperii Regias præcellebat, in Bagorum Provinciâ ſitum concremavit, pluraque inſolenter agens utriuſque Ducatus Hasbaniæ ſcilicet & Lotharingiæ adminiſtrationem perdidit; Albertumque quemdam nepotem ſuum in eam præfecit ut dictum eſt. Anno regiminis Lamberti VIII. Cæſaris autem VII. Domini verò M. XLVI. obiit Domna Helwidis mater Domni Brunonis, ut prædictum eſt. Anno autem Lamberti VI. Henrici Cæſaris V. Domini vero M. XLIII. Corpus † S. Bonifacii Martiris Thebeæ legionis à Begonis Cella quæ S. Blaſii vocatur, per Lambertum Abbatem in templum S. Petri Medianenſi loco revehitur.

Godefridus Ducatu privatur.

Albertus Dux conſtituitur.

Hodefridus Dux Cæſari rebellat.

Ex Cap. LI.

Anno autem ordinationis Domni Lamberti X. Henrici autem Cæſaris IX. Domini verò M. XLVIII. Albertus quem Ducem Lotharienſium Henricus Cæſar conſtituerat, expulſo Godefrido filio Gozilonis de quo ſupra præfati ſumus, dum prædas juxta Godefridi vici-

Albertus Dux occiditur.

† Cujus relationis dies in antiquo ejusdem cœnobii Martyrologio ſic notatur: II. *Nonas Novemb. Revectio Corporis glorioſi Martyris Bonifacii de Begoniscella ad Medianum monaſterium.*

Gerardus Dux Lotharingiæ constituitur. A Godefrido captivus factus Gerardus Cæsaris partes haud dubiè tenens.

vicinia agit, ab eo oppositus pugnæ occiditur. Hujus loco Gerardus comitis Gerardi filius post annum à Godefrido sub judiciali lege ut breviter dicam emissus custodia, Ducatu ante sibi tradito confirmatur. Widericus Abbas S. Apri Ecclesiam quam eleganter construxerat à Domino Brunone consecrari fecit.

Ex Cap. LV. aliàs LIII.

POstquam gloriosus Bruno Episcopus Leuchorum legatione sua inter Conrardum Cæsarem & Robertum Regem Francorum & consilio vera conclusisset pacis fœdera & multa peregisset memorabilia in Episcopatu, an. Lamberti x. Henrici Cæsaris ix. Christi verò M XLVIII., facto apud Vangionum urbem id est Moguntiam Pontificum ac procerum præsente Henrico Imperatore conventu, licet multum renitens publicamque suorum criminum (quod est mirum) cum lacrymis confessionem faciens, Aposto licus seu Papa * electus est anno Lamberti Abbatis XI. Cæsaris Henrici x Christi M XLIX. Dum autem cum Pisanæ urbis Episcopo & multo comitatu per Medianum cœnobium transiret, Ecclesiam quæ est in porta cœnobii honori B. Joannis Baptistæ consecravit . . . , Hic Domnum Humbertum de quo supra locuti sumus Medianensis loci monachum Romæ inferens, totius Siciliæ quia eadem Regio ab Arabibus pervasa erat & Christianam fidem penè amiserat, Archiepiscopum ordinavit: sed cum pro Normannorum decursibus illuc non valuisset accedere, Romæ Cardinalem Episcopum ad vices suas supplendas retinuit.

Bruno Papa factus

Humbertum Siciliæ Archiepiscopum & Cardinalem creat.

Ex

* *Bruno in Papam electus per Medianum cœnobium transit & Ecclesiam S. Joannis consecrat. Instauratam videlicet; nam primitùs à B. Hildulfo ædificata ac dedicata fuerat.*

Ex Cap. LIV.

POstquam Domnus Papa Simoniacam heresim damnavit, plura de Ecclesiarum altaribus & conjugiis per Italiam disponens, Galliam intravit ac primum Coloniæ Præsuli, ut ad S. Petri altare septem Cardinales presbiteri quotidiè in Sandaliis celebrarent & ut esset Romæ Cancellarius, donatione S. Joannis Portæ Latinæ ei & successoribus concessit. Post templum B. Remigii Remis dedicans. . . . De hinc S. Arnulphi Basilicâ Metis consecratâ & Synodo Moguntiæ habito, anno Henrici Cæsaris XI. Lamberti XII. Domini verò M°L°. . . . rursus Romam revertitur. Et postquam agenda ibi peregerat, secundò Apostolicus Galliam repetens, B Gerardum olim Tulli Præsulem anno Lamberti XIII. Henrici XII: Domini autem M. LI. è tumulo levavit. Ibi tunc de multis Hugo Chrisopoleos (id est Bisuntinus) Deo hominibusque dulcis, Georgius Hungariæ, Lupus Anglorum, Halinardus Lugdunensis qui revelationem Protomartyris Stephani B. Papæ infamare conatus per Humbertum Præsulem prædictum ex codice S. Augustini de Medianensi monasterio revictus est, Principes affuerunt. Tunc Udo Primicerius præcepto Dni. Papæ Leucæ urbis Cathedram sortitus est. Qui Udo anno M. LIV. XVI. Kalendas Aprilis, anno ab ordinatione Domini Lamberti XVI. Ecclesiam Mediani cœnobii * in honore S. Laurentii dedicat. . . . Porrò Domnus Papa tertiò Priscam patriam pro discordia Pannonicæ gentis sedanda adiit: sed quia Imperator Procerum consilio usus, pro hac re suos avertit auditus, subjectionem Hungarorum Romanus tunc perdidit status, & Apostolicus post tumultum quem Mantuæ

In Galliam venit.

Romam revertitur.

Galliam repetit.

Divum Gerardum è tumulo levat.

Humbertus Cardinalis Halinardum ex codice S. Augustini de Mediano cœnobio confutat.

* Id est ad Medianum cœnobium pertinentem. Portè in Azeraliis vulgo Azerailles, ubi Patronus Ecclesiæ est divus Laurentius.

tuæ pertulerat, Romam veniens apices per diversas mundi partes pro Catholica fide siscitanda misit: sed cum Alexandriæ, Carthaginis, Antiochiæ aliorumque Præsules locorum fide firmos scriptis eorum cognovisset, Constantinopolis & Bulgariæ Episcopos hæresiarchas discens, ipse quidem libellum contra eorum scripta satis lepidum, & Domnus Humbertus dialogum, Fridericusque Cancellarius adversùs monachum Nicetam opusculum invectionis condiderunt. . . anno Lamberti XVI. Henrici XV. Domini verò M LIV. S. Leo directis Humberto Petroque Episcopis & eodem prædicto Frederico Cancellario Constantinopolim, Eugastum quidem Catholicum regerit, Michaëlem verò ejus urbis & *Leonem Acridæ* Bulgariæ Metropolis Episcopos Constantinopolensemq; Cancellarium qui Sacramenta Romanorum conculcaverant, licet Nicetam ipsi Legati correxissent, positâ anathematis chartâ super altare S. Sophiæ, pro decem heresibus quas narrare distuli, sed præcipuè pro fermentacea damnaverunt. Anno M. LV. sanctissimus Leo in extremis sensum orationis B. Martini precatus, anno vitæ suæ quinquagesimo, ipsis etiam Normannis obsequentibus defungitur, sepultus juxta S. Gregorii altare. Ad cujus tumulum sicut liber miraculorum ejus memorat multa signa fulsere. . . . Anno autem Henrici IV secundo, Lamberti XIX. Christi verò M. LVII. monasterium S. Petri quod Phocæ Cæsaris & Clotarii Regis Franciæ temporibus ipse S. Romaricus construens Romarici montem nominavit, his diebus ob negligentiam Sanctimonialium igne consumptum est.

Humbertus Cardinalis Constantinopolim missus.

Bruno dictus Leo IX. Papa moritur.

Incendium cœnobii Sanctimonialium Romaricensium.

Ex Cap. LV.

Humberti Cardinalis Elogium.

FLos Præsulum Humbertus prædictus & omnium virtutum nobile sacrarium, decus honestatis & forma

Forma totius sanctitatis, Religionis splendor ac Ecclesiæ restaurator & protector, postquam Romæ Cardinalis Episcopus per beatum Leonem Papam fuerat ad supplendas ejus vices electus, revisere decrevit suæ professionis locum, Medianum scilicet cœnobium, anno verbi Incarnati M. LII. ac in Epiphaniæ festo Missas ibidem celebravit. . . . Hic venerabilis Præsul dum tertio nonas Maij manè sol in faciem ejus radium evibrasset, defunctus est Romæ quò fuerat regressus, cujus corpus Nicolaus Papa honorificè Lateranis in Basilicâ Constantiniana penès corpora Virginum Rufinæ & Secundæ sepelivit, anno Domini M. LXI. ordinationis Lamberti XXIII. Henrici Imperatoris VI. Hic venerabilis Pater præter reliquas virtutes, humilitate adeo radicatus fuerat, ut dum pro invasione Apostolica quam sibi fecit Benedictus, qui Papatum post Stephanum vi usurpaverat, urbe discedens, ab Hildebrando * cœnobii S. Pauli præposito, sed postmodum Apostolico hortaretur ut aut apicem Papæ susciperet, aut sibi concederet: ille postpositâ sui & illius generis lineâ, honoris ipsius gradum refugiens, jam dicto Nicolao imposuit, qui . . . . dolo civium dum deperisset, ejus infulam Alexander adeptus est. Victor enim Papa obierat anno Henrici Cæsaris II. Christi verò M. LVII. Cui Fridericus Cancellarius frater Godefridi Ducis de quo supra, imposito Stephani nomine successit. Is est Godefridus quem Ducatu ejectum supra retulimus, qui anno Henrici quarto † Domini M. LIX. †† Italiam dolo invadens, mortuo Bonifacio Marchione, relictam ejus Beatricem cum inestimabili supellectile ac prædiorum, castrorum & urbium multiplici quo fulta erant reditu uxorem sortitus, præfecturam quoque urbis quibusdam infortuniis assequitur. Fridericus autem qui & Ste-

Humbertus Medianum cœnobium revisens ibidem Missas celebrat.

Ejus obitus & sepultura.

* *Aliàs Hiltprando, qui sub nomine Gregorii VII. Papa deinde creatus est an. 1073.*

Ii

† †† *In his numeris error irrepsit; nam septem circiter annis priùs Gofridus Beatricem sibi matrimonio copulaverat & ampla illius Dominia adeptus fuerat.*

Stephanus Papa, quodam solemni, an. Domini M.LVIII. post missæ actum, in ultimo bibere calicis à Stephano . . . . familiari suo, pro cupidine Equinæsellæ auro mirificè cultæ, quam illi Constantinopoli posito Constantinus Imperator coguomento Monomachus tribuerat, veneno potatus deficit. Iste Leonis IX. ac sancti Petri constitutum secutus, cunctos qui Græcorum missam, barbam & comam nutrirent ac de fermentato sacrificantium susciperent, anathematis nexui dedit. . . . Sed ut ad præmissa redeamus, interfector Domni Papæ crudeli morte extabuit. Igitur Benedictus unus S. Petri Cardinalium, Apostolatus nomen Godefridi patenti scelere pecuniâ usurpans, Humberti sanctæ Sylvæ candidæ † Archiepiscopi anathemate postquam Cathedra est pulsus, Nicolai Florentinæ Episcopi ordinatione Romam denuò adornat. Et hic factâ synodo centum viginti quinque Episcoporum decrevit ut nullus Papa fieret, nisi per Cardinalium & populi electionem & consensu Imperatoris. Pontifex autem Humbertus de quo præfati sumus dum in supradicto oppido Florentinæ consisteret, codicem duorum librorum sub nominibus corruptoris & correctoris contra Simoniacos luculentum ac utilem edidit. . . . Hic nobili cœnobio castri Cassini suæ tunc Diœceseos, quemdam bonæ opinionis & præcipuæ castitatis, si finis consequens affuisset, virum Desiderium nomine, qui nocte nuptiarum uxorem fugerat, Abbatem præfecit, cujus sagacitate is locus in mirabile culmen accrevit honoris Hic Humbertus . . . . anno M.LXI decessit. anno autem sequenti LAMBERTUS bonæ memoriæ Mediani cœnobii Abbas fati munus implet XIV. Kal. Aprilis, anno

Stephanus Papa veneno potatus.

Desiderius Abbas Cassinensis.

LAMBERTUS Abbas decedit an. 106 .

† *Silva candida alias sanctorum Rufinæ ac Secundæ Episcopatus Portuensi Episcopatui anno* 1120 *unitus fuit. Extabat Silva candida via aurelia decem ab urbe Roma milliaribus distans, sed à Saracenis solo æquatâ, ibidem nunc visitur casale S. Rufinæ. Vide Ughellum Ital. Sac. Tom.* 1. *pag.* 103. & 126.

no Domini M. LXII. qui in suis moribus vanitatem mundi plurimum exhorruit & locum Medianum in palliorum & cæterorum ornatuum templi varietatibus valdè sublimavit.

Ex Cap. LVI.

DUm per felicem obitum Almanni Mediani loci Pastoris Hardulphus ei ex baptismate filius successisset *, procurante authore discordiæ pestilens dissidium inter Henricum Cæsarem, Theodericum Metensem Præsulem, qui erat Cæsaris Levir, ac comitem Gerardum fratrem Alberti avi Ducis Gerardi, qui sororem etiam ipsius Cæsaris Evam nomine uxorem sortitus fuerat, exortum est. Qui tumultus graviter vexavit non solum miserabile vulgus: verùm etiam Principes regni adeo concussit, ut ipse Imperator Metensium urbem longo tempore frustra obsederit. Sub hac tempestate Domna Helwidis comitissa de Dasporch mater venerabilis Brunonis Episcopi Leucæ urbis, postmodum Leo Papa IX. relictis firmis fortaliciis ad Mediani cœnobii quasi ad firmum præsidium confugit; plus sperans ut mulier sanæ fidei, inter pressuras turbinum, orationibus Sanctorum, quam telis vel firmissimis castris pertueri. Quæ cum inibi moram contraheret & Sanctorum sepulchra summa cum devotione perlustraret, in Epitaphio super tombam sanctæ Azæ inter cætera Solerti industriâ legit: *Aza bona Regina.* Veridicâ etiam multorum relatione didicerat venerabilis & Deo digna Matrona, quod crebrò temporibus nocturnis voces consonæ psallentium & cum medullata melodia psalmos Davidicos legentium in Ecclesia B. Apri, ubi eadem sancta Aza olim quieverat à plerisque sentiebantur, nec non etiam immenso claritatis fulgore Ecclesia illa corruscabat, dum consonis vocibus

* *Vide suprà parte II. capp. XII. & XIII.*

Gerardus comes frater Alberti avi Ducis Gerardi.

Helvidis Comitissa de Dasborch mater Leonis Papæ IX. ad Medianum monasterium confugit.

cibus alternatim psalmorum laudes Deo illi spiritus resonabant. Ex his ergò piissima Comitissa corde commota, opere pretium affirmans & id fore pietatis officium quod talentum pretiosissimum tandiu ab humanis obtutibus sequestratum, terræ diutiùs non esset finibus amplectendum: sed super candelabrum potiùs, quatenùs tenebras sui luminis spargeret claritate, ponendum. Dumque omnes pari consensu parique voluntate in nobilissimæ Dominæ sententiam concessissent, idem se velle ratumque fore confirmarent, fidei succincta cingulo, unà cum nobilissimis primisque monasticæ Religionis incentoribus, ad effodiendum corpus Azæ & Lazari accessit. Sed quia olim ante tempus translationis hujus nonaginta quinque annis, ob incursum gentis Pannonicæ gravissimè & inhumanè Galliam pulsantis & devastantis, corpora Azæ & Lazeri in maceria templi sancti Petri fuerant reposita: circa finem Imperii Conrardi, tempore quo Medianum claustrum occupabatur à Clericis, ignotum erat quò pretiosissimum talentum terra genitrix detineret occultatum. Sed per visionem quorumdam fide dignorum vita & moribus splendentium, loci celsitudo quo sacra continebantur pignora est monstrata; nam affuere qui fatebantur sibi dulci somno sopitis, sacro agente flamine esse indicatum, quod corpora horum in Basilicâ beati Petri Apostolorum Principis, versus Boream, in templi maceria claudebantur. Quod & rei eventus postmodum visionis veritatem adprobavit. Nam in eodem loco sunt reperta IV. Kal. Aprilis, sicut usque nunc aliquibus indiciis ostenditur. Dumque sacros artus Lazari & Azæ summo cum honore & devotione, venerabilis Comitissæ Helwidis industriâ ex infimis maceriæ exhaurirent & alteri sepulchro honorabiliori ibidem decenter inferrent, tanti odoris & fragrantiæ sunt referti dulcedine, ut in ipsa corporum posset deprehendi præsentia, quam infinita & immarcessibili animæ ipsorum Paradisi amœnitate perfruerentur & gloria. Sed quia thesaurus divinâ dictante sen-

Inventio sanctorum Lazari & Azæ.

ſententiâ tam nobilis amplius cineribus terrenis non debuerit obfuſcari, patenti miraculo eſt propalatus; nam regnante Henrico Cæſare & Domno in Mediano loco præſidente Lamberto, mirâ elevatione ſepulchra horum Sanctorum glorioſorum ſemet à terrâ erigebant. Cujus indicio Domnus Lambertus de veteri Oratorio ſancti Petri in Eccleſiam S. Mariæ transtulit ſanctos horum artus, XVIII. Kal. Aprilis, anno Verbi incarnati M. XLI. Quantis rutilet ſideribus ſacroſacer locus Mediani clauſtri, S. Azæ revelatione demonſtratur. Fuit quidam in Villa Mediani cœnobii nomine Bernardus Villicationis officium gerens in eâdem, cujus matri honeſtæ vitæ & præcipuæ devotionis, memorabilis S. Aza in viſu dum ſopori dedita eſſet, quanti meriti eſſet Medianenſe cœnobium & quot Sanctorum corpora noviſſimum reſurrectionis diem inibi expectarent, viſibilibus ſignis edocuit. Et ut hujus rei teſtimonium duorum firmaretur verbo: quidam qui ſe voluntariè in Romulea urbe Ergaſtulo recluſorii propter Regnum ineffabile adipiſcendum mancipårat, prædicto Bernardo hæc eadem ſpiritu prophetico in Roma ore tenus intimavit. Adjiciens quod inter cætera loca ejuſdem cœnobii, ſancti Gregorii collis præcipuè Sanctorum corporibus refulgebat: quorum ſpiritus in cœlis meritorum fulgoribus ſole clariùs corruſcabant. & hoc per ſigna evidentiſſimé eidem Bernardo patefecit, deſcribendo cœnobii conditiones & loca & ſitum & multorum ibi tumulatorum merita. . . . Gloria ergo Salvatoris noſtri in omnibus his magnificentiis conſona dignitate laudetur.

Illorum translatio ex veteri S.Petri Oratorio in Eccleſiam B. Mariæ.

Ex Cap. LIX.

LAMBERTO piæ memoriæ viam univerſæ carnis ingreſſo ſucceſſit BENEDICTUS ævo jam maturus. Hic piæ

LAMBERTO Abbati ſucceſſit BENEDICTUS.

qui moritur anno 1076.

recordationis vir in vanæ gloriæ & injuriarum contemptu valde emicuit: humilitatis verò & castitatis lampade satis clarus beato fine quievit, Idibus Decembris anno Domini M. LXXVI. & præfuit annis XIV.; nam anno M. LXII. successerat præfato Lamberto. Hujus regiminis tempore Henricus IV. Imperii gubernacula possidebat. His autem diebus scilicet anno M. LXVII. quidam Primatum Valterus nomine, dum multitudini Burgundionum quæ prædas in ejus advocatione Spinalensis oppidi exercebat cum paucis occurrisset, ibi licet strenuè dimicans à sua prole Gerardo extinctus est. Illo in tempore M. LXV. anno, monasterium Vallis Galileæ seu sancti Deodati à quibusdam peregrinis exuritur. Et hoc anno timor magnus extitit, quoniam terminus Paschæ & Annuntiatio Dominica ipsà die quâ Dominus passus est in Parasceve occurrens, sæculi finem instare æstimantibus multas Dei Ecclesias populis pœnitentiæ causâ exquirere fecerunt.

Ex Cap. LXI.

Corpus S. Nicolai ex Mirrha Lyciæ Barium in Apulia translatum.

ANno M. LXXXVII. corpus S. Nicolai ex Asiâ ab urbe Mirrhea Liciæ regionis, post septingentos ferme septuaginta quinque annos quam illic quieverat, à quibusdam negotiatoribus Bariensis Civitatis Apulciæ apud Barium sublatum & frequentibus catervis quaqua versum aditum populorum.

Ex Cap. LXII.

Articulus digiti S. Nicolai ad Portum

SUb eodem tempore Miles Belgicus audita beati Nicolai translatione, illuc se transtulit devotione gloriosi viri provocatus, articulumque digiti beati Confesso-

fessoris à Barensibus impetratum ad Lotharingorum partes deferens, in Villâ quæ Portus dicitur, summo reposuit cum honore. Quæ Villa illo in tempore parva & rustica-na: nunc autem ad instar magni Oppidi, per sancti Nicolai merita aucta cernitur, ubi crebris corruscat miraculis; nam omne genus morbi suis fugat meritis gloriosis. Considerato enim Boiarum * & catenarum pondere innumerabili quæ in Ecclesia ejus dependent, miraculis potius dabitur quam narrationi fides. Visitatur namque locus ille qui dicitur Portus, ab incolis diversorum climatum mundi cum devotione & honore. Felix Regio quæ tanto dotatur Patrono qui suis precibus apud Omnipotentem largam impetrat benedictionem populo supplicanti!

In Lotharingia defertur.

* *Gallicè* Carcans, Colliers, Menottes.

Ex Cap. LXIV.

HIs diebus (*id est anno* M.LXIX. *vel* M.LXX. *ut ex omissorum capp. 63. & 65. initiis patet*) Udo Leucorum Episcopus sancti Aniani Basilicâ insigniter renovatâ collatis patrimoniorum & plurimis Censûs Xeniis, cum ad honorem sancti Salvatoris, Coetu fratrum delegato, ordinare voluisset, citatâ morte hoc imperfectum relinquere coactus est. Incurrerat etiam idem Udo ipsis diebus odium Regis, pro familiæ ejus in sua urbe (ipsi Regi facto prandio) despectu. Et ideo usque ad Germaniam eum prosecutus est. In redeundo apud *Bercheim* moritur, delatusque Tullum ad dexteram Basilicæ Protomartyris Stephani sepelitur. Et his diebus Dux Lothariensis ambiguis veneni signis moritur. Qui licet fuerit vir acris ingenii, castra Procerum * callidè & vi auferendo, nihil tamen dignum memoria egit, nisi quod conjuratio Prin-ci-

GERARDUS Dux Lotharingiæ moritur.

* *Haud dubiè Rebellium & publicam quietem perturbantium vide infrà cap. 83. Procerum seditiones sub Theodorico Duce.*

cipum in extremo ejus vitæ termino moliebatur cum eo (ut dicitur) novam *Delam.* † Tumulatus autem in templo sancti Petri Romaricensis, ejus postmodum corporis inibi positio non valdè loco profuit. Porò Ducatum ejus filius ejus nomine Theodericus, quamvis Ludovicus Comes ex Friderico Duce per Sophiam ejus natam suam conjugem, ad filium suum subripere tentaverit, gubernandum obtinuit.

THEODERICUS Gerardi filius Lotharingiæ Ducatum obtinet.

Ex Cap. LXVII.

BENEDICTUS Abbas moritur.

BERTRICUS succedit, qui frater Theoderici Ducis non dicitur.

ANno autem isto (*id est* M. LXXVI. *de quo anteà in hoc ipso capite fit mentio*) Benedictus Abbas Mediani cœnobii Idibus Decembris obiit. Porrò subsequentis anni initio Domnus BERTRICUS ejusdem Mediani cœnobii regimen Nonis Januarii suscepit gubernandum. Hic anno Domini M.LXXXIV. Basilicam sub Balma quæ nunc dicitur Alta Petra, à fratre Theoderico †† ejus jussu constructam, à Pibone Leuchæ Episcopo honori S. Mariæ Magdalenæ consecrari fecit, anno sui regiminis octavo, regnante Henrico Imperatore IV. Et iste Bertricus multa memoriâ digna tempore sui regiminis peregit & multa præ-

† *Fortè* Telam, *proverbialis est locutio, cui tamen convenientius dixisset* ordiebatur *quam* moliebatur,

†† *Ducis nomine non insignitur hic Theodericus, qui proindè diversus videtur à Theoderico Duce, cui ab hoc historiographo nunquam non tribuitur Ducis titulus. Solius Monachatus vel orationum societatis habitâ ratione* frater *denominari potuit hujus Basilicæ constructor; quo sensu infrà cap.* 72. *frater* Regnerus *appellatur, qui Ecclesiam ad* Mare *dictam sub regimine Bercheri Abbatis Senoniensis ædificavit. Certè si hic de Theoderico Duce sermo esset, indecorè & ineptè diceretur Bertrici jussu Basilicam construxisse. Videant igitur principium nostrorum Genealogi an ex hoc loco Theoderici Ducis & Bertrici Abbatis rectè probent fraternitatem & consanguinitatem?*

prædia acquisivit Medio cœnobio, Deo miserante à Christi fidelibus suâ industriâ eidem cœnobio collata, ut ejus liquet testamento, quod anno Ordinationis ultimo condidit. Inprimis ponitur Dux Theodoricus qui præ cæteris antecessoribus suis principibus, annuente Dei clementiâ & petitione Domni Bertrici, hortatuque Domni Pibonis Episcopi Leuchorum piissimi & consensu nec non consilio suorum fidelium optimè largitus est Ecclesiæ Medianæ, videlicet summam quinque solidorum casæ S. Petri jure perpetuo tribuens, pro remedio animæ suæ, quos omni anno pro Ecclesia Menomensi *a.* in beneficio Ducatus sui, cum maximo labore & dedecore cogebamur persolvere. Domnus Hardulphus Presbiter & Decanus unum mansum dedit Ecclesiæ Medianæ pro sepultura & remedio animæ suæ, quod adjacet vico nomine *Rusticort b.* cum servo suo & ancilla per manus Oduini advocati. Tietzilinus vir illustris de Montiniaco *c.* totum allodium suum cum molendino & mancipiis, terris cultis & incultis, cunctaque quæ in illa Villa videbatur possidere; verum & apud Scovagium *d.* pariter & apud Albam *e.* contulit S. Petro Medianensisque cœnobi fratribus inibi Deo servientibus, per manus Oduini ipsius loci advocati, ea scilicet ratione ut quandiu ipse viveret, in usus proprios retineret, unum tantummodo denarium de censu & quartalium unum de multuris persolveret: mancipia verò ipsius congruo tempore censum quem deberent ad altare persolverent. Exegitque de Domno Abbate & fratribus, quatenus octo libræ denariorum pro hoc munere darentur & Ecclesia Montiniacæ ejusdem Villæ in præstatura tempore vitæ suæ concederetur. Quæ omnia consilio Oduini advocati cœnobii Mediani concessa sunt eidem. Maffridus vir ingenuus filius Dietberti de Burinivilla *f.* in infirmitate positus quâ & mortuus est, dedit unum quadrantem Allodii sui cum servo & ancilla, in supradicta Villa per manum Oduini advocati: Chono verò frater ejus voluntatem fratris imitatus alium quadrantem simi-

a.

b.

c. Montigny.

d. Couvay.

e. Blamont. *aut Villa huic oppido vicina. Vide cartam pagi Tullensis ad usum Historiæ P. Benedicti Capucini.*

f. Buriville.

ſimili modo ad cœnobium Medianum in ſupradicta Villa contulit, reliquum verò totum allodium quod in eadem adjacet Villa pro quadraginta ſolidis in Vadimonium Ec- Eccleſiæ Medianæ contulit; eâ videlicet ratione ut ſi aliquam fortè liberam duceret uxorem, ſummam ſupradictam redderet prædiumque ſuum reciperet: ſin autem ſine ſobole obiret, jure perpetuo caſa Dei totum ſibi vendicaret. Et hæc per manum Oduini advocati. Herbertus vir ſtrenuus de Danubio caſtro *g.* unum quadrantem Allodii ſui dedit Eccleſiæ Medianæ pro anima ſua & ſepultura. Albertus miles de Parradio *h.* duos quadrantes Allodii ſui cum novem mancipiis & partem vineæ dedit S. Petro apud Malliſeivillam *i.*, ſed eo interfecto Ductrix Hadwidis cujus fuerat miles, ipſum vi invaſit allodium & decem perſolvit albos Metenſis monetæ. Valterius etiam frater ejus de Lorio *k.* ipſo die nundum fratre ſepulto per manum Oduini advocati dedit duos quadrantes Allodii apud Givicocurtem *l.* cum eo tamen tenore ut omni anno pro veſtitura quatuor ſolidos perſolvat de cenſu, poſt deceſſum autem ejus in jus deveniat proprium Abbatiæ Mediæ. Rolandus vir ingenuus de Badonvillari partem allodii ſui quod habebat apud Petri ſcamnum *m.* in pratis, campis, ſylvis, mancipiis contulit S. Petro Mediano pro ſepultura & anima ſua, per manus Oduini advocati, pro cujus beneficio tradita ſibi fuit à fratribus Medianenſibus Eccleſia S. Petri in præſtituram in ſupradicta Villa ſita tempore vitæ ſuæ. Dehinc Otto germanus ejus qui major natu erat, conſilio & conſenſu conjugis ſuæ, fratrum amicorumque ſuorum, illo anno cum multo comitatu ad Medianum veniens cœnobium, facta collocutine ſuam vendidit partem fratribus, quam cum prædicto fratre Rolando poſſidebat in eadem Villa, unde ſummam viginti octo librarum inter ipſum & amicos ejus licet labore, tamen fratres perſolvere. Matfridus vir nobilis filius Chononis de Tyncreio habens quoddam allodium juxta allodium fratrum apud Piſoniscortem *n.* ſed * . . . poſt

g. Deneuvre.

h. Parroy.

i. *Fortè* Malzeville.

k. *Lorey.*

l. Givicourt *olim Eccleſia parochialis de* Paroy, *nunc autem Eremitorium eidem loco vicinum.*

m. Pechone.

n. Paſſoncourt.

* *Fortè* Mancipium.

ſ.

fidem effectum, precatus eſt ducem quatenus ſibi concederet in concambium noſtræ caſæ, redderetque ſibi aliud allodium quod ante ſuum caſtrum eſſe diſcernitur, olim denique fratrum, ſed in Ducatum ipſius deputatum. Quod Dux libenti animo pro æterna remuneratione ac amore profectus noſtræ caſæ cujus advocationem tenet, adimplere ſtuduit, acceptâque Imperiali autoritate apud Maguntiam coram principibus regni (quoniam aliter fieri non licebat) rediensque apud Warangeſivillam ubi venerabilis Pibo Leuchorum Epiſcopus, multique alii comites convenerant, facta collatione idem Mathfridus præfatum Pinſoniscortis allodium dedit, laude & judicio cunctorum qui aderant principium, per manum Ducis & Oduini advocati S Petro Medianenſi poſſidendum jure perpetuo; pro quo in præſenti viginti octo libras denariorum perſolvit dictum cœnobium. Dux verò Theodericus præfato Mathfrido conceſſit illud allodium quod obnixè petierat ſibi & ſuis heredibus lègaliter retinendum, decretumque eſt ut exindè Chirographum fieri deberet ac ſynodali authoritate roborareretur. Hujus teſtes ſunt ipſe Dux Theodericus & ejus frater Gerardus; Advocatus Oduinus & ejus frater Theodericus; Ecuinus & ejus frater Remardus; Alter Gerardus de Tihicorte; Richerus de S. Mauritio, Sigibertus Comes; Liethardus de Caſtro Nanceio. Item idem Bertricus Abbas Mediani cœnobii ab Henrico Imperatore quarto impetravit privilegia imperialia confirmari & bona immobilia collata largitione fidelium cœnobio Mediano; cujus confirmationis tenor talis eſt.

Dux Theodericus.

Gerardus frater Theoderici Ducis.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. HENRICUS *divina favente gratia quartus* * *Romanorum Imperator Auguſtus.* Kk 2 *cum*

* *Hic Henricus vulgò quintus Imperator nuncupatur, ſed quartum dundaxat ſe ipſum appellat, omiſſo videlicet Henrico Aucupe, cujus rei alia exempla videre eſt alibi.*

Cum dicente scriptura cui plus committitur ab eo plus exigetur; Prelatos quosque utilitati & sublevationi Ecclesiæ Dei intendere ac studere oporteat, tamen maximè eum cui Regia authoritate prædito tanto plura commissa esse dignoscuntur, quanto pluribus potentia & gravitate antefertur. Annuendum est igitur nobis Dei servorum justis petitionibus, quatinus ratio de nostris actis reddenda eorum orationibus apud communem judicem adjuvetur. Notum sit proinde universis quod Ego HENRICUS IV. *Romanorum Imperator Augustus, consilio dilectissimorum Principum nostrorum super bonis Medii monasterii, petitione & obsecratione* Bertrici *Abbatis fratrumque suorum, hanc Privilegii paginam fieri jussimus, ut ab eisdem fratribus quoniam possessiones & prædia eis olim injustè ablata noscuntur, saltim pauca relicta vel postea acquisita nostro munimento firmiùs teneantur. Cum ergo Dux Lotharienfis mille quingentos & quindecim mansos* * *ab illo monasterio quondam non sine peccato discissos ex nostrâ manu teneat, non solùm nobis exinde servitium sed & ipsi Medio monasterio* † & Visivallo ** *utpote liberum advocatum, defensionem & Patrocinium se debere cognoscat. Ecclesias tamen in Villis constructas de quibus & in quibus isti mansi sunt, nimirùm à Duce Frederico & Otthone Augusto Medio cœnobio redditas, monachos integrè inviolabiliterque & absque censuali servitio tenere nostra decernit authoritas. Alter sub Duce advocatus, qui & bannum de nostrâ manu recipit, hoc solùm in prædictis duabus Villis videlicet Medio monasterio &* Visivallo *sibi jure vendicare debebit: si quis raptum fecerit, id est per vim fœminam rapuerit, si suam non comparem duxerit, si furtum, si incendium, si homicidium perpetraverit, Abbas per suum Villicum & Ministros inde placitabit & tertiam partem justiciarum advocatus habebit; qui si vel ad hoc vel ad alia placita vocatus ab Abbate venerit, non tamen ampliùs quam supra dictam tertiam sibi vendicabit. Ad nullum verò placitum illuc unquam nisi vocatus veniet. Non*

Sub-

BERTRICUS Abbas hoc privilegium impetrat.

* Mansus *Coloni unius habitatio cum congrua agri portione.*

** Veseval.

Advocato Mediani monasterii & Visivalli lex imposita.

† Abscissos à Mediano monasterio mille quingentos & undecim mansos retinet Dux Lotharingiæ, sed Ecclesias Villarum, in quibus isti mansi sunt à Duce Frederico sibi redditas monachi liberas servant.

Subadvocatum substituet, non ullas exactiones faciet. Porrò si aliquando voluntate sive necessitate Monasterium adierit, vel in prædictas duas Villas venerit, non quidquam Abbas vel monasterium, nec quisquam inibi manentium jure vel quasi pro debito ei non vocato dabit: nisi quod villicus qui ei de supra determinata tertia fidelitatis sacramentum faciet; si quid enim habuerit dare ipsi poterit. Quam & legem advocationis, ut compendium faciamus, per totam Abbatiam ratam esse & observandam confirmamus. Velkiercheim *&* Hundenesheim *quem Abbas & fratres asciverint & cui eas commendare voluerint, ipsum advocatum vel meliùs dicam custodem habeant, ipsique qui ad hoc vocati fuerint, præscriptam legem advocationis custodiant. De novem mansis apud* Dutelheim * *duos illos advocatus tenebit, pro quo beneficio* Veltkiercheim *&* Hundenesheim *tutari & custodire debebit. In quibus etiam locis Villicos, Decanos, Decimatores, cæterosque Officiales Abbas & Præpositus ejus quos voluerint constituent & cum voluerint de officio dejicient. Ecclesiam* Veltkiercheim *in honore S. Maximini & alteram in honore S. Apri apud* Hernigersheim **, *Eclesiam nihilominus apud* Hundenesheim *canonicè sæpè dicti fratres teneant & Capellam in honore S. Mariæ apud* Ehenheim ***, *nec quisquam de decimis vel de reliquis ad ipsos pertinentibus eis calumniam facere audeat, ne fortè nostram & quod graviùs est iram Dei incurrat. Eorum sanè quæ in* Radaldivillare * *habent, qui beneficium de Corte* Bercheim ** *tenuerit advocatus sit; quia eadem cors ad eos pertinere certissimè dignoscitur; & ideo qui beneficium de Corte tenet, res ibi eorum ex antiquo jure tueatur. Advocationis legem semel dixisse sufficiat, superiùs jam edictam iste quoque custodiat. Prædium* Tanvillare *** *liberè à liberrimo viro datum liberè possideant. Advocatum* Veltkiercheim *pro beneficio duorum designatorum mansorum sub præscripta lege advocationis advocatum habeant. Quamdiu ibidem Ecclesiam non habuerint decimas cui voluerint dabunt: si verò fecerint, sibi & suæ Ecclesiæ retinebunt. Cellam quæ dicitur* Bellævallis * *cum suis appendiciis ea libertate habeant, qua comes Gerardus & uxor sua Hilvvidis cum filiis suis donaverunt; quia nec advocationem, nec Bannum, nec*

Veldkirch & Hindisheim *in Alsatia.*

* Titeleim *in Alsatia.*

** *Hodie* Krautergersheim *in Alsatia.*

*** *Nunc* Niderehenheim *Gallicè* Niderenay *in Alsatia.*

* Raviller *quod &* Rochewir *vulgò dicitur in Alsatia.*

** *Cortem* Bercheim *ad Mediamenses certissimè pertinere asserit Imperator.*

*** Tanviller *in Alsatia.*

* Belval.

dominationem in eis sibi vel suis posteris retinuerunt. Barbanvillæ *a.*, Montis *b.*, Guneis *c.*, Romonoldivillæ *d.*, Modii *e.*, *in omni denique possessione vel tenore ipsorum, nullus Episcoporum, Ducum, vel Advocatorum exactiones faciat vel pernoctationes exerceat. Advocatis eadem quæ supra lex erit advocationis. Hanc igitur privilegii paginam consilio & rogatu simul & testimonio Principum nostrorum Burchardi monasteriensis Episcopi, Chononis Argentinensis Episcopi, Epponis Novariensis electi, Hermanni Marchionis de Saxonia, Godefridi Palatini Comitis, Amedei Comitis de Burgundia, Lotharienſium verò Requini Tullensis Episcopi & Folmari Comitis* * *conscribi jussimus & sigilli impressione insigniri præcepimus. Si quis verò quod absit hoc nostræ authoritatis præceptum infringere præsumpserit, auri libras decem & centum argenti, medietatem Cameræ nostræ & medietatem Monasterio supradicto persolvat. Data* XV. *Kal. April. indictione* VII. *anno Incarnationis Dominicæ* M. C. XIV. *Regnante Henrico* IV. *Romanorum Augusto anno* VIII. *Imperante tertio. Actum est Strasborc in Christo feliciter.*

a. Barbonville. b. Mont. c. Gugney. d. Reimenoville. e. Moyen.

* *Haud dubiè Metensis.*

Ex Cap. LXIX.

ANno autem Domini M. LXXVIII. Bertrici autem Abbatis Medii cœnobii III. Regni autem Henrici IV. XXIII. Ecclipsis Lunæ tribus insimul noctibus mirabili modo fuit. . . Quibus etiam diebus Æstas mirabilis, magnæque dissensiones Hermanni Mediomatricæ id est Metensis Episcopi ac Theoderici Ducis Castrorumque ipsorum præcipuè Spinalensis & Danubrii, plura cœnobia & Ecclesias in Lotharingia vastaverunt. . . . Anno autem sequenti qui fuit M. LXXIX. Pibo Tullensis Episcopus sanctum Chrisma in Mediano cœnobio consecravit *, qui post decessum Udonis Antistitis ipsam sedem ex natione Saxonum adeptus fuerat.

Theodericus Dux Lotharingiæ.

* *Amuente procul dubio Bertrico Abbate.*

Ex

Ex Cap. LXXII.

EO tempore (*id est anno Domini* M. LXXXI.) Pibo Leuchorum Pontifex Ecclesiam quam frater Regnerus † sub regimine Bercheri Senoniensis Abbatis, in saltu Vosagi qui *ad Mare* vocatur ædificaverat, in veneratione SS. Trinitatis dedicavit. Ipseque aliam domum Orationis in loco qui *Wefria* * vocatur industriâ Bertrici Abbatis Medianensis in honore S. Hydulphi Archiepiscopi †† sanctificavit, aliasque duas ejusdem Sancti nomine quamvis non eodem tempore, diversis locis consecravit. * La Voivre.

Ex Cap. LXXIV.

ANno Domini M. LXXXIV. Regni Henrici XXVI. Bertrici Abbatis IX. Capella sub Balma quæ Alta Petra dicitur à fratre Theoderico † constructa, à Pibone Leucæ Episcopo industriâ Bertrici in honore Mariæ Magdalenæ dedicatur. ††

Ex

† *Hic Regnerus non fuit Pibonis Episcopi frater, sed vel monachus, vel in orationum societatem à monachis Senoniensibus admissus & propterea frater vocatus.*

†† *Forte etiam in honore beatissimæ Virginis Mariæ; nam hæc domus orationis vocatur Capella S. Mariæ infrà in Bulla Innocentii Papæ II.*

† *Cum neque hic, neque superiori cap. 67. hujus Capellæ constructori Theoderico Ducis nomen tribuatur, is perperam confundi videtur à quibusdam cum Theodorico Duce.*

†† *Hujus Dedicationis dies festus sic notatur in antiquo Mediani monasterii Martyrologio manuscripto:* Ultimo Decembris, Dedicatio Basilicæ in honore S. Mariæ Magdalenæ secus Altam Petram ædificatæ & à S. Pibone Leuchorum Præsule consecratæ.

Ex Cap. LXXVI.

GRavis porrò his diebus (*id est anno* M. LXXXIV.) commotio Theoderici Verdunensis Episcopi cœnob o . rumque suæ Diœcesis, maximè S. Michaëlis protervè exoriens adeo prævaluit, ut id monasterium cum adjacenti oppido funditus idem Præsul excusserit.

Ex Cap. LXXXIII.

* Toul.
** Commercy.

LEucha * siquidem urbs oppidanis Franciæ limitis quod Commarchiacum ** vulgus nominat deprædationes dudum sustinens, collectis Civium atque Suburbanorum pluribus, hostes nequaquam persequi ausa; captis insuper suorum paulominùs quater quadragenis, civitas olim triumphis fulta ludibrio nunc miserè est habita Non est verò nostrum quidquam mutire utrum Episcopi mens istius casus expers, an fuerit conscia. Mediomatricum ac Virdunensium urbes crebris nunc assultibus verberabantur à circumstantium castrorum de foris & infrà. Sed Verdunum astutiâ novelli Principis, Godhberto optimatè asperi montis *** subtiliùs operam exequente, ab insidiantibus nuper plurimum, per suos quamvis paucos sæpius sese est ulta. Nonis denique Septembribus Hugonis Comitis generis * Sophiæ cum Ludovico comite pridem nuptæ occisus nimis acer & subitus fuit; etenim cum à nudiùs tertius in exstructione Castri quod ad Tanvillariensem Medianensium Diœcesis ** vicum factio principum erigebat, Widricus Vernula ipsius principis fraterque Fulchionis, cujus per reliqua scelerum magnalia, Presbiteri ab officio missæ progredientis in ipso forium Ecclesiæ exitu, in frustra artubus

*** Apremont.

* *Id est ex genere.*

** *Id est Jurisdictionis.*

bus abſciſſis, famoſiſſimum opus claruit: dum conſilii ſecretiora illic rimatur, repentino lignei parietis caſu, ipſo Fulchione vix in latus ſe proripiente, hic Widricus inibi cum conſortibus ſuis ultimum efflaſſet ſpiritum, tale infortunium mox viſum eſt greſſus in altiora tuliſſe. Denique cum in Suburbio Argentinæ quod ſermone Accolarum *Halleim* vocatur, is comes ab urbis Epiſcopo pranſum invitatus, cœnâ etiam peractâ, poſt longa diſpoſitionum conſilia quibus plurimam noctem verterant, thalamus * ipſe Pontficis dormitum eos inſimul locaſſet, Sigiffridus Pincerna cujus collegæ Patrem, ſibi verò præfatus comes fratrem, olim graviter mortificaverat: hi duo ipſam cum fidiſſimis cameram irrumpentes, cum præſulem ab intus propulſaſſent, jam dictum Hugonem ſomno quidem ſopitum multis vulnerum lacerantes ictibus, cum quatuor vel quinque nobili genere pediſſequis intéremerunt. Sed hujus cædis quanquam Pontificem plerique inſontem, aliqui tamen non inexpertem fore ob illam maximè notam arbitrantur, quod dum ante triennium obſidionem caſtelli (*Cakibudi* barbarum idioma nuncupat) per anni metam ſedulò peragit, matutino quodam prædictus Hugo illis quietum reclinantibus hoſtiliter irrumpens . . . poſt multum ſanguinis plures captivos adduxit, reliquoſque vix camiſiis tectos fugere compellens, præſulem ipſum ſpoliatum cunctis . . . . Epiſcopii, cum plurimo dedecore oppido eliminavit . . . Gerardus Comes frater Theodorici Lotharingiæ Ducis Germanus, qui metato anni curſus circulo patrimonia hereditarii juris à fratre partitus eſt, cum morum inſolentiâ plurimis oſoribus dextrorſum ac levâ coagitatis, ab Auguſtique ditionibus vel ipſe deſciſceretur, multimoda depredationum genera exercebat in oppidis ac villis Magnatumque ac divitum capturis; quin Ludovicum

* *Id eſt cubiculum.*

Hugonis Comitis interfectio.

Theodoricus Dux Lotharingiæ & Gerardus comes Valdani montis frater ejus paternam hæreditatem partiuntur.

Ll etiam

Comes Gerardus captivum tenet Ludovicum Sophiæ filii filium: sic enim legendum videtur non *fililium*.

etiam Sophiæ veteris *Fililium* † longiori detentum custodia adeò afflixerat, ut postquam donatis pluribus pecuniæ & cæterorum munerum rebus evasit, incertum est an illâ diuturnâ captivatioue, vel ob aliam causam evenerit, cum paululum plus infrà moreretur. Ipse Spinalensi Danubriorumque infidelibus castris aliisque similibus effectis, in effracturis atriorum, aditibus etiam Ecclesiarum cœnobiorumque penetralibus, multa cum complicibus divaricatis talia operabatur. Hic interea aliquid virile commutuans Francigenas ab Tulli urbis incursu abegit. Cum nec longo post tempore contractis undecumque hostium copiis, spolia se habiturum ut facile arbitrans, primo in congressu robustioribus se avertentibus, in quibus ipse adversus Hyncbertum * Burgundionum Ducem belligerandi spem commiserat, cum congerie Satellitum capitur. Nam is Heincbertus pronepos extitit Walteri ac Ludovici, cujus castrum quod Sunacium ** dicitur calumniante matre Gerardus quondam Dux . . . . sibi vendicaverat. Post decessum cujus huic Gerardo ejus scilicet proli, cum altero quod Waudemont nominant, cum mancipiis forte in prædiorum partitu obvenerat. Is Burgundus in consanguineitatis questum trutinans *, præfatum adolescentem Gerardum vinclis compedum innexuit & quamvis frater Dux Theodericus multa cum Reginaldo Tulli Comite ratiocinans, qui auxiliarius aciei hostium in captura Germani fuerat, ad duelli usque certamen calumniatus cæteraque quærelarum complura *vacillaverit* **, nullatenus exinde, usque quo tellurem allodii castelli videlicet concambinm faciens, cum grandi pecuniæ cumulo, extrà equitum armorumque suppellectilia contraderet, absolutus præsenti anno egreditur . . . . Ipse denique Theodericus Dux cum à multis jam temporibus seditiones Primatum qui mutuò sese incen-

* *Aliàs* Huicbertum.

** *Vide Vassebourg. lib.* IV. *Antiquit. Galliæ Belgicæ pag.* 245 *ubi* Sunacium *vocat hoc castrum.*

* *Ludovici statim à captivitate defuncti consanguineus erat.*

** *Fortè* jaculaverit.

Primatum seditiones.

diis

diis & populationibus per ſacras ædes & oppida per Gubernationis ſuæ Provinciam paſſim debaccabantur, in ipſos etiam ſerviles ſuos qui fundi ſui penè omnia deperibant, plurimum in reprimendo deſes extiterit: modo aliquid conari quaſi ex ſomno experrectus ſtuduit. Menſe ſiquidem ſextili, quem mos eſt de nomine Auguſti vocitari, aggregans pedeſtrium equitumque manipulos, omnia per circuitum ſata cum exuſtionibus Villarum primitùs eradicans, Spinale oppidum obſidione terruit: ubi equi- paratis militum virilioribus Widrico, (nam is intra caſtrum occluſus erat primarius) ſub munerum æquitate confligendi facultatem attribuit. Iis ergo illiſque viriliter ictibus telorum ſe collidentibus, nec longum, Oppidani ſauciis quibuſdam ſuorum, ſed & mortuis, terga dedentes: cum murum infrà refugerent, Baliſtarum jaculis municipes è propugnaculis fœdus mentiti, ſequentes mœnibus avertunt. Moxque caſtri munimem expugnatum foret, niſi Dux retentis exercitibus, maximè ob ignobile vulgus cujus frequentia ab intus & foris cuncta compleverat, pluris ſanguinem mortalium in re peragenda conſequentem, quam captionem præſidii feciſſet. * Quo caſu contemptus, in Archas ** aliud caſtrum quod biennio ante propter incurſus Spinalenſium xxx. plus minus ſtadiis abſtans ipſe erexerat, abſolutâ equeſtri turmâ ac popularibus reditum facit. . . . . Et quia de Gerardo Comite Wadani montis filio Gerardi Ducis Lotharingiæ & fratre Theodorici Ducis ejuſdem Provinciæ, qui ſub tempore hoc regnavit præfati ſumus, affectum quem habuit ad Medii cœnobii clauſtrum in medium proferamus. Quidam frater Medii cœnobii anno Domini M. XCVII. ſumma devotione debriatus eſt, verus Jacobita, mentis pedibus mundum calcans, Hugo ſub Chriſmate vocatus, Anachoritalem voluit vitam ſubire &

Spinalenſis oppidi obſidio.

* *Phraſis hujus verba inverſò ac præpoſtero ordine poſita leguntur in textu.*
** *Arches.*

Gerardus Comes Vadani montis filius Gesardi Ducis Lotharingiæ frater Theoderici ejuſdem Provinciæ pariter Ducis.

& à tumultuantis populi elongari turbine, ut facilius in Deum mente ferretur. Hic in allodio Comitis Gerardi præfati, in Sylva quæ Terna vocatur, Cellam quæ nunc Bellævallis dicitur incepit fabricare. Is etiam frater prædictus Hugo Romonensem cellam *, Leonis montem ** juxta castrum Lunarisvillæ, Cellam de Seuris * & Clarum** Montem super S. Deodatum ædificavit. Quare autem prædictæ Cellæ juris non sunt Medii cœnobii scriptum non inveni; cum prædictus frater Hugo professionis fuerit Medii cœnobii. Tenendum credo est quod propter Abbatis & fratrum negligentiam vel Religionis insolentiam, ad aliorum prædictæ Cellæ transierunt manus. Hic etiam frater Hugo Ecclesiæ Lustrensi in reparatione ædificiorum & debitorum absolutione valdè profuit. Gerardus tamen prædictus Comes dictam Cellam Bellævallis sumptu largo ob animæ suæ & prædecessorum suorum salutem, post egressum à vinculis Burgundionum, cum Ecclesiâ, claustro & officinulis Deo inibi servientium aptis, erexit in S. Crucis, B. Virginis, nec non & gloriosi Spinuli reverentia & honore. Multis etiam bonis prædiorum & redituum, propter sex Monachorum victum & vestitum convenientem dotavit, & maximam portionem territorii adjacentis dictæ cellæ monachis solis ibi Deo servientibus liberâ donatione concessit; ut ex chartis super hoc confectis elici potest. Via enim rectior magisque trita Hardiniacense petens forum de Murinivillâ, in introitu nemoris statim transit & ascendens colliculum per Ternam Waholdirivum usque procedit: sinistra verò per viam vetustam progrediens ad locum qui Petrosa dicitur, publico aggeri supra rivulum qui Portus dicitur, se inserit. Et similiter in Waholdirivi vado ad dexteram unde divisa fuerat redit. Fundum igitur qui interjacet his viis, ex eo loco quo dividuntur, usque ad eum quo ad se in Waholdirivi vado revertuntur, beatæ Dei Genitrici, Hydulpho ac ejus discipulo

Cellæ Bellævallis origo.
* *Romont.*
** *Leomont.*
* *Xures.*
** *Clairmont.*

Cellæ Bellævallis constructio & dotatio.

Spi-

Spinulo liberè & ex integro contulit ac fratres Medii cœnobii inibi ad serviendtm Deo congregavit.

Anno autem M.CIV. Bertrico Abbate & fratribus consentientibus corpus beati Spinuli prædicti ad Bellamvallem honorificè sublatum à Medio cœnobio, in capsa argento tecta reponitur; cujus meritis innumera corruscarunt, ut á veridicis antiquorum relationibus percepi miracula. Sed nunc vel ob compatriotarum malitiam, vel inhabitantium defectum vitæ & insolentiam, virtutes penitus in eodem cessarunt loco. Cellæ etiam prædictæ idem Comes Gerardus & monachis quos inibi Abbas Medianensis ad serviendum Deo statuerit, decimas dedit Castelli †, de Rancort ††, Waleriis * & Porti. ** Et separatim decimas termini ipsius Bellævallis designati, absque participatioue cujuslibet, vel etiam Presbiteri Parochialis, reverendi Præsulis Domni Pibonis Episcopi Leucæ urbis statuto à decimis Ecclesiæ Murinivillæ* separatas, solis monachis in dicta Cella divino vacantibus servitio purè & libere concessit. Dedit etiam apud prædictum portum super Mozellam medietatem Esocium, qui vulgo Salmones vocantur, in ascensu tantummodo captorum; sibi retinens usum Sylvæ pascuæque per totum allodium suum de Murinivillâ, nonamque partem ex omnibus Dominicaturis ejus Villæ. Duos quoque modios vini de redditu Sylvæ eidem dedit Cellæ. Rivulum Mohereium eis bannalem fecit, in Mozella communem & æqualem piscationem secum concessit. In saltu autem tempore pascinatus, centum porcos impinguandos monaci dictæ Cellæ mittent. Quicumque de familia

Translatio corporis S. Spinuli ad Bellamvallem.

*

** Portcieux *latinè à quibusdam Portus cœlorum vocatus.*

* Moriville.

 suâ

† Chatè Sur Moselle *seu potius mons vicinus arabilis in cujus vertice fuit olim castellum & hodiedum vocatur* Le Chastelet.

†† *Ad radicem ejusdem montis nunc reperiuntur horti, qui dicuntur* de Rancourt.

suâ fundum vel aliud aliquid monachis & Bellævalli dare voluerit, liberè dabit. Siquis intra terminum duabus viis supra determinatum, feodum vel terram censualem habuerit, aliam reddidit & Bannum Vallis liberrimum & quietum monachis fecit. Et quoniam Vallis strictior & minus apta pratis, alibi tantum pratorum daturum spopondit, quantum sufficere potest octonis bobus & totidem vaccis, tribus caballis & quatuor Asinis. Servitia vel placita quæque sibi vel suis venatoribus vel forestariis, vel quibuscumque aliis officialibus Pinzonis Curia * vel Frezonis Villa ** ad Medium monasterium pertinentes exhibere solebant, & omnem advocationem in perpetuum remiserunt. Super omnibus autem quæ dedit, nullam sibi potestatem vel advocationem retinuit. Si quas tamen injurias Abbas ibi per se emendare nequiverit, auxilio Comitis prædicti & successorum suorum emendabit: sed si summa quæstus & vadii fuerit, Abbatis tantùm & monachorum voluntati & utilitati mancipabitur. Hic etiam Comes in ultima infirmitate qua decessit, dictæ Cellæ per manum Domni Ricuini Tullensis Episcopi duas Ecclesias scilicet Murinivillæ * atque Puris **, & tres solidos quos solvebat Presbyter de Puris in die beati Stephani Protomartiris prò Ecclesia Purensi, pro animæ suæ salute liberaliter contulit donatione testamenti. Qui Episcopus Ricuinus statuit ut monachi Bellævallis duas partes decimarum duarum Ecclesiarum dictarum *haberent*, Presbiter verò tertiam, exceptis indominicatis Ecclesiæ Purensis, quæ absque participatione cujuslibet Presbiteri solis data sunt monachis. Eo autem Comite nexu carnis absoluto, in prædicta Cella Bellævallis sepelitur. Processu autem temporis uxor ejus nomine Hilwidis eo tenore & conditione qua Ecclesiam de *Domart* noscitur tenuisse, prædictæ Cellæ contulit jure perpetuò possidendam.

*Passoncourt.
** Frisons.
* Moriville.
** Puxes.

Gerardo Comiti Vadani

Huic autem Gerardo successit Hugo filius ejus, qui do-

donationem omnium prædictorum ratificavit & chartis signo suo roboratis confirmavit & renovavit, præsente venerabili Henrico Episcopo Tullensi, filio Ducis Theoderici, cognato dicti Hugonis comitis, ac per ipsum roborari rogavit, ea die qua idem Episcopus Ecclesiam Bellævallis dedicavit. Super Reliquias ante ostium Ecclesiæ additam servi & ancillæ quadrantisque terræ donationem prædicti patris sui donationibus, prædictus Hugo Comes propriâ manu reposuit in scripto. De voluntate autem & rogatu dicti Hugonis, dictus Henricus Episcopus confirmans donationes istas & Ecclesiæ Bellævallis ac ejus jurium seu jurisdictionis violatores & invasores nexu anathematis constringit, anno Domini M. C. XXXIV. imperante Lothario & Simone * Fratre ejus Duce Lotharingiæ. Hic autem Hugo circa finem vitæ suæ contulit ex Indominicaturâ in allodio suo duas croadas, cum parte prati in territorio Purensi, pro anniversario suo & prædecessorum suorum celebrando annuatim in Ecclesiis Medii cœnobii & Bellævallis. Eo autem ab ergastulo carnis liberato, sepelitur cum fratre suo in Bellavalle.

montis succedit filius ejus Hugo.

Henricus Episcopus Tullen. filius Ducis Theodorici & cognatus Hugonis Comitis Vademontani.

* *Simon Dux Lotharingiæ Frater Lotharii Imperatoris cujus sororem Adel. eidem duxerat uxorem.*

Huic autem autem succedit filius † æquivocus Hugo etiam nomine. Et hic Ecclesiæ Bellævallis libera contulit donatione quidquid in hominibus S. Deodati, apud Bellamvallem & *Portecieux* commorantibus videbatur habere: homines etiam in prædictis duabus Villis commorantes se nullo modo alicubi retinere decrevit; retentâ sibi tantummodo dictarum Villarum & hominum cum

suis

† *Hic Hugo perperam dicitur filius præcedentis Hugonis, cujus verus filius & immediatus Successor fuit, Gerardus II. Deceptus est Author ex male intellecta charta Henrici primi inferiùs tradenda, ex qua hæc desumpsit.*

suis Prædecessoribus liberâ & absolutâ custodiâ. Statuit etiam Abbatis & Conventus interveniente assensu, quod nullus in dictis Villis hominum suorum ad commorandum poterit retineri. Si quis autem comitatus Wadanimontis mulierem Bellævallis & de *Portecieux* uxorem duxerit, eidem comitatui unà cum prole suâ perpetuò serviet. E converso si quis de dictis Villis Bellævallis & *Portecieux* uxorem duxerit de dicto comitatu, monachis unà cum prole suâ perpetuo famulabuntur. Post quam autem hic Hugo transivit ad patres suos, sepultus est cum patribus suis in Bellavalle.

Hugoni Comiti Vadanimontis succedit æquivocus ejus filius.

Huic autem successit Hugo ab eo genitus, & hic Hugo universa destituta in eadem Cella restituit, veterana renovavit, alienata innovavit, non segnis Prædecessorum suorum imitator factus: ut verus filius non degener vias patrum suorum . . . . tenens, non solum munimine donationes prædictas confirmavit: verum etiam dona nova adjunxit. Nam præter determinatum numerum porcorum superiùs dictum, quinquaginta porcos pascendos singulis annis sine contradictione in nemoribus Comitatus fratres Bellævallis mittere poterunt hujus indulto, & si proprios non habeant, alienos sub prædicta forma mittent. Contulit etiam Hugo decimam Polenorum de dicta Villa Bellævallis & *Portecieux* & medietatem decimæ Caniveti * Ecclesiæ Purensis; nec non & decimam pratorum & terrarum arabilium Grangiæ suæ de *Estenon* quas antecessores sui & ipse possederant, in perpetuum possidendam. Et si fortè contingeret, quod homines Bellævallis & *Portecieux* per ministeriales Comitis ultra usuarium sibi à Prædecessoribus suis concessum & per eum innovatum confirmatum & etiam approbatum, in venditione vel donatione Nemorum suorum uterentur, & ipsi laudem & assensum ministerialium suorum per tres testes probarent, nihil pro damnis vel emenda à di-

* Chanvre.

dictis hominibus de cætero exigere possent vel etiam extorquere. . . .

Hic Hugo beneficiis & orationibus Medii cœnobii se jungens, acceptâ confraternitate ipsius loci cum uxore Margareta, assensu Abbatis & Conventus, pro fructu præbendæ suæ tertiam partem assisiæ hominum Bellævallis & *Portecieux*, quandiu ipse & uxor viverent, recepit: quibus defunctis integraliter reverteretur ad fratres. Dedit etiam minutas decimas Grangiæ suæ de *Estenon*, quæ situatur in parochiatu Purensi in pratis & nutrimentis. Quam decimam præfatus Abas & Conventus habebunt sub annuo trecensu xxv. solidorum Pruviniensium fortium, singulis annis in pedagiis suis de *Domar* capiendorum in festo S. Remigii, quandiu ipse & uxor viverent. Hæc contulerunt retentâ sibi totaliter vini & Bladorum decimâ. Post decessum verò ipsorum tam decima pratorum quam nutrimentorum prædictorum dictæ Grangiæ ad sæpè dictas Ecclesias, si melius decimam maluerint quam prædictam summam xxv. solidorum, pacificè & sine hæredum suorum reclamatione revertetur. In testamento etiam suo contulit dictæ Cellæ Belle vallis sexaginta solidos fortium, quos in reditibus *Favieres* in perpetuum constituit persolvendos. Quo debito mortis persolvente.

Hugo Comes Vadani montis & Margareta ejus uxor Medii cœnobii fraternitatem accipiunt.

Succeffit filius ejus Henricus vir strenuus in armis. Et quia per infortunium thesauri, librorum & denique chartarum & privilegiorum, cæterorumque Ecclesiæ ornamentorum Medii cœnobii igne combustorum, Ecclesia Medianensis multa passa est incommoda. Hic Henricus Comes quia per primogenitores suos Cella Bellævallis fundata fuerat cum appenditiis, & multis elemosinis studio pietatis dotata: ne ab aliquo successore suo vel hærede in supra dictis donis ab antecessoribus suis tam liberaliter & solemniter collatis, pro defectu privilegiorum sive chartarum aliquatenus valeret molestari, ad supplicatio-

Hugoni Comiti Vadani montis succedit Henricus ejus filius.

tionem Abbatis & Conventus privilegia & chartas ſuper prædictis donis ab anteceſſoribus confectas & collatas, prout recolligere potuit, pro ſalute animæ ſuæ ſuorumque prædeceſſorum innovavit, reſtauravit, & qua ratione, quave libertate Comes Gerardus & Comitiſſa Hylvidis ejus conſors, cum filiis ſuis Hugone & Olderico Bellamvallem dederunt Deo & Medio cœnobio, confirmavit; recognoſcens ſe in dicta Cella vel in ejus appenditiis nihil juris habere penitùs, niſi ſolam liberam & abſolutam cuſtodiam. Et laude & aſſenſu uxoris ſuæ donationi Prædeceſſorum ſuorum cenſus pratorum infra terminum *de Fraiſe* conſiſtentium, de Breſis uſque Bellamvallem adjunxit, cum prædicta ratificatione & confirmatione; volens etiam quod ſi ipſe vel aliquis ſucceſſorum contra prædicta delinquat, niſi ammonitus per Abbatem ſeu ejus nuntium, infra XL dies a delicto reſipiſcat, cum ſatisfactione condigna, per Dioceſanum vinculo excommunicationis innodetur & tota terra ſupponatur interdicto. Hæc acta ſunt anno Verbi incarnati M. CCLII. menſe Martio regnante Duce Frederico in Lothoringia.

Henricus I. Comes Vadani montis innovat donationes à prædeceſſoribus ſuis factas Bellævalli.

Fredericus Dux Lothoringiæ.

Iſte Henricus multas exercuit arſuras & depredationes in Ducatu Lothoringiæ. Tandem Novum Caſtrum cujusdam militis fraude, ſuo cum vacuatum eſſet populo, qui in expeditione Ducis Frederici tranſierat, captum ſpoliavit. Sed licet tanta ſpoliatione gaviſus foret, nihilominus iſtius Guerræ gravem ſortitus eſt exitum; nam caſtra quæ jure allodii ſe dicebat tenere, ſcilicet Caſtrum Wadanimontis cum tota terra adjacenti & caſtrum ſuper Mozellam & caſtrum de Benvilla *, quod minus juſtè in territorio Cellæ ejusdem villæ monachorum S. Apri Tullenſis, in præjudicium Ducatus erexerat, pro debitis in dicta Guerra contractis pretio pecuniæ ſervilia fecit in perpetuum Comiti Barrenſi Theobaldo, qui illo in tempore dictum regebat Comitatum. Nam ex dictis caſtris cum adjacenti Terra dicto Comiti hominium faciens, in pre-

* *Rainville aux Miroirs.*

prejudicium Ducatus Lotharingiæ, (cum jam pridem constet Wadanimontis Comitatum à Ducatu duorum partitione fratrum fore discissum) Comiti Barrensi reddibilia & receptibilia jure fecit perenni. Ac demum cogente inediâ ad Regnum Siciliæ se quasi exul è patria contulit, stipendiariumque Regis Caroli se faciens, inibi multas ob militiæ suæ strenuitatem acquirit possessiones & filiam nobilissimi Ducis Atheniensium sortitus est uxorem: ex qua tres genuit filios Henricum, Jacobum & Guidonem. Henricus corpore parvus, sed mente acer & armis strenuus sceptrum Comitatus adeptus est, acceptaque uxore in Burgundia sorore Domini de *Vergi* æquivocum ex ea genuit filium nomine Henricum, qui dicti comitatus Wadanimontis monarchiam rexit post eum, & tres filias quarum prima 1.° nupta fuit Domino Johanni dicto *Boutefeu* de Joannisvilla: sed absque liberis dicto Johanne decedente, Domino de *Nanteüil*, in territorio Remensi matrimonio copulatur secundò. Sed dicto Domino de *Nanteüil* guttis impotente reddito, ipsa conjux ab eo se loco separavit & mente. Sed quia sinistrâ vulgi relatione ex hoc dictæ Dominæ fama denigratur, calamum restringo hujus prolocutionis. Secunda autem filia prædicti Henrici in Romaricomonte velo sanctimonialis insignitur: quæ tandem Abbatiæ regimen, gratia populi faciente, promeruit & virgam. Tertia autem in claustro B. V. Mariæ matris Domini Suessionis urbis sacro velamine velatur. Henricus autem anno Domini M. ccc. vi. nobilem Dominam Isabellam nomine, filiam potentissimi Ducis Lotharingiæ Frederici, quæ jam dudum ante filio Ducis Baioariæ fuerat desponsata, duxit adolescens ætate jam maturam uxorem, ex qua ei gignitur unica filia. Quæ si fortunæ volubilitas sivisset Carolo secundò genito bonæ & honestæ memoriæ Ludovici fratris Regis Francorum Philippi, ex Maria sorore Ducis Brabantiæ, qui in Barroducis Hastiludio manu famosi militis Domini Petri de Bullenivilla vitæ finem complevit, & Comitis Ebroi-

Henricus I. comes Vadanimontis Theoblado comiti Barrensi hominium profitetur ex terris suis.

Henricus II. comes Vadanimontis ejusque progenies.

Romaricenses sanctimoniales velo insignitæ.

Ebroicensis nupta fuisset, procurante hoc quodam famoso milite deLunarisvillâ sub Chrismate Carolo vocato, anno Domini M. ccc. xxi. sed fortunâ & patris segnitie seu vecordiâ, consilioque nequam impediente, per Edoardi Comitis Barrensis suggestionem & minas, cuidam qui jam in diebus suis processerat, Domino scilicet Johannisvillæ * matrimonio copulatur, circa annum Domini M. ccc. xxii. Jacobus autem sororem Domini de Commerceio & Comitis de Saraponte consortem habuit, ex qua unicam genuit filiam quæ Johanni filio Comitis de Salmis matrimonio juncta prolem non traxit, quia dictus Johannes in bello de *Froüart* pauco tempore post nuptias gladio periit. Quæ secundò Guillermo de Vienna nupsit, ex quo stirpem multiplicatam edidit. Guido autem Canonicus effectus Tullensis, multa Episcopo Tullensi Conrardo qui habitu fratum Menorum circum amictûs erat & Religione, intulit adversa. Tandem Clericatus incurrens apostasiam, militiæ cinctus armis, unà cum duobus fratribus suis, Henrico comite scilicet & Jacobo Regnum Siciliæ petiit, ubi bello navali una die tres fratres ceciderunt.

* *Jeinville.*

Ex Cap. LXXXIV.

ANno ab Incarnato Verbo M. xc. ut ad primum redeamus ordinem. . . . Frater Thietbertus & Gizebors Monialis divisis parietum Cellis, sub balma juxta sancti Mansueti Cancellum * recluduntur. †

* *Forte* Sacellum.

Ex

† *Hinc & ex superiori cap. 74. apparet plures fuisse sub Balma capellas.*

Ex Cap. LXXXVI.

ANno ab Incarnatione Verbi M xci. Ecclesiæ sanctorum Bonifacii, Hydulphi, Spinuli, Johannis & Benigni, Mansueti: ac superiori proximè anno Clementis ac Hydulphi varios per locos à Pibone Episcopo Leuchorum, Bertrici Abbatis studio, consecrantur. Has enim Medianenses pro Diœcesi habent.

Ex Cap. LXXXVII.

ANno Domini M. xciii Ecclesia Calmosiacensis cœpit à quibusdam fidelibus ædificari. Anno immediatè sequenti fuit mortalitas permaxima, & anno Domini M. xcv. nimia fuit plaga luporum homines comedentium. Anno autem sequenti frequens iter Jerusalem adeuntium, cum apparatu armorum. Anno Domini M. xcvii. frater Hugo Bellamvallem incœpit, futurus inibi Eremita, ut prelibatum est. Anno autem M xcix. Gedefridus Dux Hasbaniæ Jerosolimorum Rex efficitur, sed repentè veneno interiit, pro quo Balduinus frater ejus successit.

Ecclesia Calmosiacensis initium.

Godefridus Dux Hasbaniæ Jerosolimorum Rex efficitur.

Ex Cap. XCVI.

ANno Domini M. c. hiems tanta fuit asperitate repleta, quod vix quis extrà poterat egredi. Hanc subsecuta est fames valida & hominum mortalitas. Anno sequenti pugna inter Jerosolimitas & paganos fuit. Anno autem Domini M c. ii. nonis Aprilis ordines

à Domno Pibone Episcopo Leuchorum in Medio cœnobio celebrantur. † Anno autem Domini M. c. IV. Corpus S. Spinuli à Medio cœnobio apud Bellamvallem transfertur. Anno Domini M. c. XI. Henricus IV. Cæsar obiit. Henricus V. successit. Anno Do[illegible]ini M. c. VII. Domnus Pibo moritur Episcopus Tullensis. Ricuinus succedit. Anno autem sequenti Comes Gerardus Wadanimontis obiit.

Gerardus Comes Vadani montis obit.

Additio Compilatoris novissimæ hujus Historiæ.

ANno M. c. XI. præfatus Riquinus Tullensis Episcopus sequentes litteras Pontio Abbati Cluniacensi dedit pro Frodoni Cella * vulgò Frovilla dicta, quam Bertricus Abbas Medianensis suo monasterio concessam & addictam fuisse contendebat.

* *Froville.*

Ex Bibliotheca Cluniacensi pag. 579.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti. Riquinus Dei gratiâ provisor Tullensium Pontio Abbati Cluniacensi ejusque successoribus regulariter promovendis in perpetuum . . . . Ad perpetuam itaque monasterii tui pacem Ponti in Christo dilectissime fili, manifestamus posterorum notitiæ determinationem causæ Frodoni Cellæ nostris temporibus definitæ. Abbas denique Mediani monasterii Bertricus nomine, in generali synodo nostram censuram adiens, querimoniam movit super Wicardo Priore Frodonensis Cellæ, asserens quoniam Odoinus vir illustris S. Petro Mediani monasterii, coram liberis testibus, de Cella illa donum & investituram fecisset, sed facta postmodum retractatione, Cluniacensis Ecclesia eam irrationabiliter etiam Præsumptuosè invasisset. Præfatus siquidem Odoinus ibidem tunc præsens hoc omnimodis denegavit, etiam se nunquam Ecclesiæ Mediani monasterii indè

† *Consentiente procul dubio seu etiam efflagitante Bertrico Abbate ut ex monachis aut aliis subditis suis ordinarentur aliqui.*

dè donationem fecisse, productis liberalibus testibus jurare proposuit: Prior autem usus prudentiori consilio, Abbatem suum ut res exigebat super hoc consulturus, usque ad proximam synodum inducias petiit: quas cum prolixitate itineris, tum remotione Abbatis usque ad tertiam synodum ingruente rei difficultate protraxit. Tandem igitur in medio totius synodalis conventus protulit chartam felicis prædecessoris nostri piæ memoriæ Pibonis sigillo insignitam, in qua continebatur quod per manum prædicti Pontificis Domnus Odoinus de Cella Frodonensi, cum omnibus appendiciis suis, sancto Petro Cluniacensi liberaliter donationem fecisset, & etiam Abbas Cluniacensis jam ferè per xxx. annos sub sua dispositione quietè possedisset. Super hoc & ipse Odoinus ultimò se constanter intulit & hac ita se habere adhibitis sex liberalibus testibus jurejurando proba[illegible]t. Tam evidenti ratione, tam probabili discussione, Abbas Mediani monasterii vanâ spe frustratus recessit. Prior verò Cluniacensis quod Frodonicella Ecclesiæ Cluniacensi adjudicatur. *nostri erat officii super hoc fieri postulavit. Banno ergò Dei & nostro, autoritate etiam Pontificali sancimus & interdicimus, ne aliquis deinceps Ecclesiæ Cluniacensi pro Cella Frodonensi calumniam moveat, ... Acta sunt sunt hæc Tulli in synodo generali, in majori Ecclesia S. Protomartyris Stephani, anno ab Incarnatione Domini* M. C. XI. *ordinationis verò nostræ* IV.

Anno 1114. teste Patre Benedicto à Tullo Capucino in manuscripta historia civitatis & Diœcesis Metensis, nobilis quidam Otto nomine (prætextu quantum opinamur advocationis seu subadvocationis loci de Visivallo) castrum * construere cœpit in fundo Mediani monasterii, * *Haud dubiè* Berouvart. suprà *Ravonum.* ** Qua de re apud Imperatorem conquestus dicitur Bertricus Abbas, per Adalberonem Episcopum Metensem. ** *Ravon létappe.*

Quæ de hujus castri inchoatione & delatis propterà ad Imperatorem Bertrici querimoniis narrat præfatus Pater Benedictus, ea ad marginem indicat se desumpsisse ex quadam charta in Archivo Mediani monasterii asservata, & præfato Bertrico ab Imperatore concessa *interventu fidelium* ejusdem Imperatoris ac præsertim *Theodorici Ducis Lotharingiæ, fratris Bertrici Abbatis.* Ve-

Verum in Archivo nostro hodie non extat hujusmodi charta, nec etiam extitisse videtur tempore Joannis à Bayono qui nullam de ea mentionem facit Veremur autem ne prædicta hæc ultima verba: *Fratris Bertrici Abbatis* à recentiore aliquo hac opinione imbuto adjecta fuerint in ejusdem chartæ excerpto quod penes se habuit Pater Benedictus.

Cæterum si nobis hic divinare fas est, conditorem seu incæptorem prædicti castri eundem esse putamus Ottonem, qui suprà cap. 67. Rolandi de Badonvillari frater natu major dicitur, quique tempore Bertrici Abbatis cum multo comitatu ad Medianum monasterium venit & partem modii quod habebat apud Petri scamnum * fratribus ejusdem monasterii vendidit. Illius enim nomen, tempus, vicinitas & potentia suscepto huic operi aptè congruunt.

* *Pechone.*

Continuatio prima Capitis XCVI. Historiæ Joannis à Bayono.

Bertricus Abbas moritur cui succedit Milo an. 1115.

ANno autem M. C. XV. Domnus Abbas Bertricus anno sui regiminis XXXIII. fati munus explet, cui Domnus Milo successit, de quo pauca novi nisi quod quosdam versus in quodam libello de eo loquente sic reperi.

Abbas ipse stylo studuit me scribere Milo
Copia cantorum quo nobis multa librorum;
*Junxit enim plenos hujus artis * hic mihi senos*
Cujus delictis patris unice parcito mitis.

* *Cantus scilicet.*

Additio altera Compilatoris novissimæ hujus Historiæ.

ÆGre ferens Milo Frodoni cellam nec non Curiam *Bercheim* monasterio suo ablatas fuisse, utramque re-

recuperare tentavit, sed incassum, nam Frodonensis Cellæ possessionem Abbati Cluniacensi confirmavit Petrus Cardinalis legatus Honorii II. Papæ, sententiâ hac de re latâ in Concilio Tulli habito an. 1127. ut expresse testatur P. Benedictus à Tullo Capucinus in historia Eccles. & politica civitatis & Diœcesis Tullensis pag. 411. Curiam verò *Bercheim* Innocencius II. Papa Henrico Episcopo Tullensi adjudicavit, ut in sequenti charta videre est.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Tullensi Episcopo ejusque successoribus in perpetuum. Desiderium nostrum est Ecclesiæ Dei pacem statuere, & ne lites in infinitum extendantur sed potiùs conquiescant, siqua adversus eam querela emerserit ex Apostolicæ dispensationis arbitrio, fine debito terminare. Et quoniam ea quæ non semper subjacent oculis si non sæpe recolantur, obumbrandi desuetudine ab humana memoria solent excedere, litem & controversiam quæ inter te frater Henrice Tullensis Episcope & Milonem Abbatem Mediani monasterii de curte quæ dicitur Bercheim *agitabatur, in nostra & fratrum nostrorum præsentia terminatam, ad perpetuam posterorum memoriam scripturæ duximus committendam. Te igitur & præfato Abbate nostro conspectui Cluniaci, statuto à nobis termino præsentatis,* Bercheim *curtem pertinere ad jus & proprietatem Tullensis Ecclesiæ allegasti, asserens à glorioso illustris memoriæ Imperatore Ottone eidem Ecclesiæ fuisse collatam. Præcepta verò regalia tam alterius Ottonis Imperatoris qui sicut in scripto suo continebatur eandem curtem Ecclesiæ tuæ restituit, quoniam Lotharius excommunicatus eam injustè abstulerat, quam Henrici Imperatoris qui mercatum, bannum & monetam in eandem curtem Udoni Tullens. episcopo concessit, & Privilegium prædecessoris nostri sanctæ recordationis Leonis Papæ qui curtem ipsam cum mercato, banno & moneta autoritate Apostolica confirmabat, ut legerentur in medium protulisti, quod & factum est. Abbas autem* Milo *post multorum interpositionem verborum pœnitentia ductus, quoniam super eadem curte molestias & inquietudines multas tibi inflixerat, jus Tullensis Ecclesiæ* Ex Archivo Tullen. Ecclesiæ.

Nn

cle-

clesia coram omnibus qui aderant recognoscens, pranominatam curtem Bercheim *per quandam chartam in nostra manu coram fidelibus nostris Episcopis & Cardinalibus ac Laicorum & Clericorum qui aderant multitudine liberè refutavit. Nos igitur communicato fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium & aliorum Religiosorum consilio, per eandem chartam tibi frater Henrice Episcope & per te Tullensi Ecclesia cui Deo authore prasides, curtem ipsam* Bercheim *reddidimus & prasentis scripti privilegio confirmamus; statuentes ut neque pranominato Miloni Abbati, neque alicui omninò hominum liceat super hoc Tullensem Ecclesiam de cætero inquietare, nec aliquam molestiam vel imminutionem inferre. Si quis autem huic nostra redditioni sive confirmationi sciens temerario ausu contraire tentaverit, secundò tertiòve commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini nostri JEsu Christi alienus fiat, & in extremo examine districta ultioni subjaceat, conservantes autem intervenientibus Beatorum Apostolorum Petri & Pauli meritis, Domini nostri JEsu Christi gratiam & aterna beatitudinis præmia consequantur. Data Cluniaci per manum Almerici sancta Romana Ecclesia Diaconi Cardinalis & Cancellarii* III. *Idus Februarii, ann* M C. XXXII. *Pontificatus verò Domini Innocentii Papa anno* II. *Indictione* X.

Curtis *Bercheim* Eccle. Tullensi adjudicitur.

Circa quam Innocnntii Papæ chartam nonnulla juvat observare. Primum est Henricum Tullensem Episcopum allegasse quidem coram eodem Innocentio curtem *Bercheim* ad jus & proprietatem Tulensis Ecclesiæ pertinere, nec non asseruisse illam á glorioso illustris memoriæ Imperatore Ottone (qui Magnus dictus est) eidem Ecclesiæ fuisse collatam: sed primum juris & proprietatis hujus titulum, chartam videlicet ejusdem Imperatoris nequaquam exhibuisse; unde suspicari licet hanc chartam quæ in Archivo Tullensis Ecclesiæ teste præfato P. Benedicto Capucino * non reperitur, ne tum quidem extitisse, aut fortè (si extiterit) spuriam illam fuisse quam Bertholdus olim Episcopus juxta Anonymum libelli de Suc-

* *In Epistola ad Reverendissimum Patrem D. Hiacinthum*

Successoribus S. Hildulfi autorem, Vafrè subintroduxerat; unde Henricus eam denuò proferre non est ausus. Secundum est exstare quidem præceptum alterius Ottonis nimirùm Junioris: sed illud supponere concessionem ab Ottone magno ejus genitore factam, & prætereà in hoc confirmationis præcepto nullam fieri specialem mentionem curtis *Bercheim*, quanquam sufficienter expressa videri possit in confirmatione Abbatiæ Mediani monasterii *cum omnibus appenditiis suis.* Tertium est eandem curtem *Bercheim* per Lotharium excommunicatum, ab Ecclesia Tullensi non fuisse ablatam, ut in hac Innocentii charta legitur, cum ex tertia S. Hildulfi vita & libello de Successoribus ejus in Vosago luculenter probetur à tempore ejusdem S. Hildulfi usque ad præfati Lotharii tempora ipsammet curtem penes Medianenses fuisse. Quartum est in Archivo Ecclesiæ Tullensis non extare præceptum Henrici de quo sermo est in eadem Innocentii charta, quemadmodum per litteras ad R. P. Domnum Hiacintum Alliot prædecessorem meum directas testatus est idem Pater Benedictus à Tullo Capucinus, qui ejusdem Archivi veteres chartas diligenter examinavit, dum historiam Ecclesiasticam & publicam civitatis & Diœcesis Tullensis componeret; unde jam nec inspici, nec ad trutinam revocari potest hujusmodi præceptum. Quintum denique est Leonem IX. Papam per suum privilegium præcedentia duntaxat præcepta confirmasse, nec quidquam novi juris Ecclesiæ Tullensi concessisse. Quæ omnia (ut verum fateamur,) non levem nobis ambigendi locum relinquunt, num authoritati & gratiæ quâ Henricus * Episcopus apud summum Pontificem valebat, potiùs quam rationum ejus vi Milo abbas cesserit.

Alliot Abbatem Mediani monasterii.

* *Erat hic Henricus tùm Simonis Lotharingiæ Ducis qui sororem Imperatoris duxerat, tum Theodorici Comitis Flandrensis frater.*

Curtem *Bercheim* non diu servavit sibi Ecclesia Tullensis; nam Odo de Sorceyo Episcopus Tullensis illam Matheo Lotharingiæ Duci tradidit anno 1225. ut patet ex sequenti charta quam Author Tractatus historici & critici de

de Origine & Genealogia Domus Lotharingicæ refert pag. 107.

Curia Bercheim Mathæo Lotharingiæ Duci in Feodum traditur.

Ego Odo Dei gratiâ Tullensis Episcopus notum facimus universis, quod nos augmentavimus feodum nobilis viri Mathei Ducis Lotharingiæ & Marchionis fidelis nostri de totali jure quod habebamus in curia de Berkem *& in omnibus appendiciis suis, laude & assensu Decani & totius Capituli: eidem Duci quidquid juris proprii in dicta curia & appendiciis habebamus benignè & liberaliter conferentes. Quod ut ratum habeatur, sigillum nostrum cum sigillo Capituli Ecclesiæ nostræ præsenti pagina in robur & testimonium fecimus appendere. Datum* VI. *Idus Augusti anno Domini* M. CC. XXV.

Eandem Curiam Matthæus Dux tradit primùm Philippo de Gilbevillari, deinde Hugoni de Parva Petra.

Idem verò Mathæus Dux prædictam curiam concessit Philippo de Gilbevillari, quo defuncto eandem accepit Hugo de parva Petra, ut ex sequenti charta ab eodem Authore ibidem exhibita constat.

Noverint universi præsentes litteras inspecturi, quod Ego Hugo de parva Petra Comes, sum homo illustrissimi viri Mathæi Ducis Lotharingiæ & Marchionis, de terra Berkeim, *sicuti bonæ memoriæ D. Philippus de Gilbevillari de dicta terra homo suus erat. Datum anno Domini* M. CC. XLVI.

Continuatio secunda Capitis XCVI. Historiæ Joannis à Bayono.

IMpetravit etiam Milo Mediani cœnobii exemptionem à Domno Innocentio II Romano Præsule, Pontificatus sui anno XI. anno Domini M. C. XL. cujus Exemptionis tenor talis est.

Innocentius servus servorum Dei, dilecto filio Miloni Abbati Mediani monasterii ejusque successoribus regulariter substitutis salutem

lutem & Apostolicam Benedictionem. Ad hæc nobis Ecclesiæ Catholicæ cura à summo pastore Deo commissa est, ut Dei servos paternis affectibus diligamus & eo amplius studeamus ipsorum devotis inclinari postulationibus, quo ferventiùs ipsi disciplinis Ecclesiasticis & sanctorum Patrum regulis inhærere noscuntur. Tunc enim noster Deo gratus erit famulatus si sanctorum locorum institutis & eorum ordo nostris patrociniis in Religionis puritate fuerit conservatus. Eâ propter dilecte in Domino fili Milo Abbas tuis rationabilibus postulationibus clementer annuimus & præfatum Monasterium cui Domino authore servire dignosceris sub beati Petri tutela & nostra suscipimus & præsentis scripti patrocinio communimus. Statuentes ut quæcumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum justè & ritè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata remaneant. In quibus hæc propriis nominibus duximus annotanda. Eandem villam ipsius monasterii a. cum aliis villis sibi subjectis, videlicet Rua *b.*, Werria *c.*, Visivallum *d.*, *Ecclesiam S.* Petri scamnum *e.*, *cum prædio ibi acquisito. Villam quæ vocatur* Alba. *f. Ecclesiam de* Montiniaco *g. & prædium quod ibi habetis. Ecclesiam de* Guineix *h. cum prædio & hominibus quos in eadem habetis. Ecclesiam de* Erkesingis *i. cum prædio. Curiam de* Montis *k. cum appendititiis suis. Apud* Cortem mantonis *l. prædium quod fuit Odonis. Ecclesiam de* Serris *m. cum his quæ ibi rationabiliter acquisitis. Ecclesiam* Richificortis. *n. Ecclesiam de* Corte *o. & Capellam de* Asseravala *p. Campum & pratum quod Hilfridus in eadem Villa vobis dono dedit. Apud* Manceriolas *q. prædium cum Sylva & Molendino. Allodium de* Moyen *r quod Draco & Robertus eidem Monasterio contulerunt, & allodium quod ab Ecclesia sancti Deodati legitimè acquisistis. Prædium de* Romoraldivilla *s. & allodium Domini Garcirii & apud* Barbonvillam *t. allodium quod dedit vobis idem Garsirus. Allodium quod dederunt*

Confirmatio Exemptioois & possessionum Mediani monasterii.

a. Moyenmonstier.
b. Ravon.
c. La Voivre.
d. Veseval.
e. Pechone.
f. Blamont, *vel adjacens illi Villa. Vide suprà ad cap. 67.*
g. Montigny.
h. Gugney. *aliàs* Gougney.
i. Ersing.
k. Mont dit Berg.
l. Mantoncourt.
m. Serres.

n. Rechicourt. *o.* Gelacourt. *p.* Aizerailles. *q. Fortè* Mazerulles. *r.* Moyen. *s.* Remenoville. *t.* Barbonville.

runt vobis Wydericus & Cono. Possessiones Barbonvillæ. † Apud Manierias u. decimas de Avenigis & Croadis quod fuit de beneficio ipsius Mediani monasterii. Ecclesiam de Gevoniscurte x. cum Capellis suis & terram quam dedit vobis ibidem Simon de Paroya & Comcambium de Hunaldi Masnile y. & quod habetis apud Marsallum & Richecicortem z. & allodium apud Domnum Rosvinum a. Curtam de Welchercha b cum appendiciis suis. Ecclesiam Beati Maximini cum Capellis beatæ Mariæ & sancti Apri de Erguiseim. c. Apud Tutelheim d. mansos novem. Apud Hundenisheim e. Ecclesiam Beati Petri Apostoli & Curtem cum appenditiis suis. Uthratisheim f. allodium Gerardi & Hecelini. Apud Stortesheim g. mansum unum. Apud Hergenseim h. mansum unum. Apud Wirchensheim i. quatuor & apud Biristet k. unum. Ecclesiam sancti Mauritii de Villa quæ appellatur Capella. l. Ecclesiam de Alta Petra m. & pradium de Malefeivilla. n. Ecclesiam de Echery cum appendiciis suis. Cellam Bellævallis cum Ecclesiis & prædiis eidem justè concessis. Ecclesiam de Raspatio. o. In Villa Mediani monasterii Capellam sancti Apri. Ad Septem Abietes p. Capellam S. Gregorii. Apud Urbaciacum q. Capellas videlicet S. Stephani, S. Crucis †† & S. Mariæ. †††. Apud Ormontem r. Capellam S. Joannis. Apud Visivallum s. Capellam S. Leodegarii. Apud Dilonisvillam t. Ecclesiam S. Mauritii cum Capellis suis. Apud Busserias u. Capellam S. Remigii cum Capella S.

u. Magnieres. x. Gevicourt aliàs Givicourt. hodie Paroye. Vide cap 6.. y. Hunamesnil. z. Marsal & Rechicourt. a. Fortè Domnum Juvinum Domgevin. b. Veldkirch in Alsatia. c. Nunc Krautergersheim. d. Titelheim. e. Hindisheim. f. Ittersheim. g. Stoltheim. h. Krautergersheim. i. k. Fortè Baar. l. Fortè La Chapelle suprà Mortam.

m. Autrepierre. n. Malzèville. o. Repas. p. Ban de Sapt. q. Hurbache. r. S. Jean. Dòrmont. s. Vefeval. t. Glonville, Flin, Vatimenil. u. Bussieres. ††††

† Inter possessiones Barbonvillæ comprehendi possunt Hassonvilla & Domnus Stephanus vulgò Domtaille, de quibus hìc nulla fit mentio specialis.

†† Hæc S. Crucis Capella hodie S. Gengulfi dicitur, ob reliquias ejusdem Sancti in illa posteà positas.

††† Hæc secunda Hurbaciacæ parochiæ Capella sita est in Vico Vepria dicto, vulgò La Voivre.

†††† Editior fortè locus ille in quo tradunt extitisse olim Matricem Ecclesiam de Matexeio & Valesiis, nunc autem est Eremitorium de Busseriis dictum.

S. Egidii. In Civitate Argentina mansionem unam. Apud Abnieim *x. septem mansos terræ. Cortem* Radavillaris *y. cum vineis, pratis, agris sibi appendentibus. Apud* Bercheim *vineas & cortes;† & decimas Dominicatorum Domni Episcopi Tullensis. Sylvam ibidem vobis ab eo datam † Apud* Rabaldivilare *z. tres Vingordos. Apud* Castinove *a. cortem cum vineis. Celtam de* Tanvillare *b. & decimas ipsius allodii. Ecclesiam de* Montis *cum Capellis suis. c. Ecclesiam de* Barbonvilla *d. Præterea authoritate Apostolica prohibemus, ut nullus advocatus in bonis aut justitiis ipsius monasterii nisi quod antiquitùs constitutum est accipiat, vel novas consuetudines seu exactiones aliquas eis imponat nec subadvocatum loco sui constituat. Decernimus ergo ut nec ipsi Episcopo, nec Regi, nec Duci sive Principi, nec alicui omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, gravare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu aliquibus molestiis fatigare. Sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in posterum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire temptaverit, secundò tertiòve commonita nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate agnoscat & à sacratissimo corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hic fructum bonæ actionis promereantur & apud districtum judicem præmia æterna pacis inveniant. Amen. Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Gerardus Presbiter Cardinalis tituli S. Crucis in Jerusalem. Ego Gregorius Diaconus Cardinalis sanctorum Sergii & Bacci. Ego Otto Diaconus Cardinalis sancti Georgii ad velum aureum. Data Laterani per manum Americi sanctæ Ro-*

x.
y. Raviller. *aliàs* Rochevir.
z. Ribauviller.
a. Chatenoy *in Alsatia.*
b. Tanviller.
c. Mont, Moussey & Thionviller.
d. Barbonville.

† *Hinc patet amissâ per sententiam Innocentii Papæ præcipuâ corte* Bercheim *Medianenses adhuc tenuisse ibidem alias minores cortes, nec non Decimas & Sylvam.*

Romanæ Ecclesiæ Cardinalis & Cancellarii, secundo Idus Decembris, indictione IV. *Incarnationis Dominicæ anno* M. C. XL. *Pontificatus Domini Innocentii II. Papæ anno* XI.

Anno autem Domini M. C. XXIV. Ricuinus Episcopus obiit. Anno sequenti Henricus imperator obiit. Lotharius successit. Anno M. C. XXVI. Henricus Episcopus ordinatur. Anno autem M. C. XXX. pars hujus loci vastatur igne v. Kal. Martii & S. Hydulphus apud *Bercheim* transfertur. Anno autem Domini M. C. XXXIV. Ecclesia Bellævallis honori sanctæ Crucis à Henrico Tullensi Episcopo dedicatur. Anno M. C. XXXVII. Lotharius Cæsar obiit, Conrardus successit. Hoc anno magna incendia fuerunt inter Ducem Lothorum & Episcopum Metensem. Anno autem M. C. XXXIX. beatus Hydulphus positus est scrinio novo. Anno M. C. XLI. SIMON Dux Lothorum moritur, Matthæus successit. Anno M. C. XLIII. *Alta Petra* prima vice eversa est. Anno M. C. XLVI. Cometes visa est in cœlo. Hanc secuta est fames & mortalitas. Anno immediatè sequenti MILO Abbas Medii monasterii mole carnis exuitur, anno à regimine suo XXXII. huic successit Hermannus. Et anno M. C. XLVIII. exercitus maximi mare transierunt. Anno autem M. C. XLIX. frater Cono recluditur. Anno M. C. L. inundationes pluviarum in festo sancti Joannis fuerunt, quas secuta est mortalitas. Anno M. C. LII. Cæsar Conrardus obiit, cui successit Fredericus. Anno Domini M. C. LIII. innumerabiles Metenses homines interfecti apud Tyrenum, Comite Renaldo Barrensi adjuvante, Episcopo Metensi Stephano regnante. Et anno sequenti dedicata est Ecclesia Senoniensis honore B. Virginis sub Abbate Humberto, cui anno M. C. LX. successit Bernardus.

Ab historiographo nostro omissus est obitus Theodorici Ducis, Lotharingiæ cujus filius & successor. SIMON Dux jam moritur, Illi succedit MATHÆUS. MILO Abbas obit, illi succedit HERMANNUS anno 1147.

Illo in tempore Maherus * ex Imperiali & Ducum prosapiâ ortus sanctæ Deodatensis Ecclesiæ regebat Præpo-

* *Aliàs* Matheus.

posituram. Hic enim ex secunda uxore Ducis *Matthæi* † quæ ex lumbis processerat Ducis Poloniæ, dicto Mathæo genitus fuit, unà cum Theodorico Diaboli Domino Castelletti propè Abbatiam dictam Lestainche scituati, ac Domino Comite de castris, Domino Philippo de Gellibertivilla & Domino Henrico Lumbardi, qui prædium de *Bayon* acquirens inibi fortalitium erexit. Hic inquam præpositus Maherus in sui principio, vitæ fuit satis modestæ, elegantis formæ & Ecclesiæ sancti Deodati gratus, qui vacante sede Tullensi sedem est adeptus inibi Episcopalem. . . . His sic se habentibus, Maherus Episcopus Tullensis super dilapidatione Episcopatus trahitur ad judices accusatus. Quæ controversia minimè per judices datos terminatur. Nascitur inde appellatio. Papa Innocentius III. petitur. Fridericus quidam Archidiaconus cum aliis Papæ se præsentat. Maherus autem iter arripiens venit Sutrium, ad xxx. propè Romam miliaria, & quia dies appellationis transierat, instat pars adversa. Papa autem Maherum supportans, eum venientem dicebat. Maherus autem retrogrado cursu, desperans de causâ, se ad terram suam commisit infœlix. Papa autem instantiâ adversariorum pressus, sciens eum repatriasse, licet invitùs tulit contra eum sententiam. Maherus autem certus de sententia bannum Bodonis cœnobii Duci Friderico fratri suo titulo pignoris obligare simulavit, quod illo tempore ad jus pertinebat Episcopale. Qui Dux cum videret quod cum sana conscientia hanc terram possidere non valeret, cuidam Abbati Altæ sylvæ sibi familiari possidendam commisit, eo jure quo eam possidebat. Abbas verò verens Episcopi offensam Tullensis, ac molestiam super dicta terra, postquam aliquanto tempore tenuisset, cuidam Baillivo Comitis Henrici de Salmis qui Maherus de *Blamont* vocabatur, nescio quo pacto tradidit

Maherus fit Episcopus Tullensis.

Maherus deponitur.

FRIDERICUS Dux Lotharingiæ.

Oo pos-

† *Legendum est* Frederici. *Hic memoriâ lapsus est author, qui cap. sequenti disertè asserit patrem Maheri fuisse Fredericum de* Bitch.

possidendam. Quod bannum possedit Baillivus scilicet de *Bonmonstier* usque ad tempus Frederici filii ejusdem Henrici Comitis de Salmis.

Ex Cap. XCVII.

* *De hoc Maro seu Matheo vide Richerium in Chron. Senonien. lib. III. capp. 1.2.3 & 4.*

IGitur Mahero * à sede Tullensi amoto, Regnaldus filius Pincernæ Regis Franciæ loco ejus in sede Tullensi substituitur, Sylvanetensis ortu vir, nobilitate sanguinis & morum pollens. Maherus autem ad Præposituram S. Deodati revertitur. Hic de lapidibus turris S. Deodati quæ corruerat, inter duas Ecclesias domum elevavit. Huic autem erat filia miræ formositatis quam ex quadam sanctimoniali Spinalensi susceperat, quæ & lecto & domo una comorabatur, vulgari fama referente, de qua natos dicitur procreasse. Qui cum fratre suo Duce Frederico super tanto scelere, quo tota ejus progenies dehonestabatur, argueretur, respondit illam non esse suam natam. Cui Dux: nunquid fœdo carnis actu cum matre pollutus es, & secundò cum filia tam enormiter commisceris? at ille confusus obmutuit. Dux verò illam filiam compedibus astrictam misit apud *Bilistein* castrum in Alsatia, quod juris sui filii Theobaldi, ratione uxoris filiæ Comitis de Dasporch unicæ, quam & Fredericus desponsaverat, dicto ut comitatu post mortem gauderet, quod & factum est. Maherus verò anno Domini M. CC. III. tempore Simonis Ducis patrui sui, super quandam Rupem in declivo montis qui dicitur Clarus Mons castrum erexerat propè sanctum Deodatum, quod longo non perstitit tempore, quia consilio Ducis Lotharingiæ Frederici, ac etiam Patris ipsorum Frederici de *Bichem* & aliorum prudentum eversum est, sicque pace ordinatâ qui-

Maheri perdita libidines.

Simon Dux Lotharingiæ patruus Maheri.

1203.

Fredericus de *Birch* pater Frederici Du-

quilibet reversus est ad *Patria.** Præpositus verò Maherus, quia Dux Simon tempore Guerræ domum quam inter duas Eclesias fabricaverat funditùs everterat, & meritò quia de lapidibus extitit Ecclesiæ fabricata & in qua multa inutilia perpetrabantur, certum non habens receptaculum per montes & nemora quotidie discurrebat, cum canibus & venatoribus & præcipuè in Claro monte, ubi castrum priùs habuerat: in cujus vertice Ecclesia in honore Magdalenæ constructa cum suis officinulis solitariis apta extitit, in quo latitabat.

cis Lotharingiæ & Maheri.

* *Fortè* propria.

Ex Cap. XCVIII.

IGitur Regnaldus visitationis † gratia ad has veniens partes, diem sanctum Paschæ in claustro S. Salvatoris in Vosago celebravit. Deinde ad Senoniense cœnobium * cum honesta Religiosorum & Clericorum veniens comitiva; quia multùm cum talibus congaudebat & horum contubernio fovebatur, feriâ ** II.ª post Pascha in Senoniis Missam solemniter celebravit. A Mahero verò prædicto insidiatores qui ipsi Episcopo insidiarentur, eadem nocte sequente Paschæ diem missi venerunt. Quorum unus Clericus, alter verò Laicus existebat. Qui Clericus dives ad Sacrorum post ascendit gradum. Et hi eâ nocte qua Episcopus Senoniis pernoctavit in Camera Abbatis comederunt. Sed manè facto insalutato recesserunt hospite. Episcopus verò Renaldus sequenti die dictâ Missâ, facto prandio, ad Medianum veniens cœnobium paucâque morâ ibi peractâ, per Stivagium * transiens ad Claustrum Alteriacense ** quo illâ nocte erat pernoctaturus properabat. Cumque Villam quæ vulgò Burguntia **** dicitur pertransisset, ad quemdam lo-

* *Senones.*

** *In manuscript. legitur* feria ipsa.

Maherus Renaldo Episcopo Tullensi insidias parat.

* *Estival.*

** *Autrey.*

*** *La Burgonce.*

Oo 2 cum

† *Officiosæ potiùs quam Episcopalis cujus in tam exiguo temporis spatio nullum actum exercere poterat.*

cum arctum venit, ubi mons nemore denso consitus ex una viæ parte imminet, ita ut vix quispiam eques valeat per dictum montem transire: ex altera parte viæ palus cum arboribus cernitur profunda. Ipse autem Maherus arbores & frutices ex utraque parte viæ obruerat ad spatium occupandum, ne quis extra viam eques vel pedes transire valeret; via enim tantâ stringebatur arctitudine ut vix currum caperet. Hoc in loco insidias Maherus tetenderat Episcopo. Cum autem Episcopus eò devenisset, illi de insidiis egredientes impetuosè, Stephano Abbate S. Mansueti de equo demisso vulneratoque ac spoliato, cæteris etiam spoliatis, nec non atrociter vulneratis, ad Episcopum se transferunt ac eum inhonestè tractantes despoliaverunt. Tandem unus Johannes nomine, sancti Deodati natione, & juvenis servus filiæ præpositi Maheri, *cui eadem filia præceperat* *ut si vellet ejus gratiam promereri, circa Episcopum si eum inveniret, viriliter ageret. Quod & fecit; nam cultro quo accinctus fuerat, ter in pectore & bis à tergo perfodit eum. Sicque plagis impositis mortuum & nudum in palude, detractis spoliis, quod nefas est, dimittit Episcopum. Hoc nefandissimo peracto negotio dum reverterentur Mahero tenenti manu balistam obviaverunt, eique inquirenti de facto respondentes, illum duxerunt ad locum ubi nudus & mortuus jacebat Episcopus. Viso autem & inquisito si calor vitalis adhuc in pectore Episcopi palpitaret, & invento quod non, versis retrò habenis cum suis satellitibus in Montana se recepit. Fuerunt cum eo quidam Clerici ex quibus unus Therricus nomine, S. Deodati licet indigne Sacerdotalem post suscepit gradum.

* *Hæc ex Risherio supplentur.*

Reginaldus Episcopus occiditur.

Ex Cap. XCIX.

SEd ne vindicta pro tam enormi facto subsecuta silentio prematur, finem quorumdam illorum sceleratorum

rum prout potero stilo explicabo: prædictus autem Thericus Sacerdos pro facto tam enormi formidans in loco remanere, ad partes Poloniæ secessit, Ducique terræ asseruit se esse suum cognatum; mater nempe dicti Maheri ut prædixi Poloniæ traxerat originem. Qua de causâ Dux Poloniæ eum libenti retinuit animo & grato. Finxit autem se esse militari insignitum honore; formositas enim hominis & valitudo corporis membrorumque grata dispositio & structuræ elegantia fidem firmabant ejus dicti. Qui talem se militiâ exhibuit, ut per Ducem cuidam nobili illius terræ matrimonio copularetur, qui prælio occumbens pauco cum ea vixit tempore. Sic militiâ Dei spretâ, militiæ se ingerens terrenæ, miserabili fine vitam finivit. Alter verò Cono quem supra insidiatorem notavimus, à quibusdam crimine illo notatus monachum se vovit futurum: sed facta dictis non compensans, sæculo potiùs vivere maluit quam Deo. Talis ad sacros ordines promotus tandem presbiter est factus, deinde Senator, id est Decanus Vallis sancti Deodati, multis abundans temporalibus. Cum autem diu putaret se tali felicitate gaudere, Sabbatho dum se sopori dedisset, subito spiritum exhalavit, nesciens cui cumulata vel præparata reliquit, pœnam sortitus suæ culpæ. Alter verò qui cultro Episcopum interemit, ab immundo spiritu correptus & diu miserabiliter vexatus, se ipsum morsibus discerpens, tandem miseram redidit animam. Et sic hi tres servi diaboli turpi morte mulctati quia noluerunt pœnitere, vitam perdiderunt sempiternam. Alii autem qui in malitia sua gloriabantur vel nimiâ penuriâ angustiati, vel infirmitatibus & infortuniis attriti, delictorum suorum pœnas debitas exolverunt. Alii verò saniori utentes consilio absoluti á Papa Innocentio III. pœnitentes evaserunt, qui si non pœnituissent, aliorum fuissent secuti vestigia.

Divina vindicta in interfectores Reginaldi Episcopi.

Ex Cap. C.

Maherus reced.t

Maherus tanto perpetrato ſcelere non ſe loco credens, abiit ad caſtrum quod *Bilſtein* dicitur in Alburiis, quod juris eſt Domini de *Horborch*. Ibi enim cum quibusdam militibus ſibi familiaribus ad tempus habitavit. Secum autem ſpolia Epiſcopi . . . cum Chriſmate & oleo ſacro deferens in eodem repoſuit caſtro. Sequenti autem Pentecoſte Maherus cum audiſſet Ducem Lotharingiæ Theobaldum cognatum ad celebrandam ſanctam ſolemnitatem apud ſanctum Deodatum adveniſſe cum magno militum comitatu, illùc non tamen palàm, quia eis ſe non credebat, advenit. Fama referente Dux noverat quod Amici Epiſcopi interempti eum fuiſſe conſcium ſuper mortem Epiſcopi ſuſpicabantur: cujus de causâ Dux non parùm dolore cordis urgebatur. Et ideo ipſe Maherus coram Duce nepote ſuo comparere non audebat, & quia vallis ſecurum ei non præbebat receptaculum, in vertice Clari montis ut ſolitus erat aſcendens, cum paucis inibi qualecumque celebravit feſtum. Paucis dico, quia pro tali infortunio eum jam omnes aſpernabantur. Manè autem Pentecoſtes facto, quibusdam ſibi fidelibus clàm apparens in ſancto Deodato, inquiſivit ſi pro venia impetranda Duci ſe auderet præſentare. Audiens autem quod non, quia ab amicis Epiſcopi occiſi Dux ut conſcius facti inculpabatur, ideoque Dux ut facto oſtenderet in nullo ſe fuiſſe culpabilem, animam ejus quærebat ad mortem. Quod audiens in monte ubi conſueverat habitare ſe recepit. Celebrata Pontecoſtes ſolemnitate, feria III. Pentecoſtes, Dux aſſumpto ſibi quodam nobili milite Simone dicto de Junvillâ, equos aſcendentes de ſancto Deodato exierunt, & per bellum montem ad Villam *Nonpatelize* venire cupien-

Maherus revertitur ad S. Deodatum.

pientes, in quodam ibi defluente rivulo devenerunt, & ecce Maherus obviam eis se dedit. Quo viso Dux ira succensus dixit Simoni militi qui eum concomitabatur: si me diligis, hunc perfode lanceâ. Absit inquit miles quod tantum ac talem occidam virum, quo audito Dux acceptâ lanceâ de manu militis, animosè Maherum petiit. Ille verò videns Ducem irâ contra eum furentem genu flexo veniam precabatur. Dux verò hujus humilitate nullâ motus pietate, vibratâ lanceâ pectus ejus transverberans Patruum suum interfecit. Quo facto discessit. Quidam eum in rivulo vita carentem volutatum invenientes, eum levantes apud sanctum Deodatum deportaverunt & quia talem meruit habere exitum, sepulturæ humanitas fuit ei denegata: sed ad locum quem vivens frequentaverat scilicet Clarum montem, sub tecto Ecclesiæ Magdalenæ exteriùs in quodam vase ligneo appensus aliquanto tempore permansit. Tandem ut fertur in quadam fossa ubi feræ sylvarum præcipitatæ capi solebant, corpus ejus dejectum lignis & lapidibus tectum talem habere meruit habere sepulturam. Episcopus verò Regnaldus non sine multorum luctu & clamore, ad locum suæ sedis scilicet urbem Leuchorum deportatus, in Ecclesia Protomartiris Stephani summo cum honore traditur sepulturæ . . . . filia verò dicti Maheri Adleidis nomine cuidam Ballistario de Gillibertivilla nupta, postea cum marito suo Allemaniam petens, in quodam castro Cæsaris quod *Gronoberch* dicitur, parvo manens tempore, defuncta vix Ecclesiasticam sepulturam habere promeruit. Sic Pater cum filia & mortis Regnaldi cooperatores suæ iniquitatis meritum divino agente judicio receperunt.

Maherus Theobaldo Duci obviam se dans ab eodem lanceâ perfoditur.

Mahero sepultura denegatur.

Ex

Ex Cap. CXIII.

* *Vide Richer. Chron. Senon. lib.* III. *cap.* XX *& seqq.*

Fridericus Rex in Alemanniam venit.

* *Colmar.*

Fridericus Dux Lotharingiæ cognatus Friderici Regis, cui occurrit.

REvertamur igitur ad quædam quæ tempore Innocentii facta sunt, ut sic cæteris expediamur. Innocentius igitur Papa auditâ morte Ottonis, Fredericum filium quondam Henrici Cæsaris in Apuliam quæsitum invenit jam vicesimum annum habentem, quem cum Epistolis suis subtiliter multum in Allemanniam transmisit. Hic enim Fredericus qui Puer Apuliæ (quia juvenis erat) vocabatur, Basileam usque pervenit deductus. Lutholdus autem illius loci Episcopus jussu Papæ illum usque columbariam * in Elisatii partibus conduxit. Et quia idem puer cognatus erat Ducis Friderici Lotharingiæ, ipse Dux audito ejus adventu, cum armorum apparatu sperans ab eo aliquid se obtenturum ei occurrit.

Ex Cap. CXIV.

Fœdus inter Fridericum Regem & Fridericum Ducem.

* *Roseim.*

** *Haguenau.*

Castrum Hagonoiæ redditur Duci.

CUm autem Dux Fredericus Lotharingiæ ad eum venisset, pro quatuor millibus argenti marchis conventione firmatâ, debuit Frederico Regi in suis necessitatibus ipse Dux irrefragabiliter assistere, pignoreque obligavit Rex Roseinvillam * pro hac summa. Dux autem Haugonoiam ** usque pervenit, quod castrum à Domino de *Loemberch* occupatam erat. Rex autem tendens ad inferiores partes Alemanniæ ut cum primatibus & populo fœdera & amicitias firmaret, Ducem Fridericum in obsidione castri de Haugonoia reliquit. Quod castrum cum Dominus de *Loemberch* videret se diù non posse tenere, illud reddidit Duci, & Dux genti Regis. Fredericus autem industriâ Innocentii Papæ concordatus primatibus regni, Aquisgrani coronatur. Dux autem Frederi-

dericus quoad vixit Villam de *Rosem* pacificè possedit pro summa pecuniæ prædictæ.

Ex Cap. CXV.

SUb eo tempore Dux Lotharingiæ filiam comitis de Dasporch unicam THEOBALDO filio suo accepit uxorem. Comes autem & prædictus Dux pauco supervixerunt tempore. Quorum principatus Theobaldus Ducatum jure patris, comitatum lege uxoris rexit Fredericus autem Rex audita morte Frederici Ducis Villam de *Roseim* quam titulo pignoris possidebat resarcivit. Dux verò Theobaldus his auditis, adunatis sibi militibus Lambirino de Archis qui quasi major domus erat ipsius, præcepit ut cum peditibus Bruscam vallem usque descenderet & ibidem eum expectaret. Sed Lambirinus cum videret Ducem non venientem, cum suis venit ad *Rosheim*. Et quia excepto Vallo nullo claudebatur munimine, faciliter Villam intravit. Illi autem de Villa in Ecclesiâ loci & atrio se receperunt, Lambirinus autem Villam cum suis occupavit. Multaque spolia ibi reperientes & commestibilia ut libuit ea rapuerunt. Videntesque nullum sibi adversari, vino in Cellariis debriati jacuerunt temulenti. Quod advertens quidam miles armis strenuus Otto nomine, ejusdem Villæ Convicaneos exhortatus est dicens: Eia inquit, vos omnes viri cordati nunquid videtis hos rusticos vino temulentos? sumite arma & irruamus in eos, faciliter omnes obtinebimus. Qui furore pleni ut moris est Rusticorum, irruerunt & eos leviter obtinuerunt cum pressi essent nimia ebrietate. Illi autem volentes capere arma non valebant; alii fugere volentes ad terram sternebantur; alii veniam postulare cupientes balbutientes verba proferre non poterant. Et quia moris est Theutonicorum nulli parcere cui possunt dominari, in

THEOBALDUS Dux Lotharingiæ filius Frederici Ducis unicam comitis de Dasporch filiam Ducit.

Lambirinus non exspectato Theobaldo Duce *Rosheim* occupat.

Cives de *Rosheim* trucidant Lotharingos vino mersos.

in illos miserabiliter sævire cœperunt. Et cum non valerent resistere, plusquam centum viginti ex illis occisi sunt. Lambirinus cum suis providioribus, ascensis equis per portam quæ ducit ad Bruscam vallem exeuntes fugerunt. Aliqua pars verò eorum tantam videntes stragem, per vallem villæ discedentes, per montana ibi propinqua confugerunt. Alii verò lethaliter vulnerati per hortos semi mortui jacebant. Sequenti autem nocte prout potuerunt surgentes & per nemora gradientes ad propria reversi sunt. Allemanni autem per cellaria & latibula requirentes, quotquot invenerunt morti dederunt; ita ut nec unus de tanta multitudine qui inveniri posset, vivus remaneret. Lambirinus autem Duci qui in Bruscavalle apud Wicha erat, tristem narravit eventum, quo audito Dux retrocessit.

Lambirinus fugit cum quibusdam ex suis.

Ex Cap. CXVI.

FRedericus Rex audiens, quod Dux Lotharingiæ *Rosheim* manu intrasset armatâ, & jam alia vice, (nescio si ante hoc factum vel post) in manu potenti Alsatiam vastaverat, collectâ non pauca multitudine Equitum Amantiam Castrum * obsedit. In cujus auxilium Comes Barrensis & Comitissa Campaniæ venientes in Nanceio pernoctavere. Manè autem facto illud igne concremantes ad Regem properant qui gratanter eos recepit. Dux autem deficientibus sibi amicis pro quibus mandaverat, omnique auxilio destitutus, timens ne Rex Lotharingiam vastaret vel ei auferret, sano usus consilio (nam plures de terra sua & aliundè qui ei auxiliari debuerant, ad sui oppressionem ad Regem venerant) ad Regem inermis venit & se ad pedes inclinans veniam postulavit. Rex verò ei respondit se velle ei parcere, sed non ex toto. Quod & fecit. Nam Duce cum quatuor tantùm

Fidericus Rex Amantiam Castrum obsidet.

* *Amance.*

THEOBALDUS Dux decipitur à Comite Barrensi & Comitissa Campaniæ, qui Nancei um combu runt.

THEOBALDUS Dux à Friderico Rege ve-

tùm militibus retento, cum eo per Allemanniam gradiens, in omnem locum quo iturus erat quasi captivum secum ducebat. Sic & Ducem diù retinuit cum eo; volebat enim Rex ut secum semper in mensa solus esset, uno tantum garçione contentus, qui & pallium ei ad Curiam deportabat. Milites verò sui ad hospitium remanebant, nec unus quidem ex eis ad Curiam veniebat. Nihilominus eis necessaria ministrabantur. Tandem Rex cum voluit, Ducem abire permisit; deliberavit enim quid cum ipso ageret. Dux autem transvadato Rheno ad propria revertitur gaudens, credebat enim se Regis gratiam integraliter recepisse. Sed Rex non immemor suæ malitiæ meretricem quam Sodariam vocant post Ducem transmisit, quæ cum Duce una nocte hospitans, satis jocosis verbis & moribus (ut moris est talium) blanditiisque alliciens, veneno quod ei Rex ad hoc dederat vino mixtum, Ducem potavit. Sicque mane facto discessit meretrix. Dux verò non longè post vivens mortuus est & in Claustro Stulceborne Cisterciensis Ordinis sepultus est. cui frater ejus Maherus successit. . . . †

niam petit, qui fraudem illi parat.

Dux Theobaldus veneno perit.

Hæc sunt quæ ex Manuscripta Joannis à Bayono historia excerpenda & huic operi annectenda esse duximus. Illius textum fideliter transcripsimus: interdum tamen charactere Italico ea supplentes verba quæ ad congruam orationem omninò necessaria videbantur, ubique verò illa omnia omittentes quæ vel in libello de successoribus Sancti Hildulfi jam satis superque explanata sunt, vel ad historiam ge-


Pp 2 ne-

† Maherus *aliàs* Matheus II. Theobaldo I. fratri suo in Ducatu Lotharingiæ succedit anno 1220.

neralem ſpectant & paſſim in editis authoribus melius digeſta reperiuntur; vel denique tam vitiosè ab Amanuenſi exſcripta fuerunt totque mendis ſcatent, ut aut legi nequeant, aut ſenſu omninò careant.

Quamvis autem hiſtoriam ſuam conſcripſerit hic author anno M. CCC. XXVI. *ut ipſe profitetur in Prologo, illam tamen non eò uſque pariter æqualiterque perduxit; nam Comitum Vadanimontis progeniem uſque ad annum quidem* M. CCC. XXII. *occaſione Cellæ Bellævallis ab ipſis fundatæ proſecutus eſt, ſed in Proſapia Ducum Lotharingiæ non proceſſit ultra Mathæum II. qui Theobaldo fratri ſuo ſubſtitutus eſt anno* M. CC. XX. *& quod attinet ad Abbatum Medianenſium ſeriem, ſubſtitit in Hermanno, qui anno* M. C. XLVII. *Miloni ſuffectus eſt.*

Extat manuſcripta hæc hiſtoria in Mediani noſtri cœnobii Bibliotheca ſub litt. x. 2. n. 25.



Hi-



HISTORIA MEDIANI IN VOSAGO MONTE MONASTERII

PARS QVARTA.

Continens posteriorum ejusdem Monasterii Abbatum Mantissam ex domesticis aliisque nonnullis monumentis & chartis depromptam, usque ad annum 1720.

CUm Joannes à Bayono Historiographus noster in Hermanno Abbate desierit & de sola illius promotione anno 1147. facta meminerit, nec ejus regimine vel obitu quidquam nobis protulerit, consequens est, ut ab eodem anno eodemque Abbate historiæ hujus filum resumere debeamus.

HERMANNUS I. Abbas an. 1154.

HERMANNUS igitur qui hujus nominis primus Mediani monasteri Abbas dicendus est propter secundum brevi secuturum, adfuit consecrationi Ecclesiæ B. Mariæ semper Virginis in monasterio Senoniensi per Henricum Episcopum Tullensem anno 1154. factæ, & subscripsit instrumento adjectæ per eundem Episcopum donationis, cujus dies, mensis & annus sic adscribuntur. *Actum est hoc & confirmatum* IX. *Kal. Februarii, in die consecrationis B. Mariæ Senoniensis, sub magna frequentia Cleri & populi, anno ab Incarnatione Domini Millesimo Centesimo* LIV. *Indictione* II. *Epacta* IV. *Concurrente* III. *Luna* IV. *S. Humberti Abbatis Senoniensis*, S. Harmanni Abbatis Mediani monasterii, *S. Hugonis Abbatis S. Salvatoris, S. Ymbranni Abbatis Altæ Sylvæ, S. Hugonis Abbatis Stivacensis, S. Stephani Abbatis Flaboni montis, S. Rorici Archidiaconi.* . . . .

Ex Archivo Senoniensi.

Stabat adhuc decimi octavi hujus sæculi initio illa B. Mariæ Senoniensis Ecclesiæ quæ ob figuram Rotunda appellabatur: sed eam paucis ab annis auferre coactus est R. admodum Pater Domnus Petrus *Alliot* Senoniensis Abbas, à quo claustrum & circumjacentia ejusdem cœnobii ædificia egregiè instaurata sunt.

HERMANNUS I. Abbas obiit anno 1154. RENARDUS illi successit.

Consecrationi ejusdem Ecclesiæ haud diù supervixit HERMANNUS primus, nam ipsomet anno 1154. Medianо monasterio præfectum fuisse RENARDUM colligitur ex charta duplici seu Identata (ut vocant) per quam præfatus Henricus Episcopus Tullensis & Ecclesiæ S. Deodati simul præpositus, cum omnibus fratribus ejusdem Ecclesiæ, Gerardo Abbati & fratribus de Alta Sylva * omnes decimas terrarum quas colebant, & nutrimenti quod faciebant in loco de *Soley*, pro summa duorum solidorum Tullensis monetæ, in festivitate S Deodati persolvendorum remisit Hæc etenim charta cujus unum Autographum in Archivo Ecclesiæ S. Deodati, alterum verò in Archivo cœnobii de Alta Sylva servatur, data est an-

* *Hauteseille.*

Ex Archivo Altæ Silvæ.

no

no ab Incarnatione Domini M. c. LIV. illique primus inter alios Abbates subscripsit Renardus Abbas Mediani monasterii, quem consequuntur Lambertus Abbas de Claro fonte & Nicodemus de Theologo.

Quandiu Renardus Abbas Mediano monasterio præfuerit nobis non liquet. In ejus locum haud dubiè suffectus est HERMANNUS secundus, qui anno 1169 subscripsit litteris quibus Petrus Episcopus Tullensis confirmavit concessam ab Henrico prædecessore suo Ecclesiæ Stivagiensi Jurisdictionem ordinriam in Clerum & populum ejusdem Vallis; quarum quidem litterarum exemplum ad nos perhumaniter transmisit R. admodum Pater Josephus *Rolin* antehac præpositus Stivagiensis. Tales sunt autem earumdem litterarum subscriptiones & notæ Chronologicæ. *S. Petri venerabilis Tullensis Episcopi S. Theoderici primicerii & Archidiaconi. S. Ulrici Decani & Archidiaconi. S. Milonis Cantoris & Archidiaconi. S. Odonis Thesaurarii & Archidiaconi. S. Valteri Agni & Archidiaconi. S. Albrici Archidiaconi & Capellani. S. Haymonis albi Archidiaconi. S. Frederici ejusdem Archidiaconatus Archidiaconi. S. Magistri Hofridi. S. Hugonis Abbatis S. Apri. S. Theoderici Abbatis S. Mansueti. S. Walteri Abbatis S. Leonis.* S. Hermanni Abbatis Mediani monasterii. *S. Philippi Abbatis Præmonstratensis. S. Drogonis Abbatis Regia Vallis. S. Stephani Abbatis sanctæ Crucis. S. Stephani Abbatis Flabonis montis. S. Wilermi Abbatis de Mirvalt. S. Hugonis Abbatis de Salina Valle. S. Johannis Notarii & Canonici. S. Theoderici Canonici. S. Hugonis de Scropulis Canonici. S. Gebonis Decani ejusdem Archidiaconatus. S. Hermanni Scabini. S. Hugonis Cantoris S. Deodati. Data Tulli per manum Theoderici Cancellarii & Archidiaconi, anno Dominica Incarnationis* M. C. LX. *nono. Epacta* XX. *Indictione* II. *Concurrente secundo, Pontificatus verò Domni Petri Tullensis Episcopi anno* IV.

HERMANNUS II. Abbas an. 1169.

Ex Archivo Stivagiensi.

Anno 1172. idem Hermannus testis fuit anathematis intentati à Theoderico Tullensis Ecclesiæ primicerio & Ec-

Ecclesiæ S. Deodati Præposito universóque cætu fratrum & Canonicorum Capituli S. Deodati, in omnem hominem qui infringere vel minuere præsumeret Eleemosinam per Mathæum I Lotharingiæ Ducem præfatique Theoderici patrem, assensu hæredum suorum factam Ecclesiæ belli prati, de eo omni quod præfatus Dux habebat in loco qui dicitur fossa in Valle S. Deodati, & de usu pasturæ per totum bannum de *Provencheres*, quam Eleemosinam Abbas Belli prati jam tum cesserat fratribus Abbatiæ consilio sui ordinis à se constructæ in loco dicto *Bomgart*. Extat in Archivo S. Deodati hujus anathematis charta sub hac conclusione: *Testes* Hermannus Abbas Medii Monasterii *Petrus Abbas Belliprati, Fulcho Abbas Alta Silva, Guido Abbas Calmosiacensis, Gualterus Abbas Stivagiensis, Albricus Archidiaconus Tullensis . . . . anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo secundo.*

Eleemosina per Ducem Mathæum Ecclesiæ Belli prati facta.

Hermanni hujus tempore Mathæus I. Dux Lotharingiæ venit in has Vosagi partes & exortam Medianenses inter & Stivagienses de limitibus controversiam diremit in modum qui sequitur.

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod controversia quæ inter Ecclesiam Mediani monasterii & Ecclesiam Stivagiensem super tenura quam via Salinaria dividere inter commemoratas Ecclesias memoratur, talis tempore Ducis Matthæi & per ipsum Ducem finis constat esse impositus. Quod videlicet quidquid à supradicta via Salinaria usque ad Claustrum Medianum continetur, hoc totum de jure eidem Ecclesiæ cederet in usus ac deinceps quietè & pacificè sine alicujus adversarii inquietatione liceret possidere. In eadem via jam dicta prope Humbamont *convenientes in unum strenuus vir supradictus Dux Mathæus & Hermannus Abbas Mediani monasterii & Wernerus Abbas Stivagiensis, utriusque partis assensu in sæpedicta via metas assignare studuerunt, præsentibus suis quorum nomina subscripta sunt. Theodorico videlicet de* Romout *cognomento* Wardt, *Simone de Paroya Drogone de Nanceyo. . . Si-*

Metæ Medianenses inter & Styvagienses à Mathæo Duce positæ.

Siberto Medianensi Camerario Abbatis, Ottone de Serfes *Villico, Tecelino Villico Medianensi, Imero Villico de* Hurbach, *Herardo de* Rechompairé. *Et ex parte Abbatis Stivagiensis Fridericus de sancto Germano advocatus ejusdem Banni Stivagiensis, Cono* Mordant *ejusdem Socius, Widericus de Bello monte, Wilhelmus de Bello monte Villicus de Stivagio, Widericus Regnum Dei, Ancelinus Prior, Robertus Cellerarius, Weso provisor. Walterus de Dansfossa monachi Stvagienses, & alii quam plures. Actum sub pœna Lx. marcharum si qua Ecclesia à jam dicta institutione resiliret. Ego Theodoricus Notarius Ducis Lotharingiæ ista notavi.*

Huic notitiæ nullus quidem adscribitur annus, sed cum Wernerus Abbas Stivagiensis Gualtero ejusdem monasterii Abbati substitutus fuerit, ut ex veteribus dicti monasterii instrumentis constat; Gualterus verò ante relatæ chartæ Præpositi & Capituli sancti Deodati cum Hermanno nostro subscripserit anno 1172. consequens est ut hujus controversiæ compositio per Mathæum Ducem facta fuerit inter prædictum annum 1172. & annum 1176. quo præfatus Dux morte sublatus est.

Anno 1173. Hermánnus donationem á Milone prædecessore suo Ecclesiæ Belli prati factam confirmavit & novam adjecit per subjectam chartam.

Ego Hermannus permissione divinâ dictus Abbas Medii monasterii & fratres Capituli nostri notum facimus præsentibus pariter & secuturis, quod bona memoria prædecessor noster Domnus Milo, communi consensu fratrum suorum, contulit Ecclesiæ Belli prati in perpetuum, omnem decimationem Grangiæ suæ de Obleseis* *sub censu duorum solidorum, qui in festo S. Hildulfi vel posteà infra quindecim dies, singulis annis Ecclesiæ Medii monasterii persolvendi sunt. Et quoniam præfata Grangia spectat ad Parochiatum de* Gillaucourt** *factum est hoc cum voluntate & laude Galteri presbiteri, qui Ecclesiam illam tunc temporis à nobis liberè ac legitimè tenebat. Facta est ista compositio in præsentia Domni Galteri Senonen-*

Ex Archivo Belli prati.

* *Nunc* Olsey *per contractionem.*

** *Nunc* Gelacourt. *ubi sita est Ecclesia Matrix Parochiæ* Acervallensis,

vulgò Aizerailles.

Concessa à Milone Medianensi Abbate fratribus Belli prati exemptio decimarum Grangiæ de *Oblesey* confirmatur cum nova donatione.

nensis Abbatis, quam Tullensis Episcopus & Archidiaconus illius Parochiæ non solum laudaverunt, sed & propriis sigillis præmunierunt in testimonium & tuitionem. Processu verò temporis in diebus nostris placuit fratribus belli prati partim pro reverentia Ecclesiæ nostræ, partim pro pace sua firmiore de reliquo, ut nos istam conventionem scripto firmemus & sigillo, quod & facimus in nomine Domini; addentes illis & terram sancti Petri Mediani monasterii quæ jacet inter fines Grangiæ suæ de Relleicort *sub simili censu duorum solidorum, qui termino & loco prædicto similiter solvendi sunt. . . . Testes Cono præpositus Bellævallis, Imarus Cantor, Lambertus* Sacrista, *Ingilbaudus . . . Bertricus frater prædicti Sacristæ, Guillelmus Elemosinarius, Petrus Capellanus, Roricus & Ugo Canonici S. Deodati . . . Acta & sigillata in claustro Medii monasterii anno ab incarnatione Domini* M. C. LXXIII.

Sigillum quod huic chartæ appensum cernitur refert imaginem sancti Petri pectore tenus efformati, cum hac inscriptione. ✝ S. PETRUS MEDIAN.

* *Glonville.*

Quasdam similiter terras ab Ecclesia Tillonisvillæ * dependentes idem Hermannus de consensu Conventus sui Altreiensi monasterio concessit, sub annuo censu duorum solidorum Tullensium in festo sancti Hildulfi persolvendorum, ut ex Bulla Lucii Papæ III. pro eodem Altreiensi monasterio refert Ruyrius. * Et hinc est quod in Parochiatu ejusdem Tillonisvillæ Altreienses prædium possident vulgò dictum *La Voivre.*

* *SS. Antiquit. Vosag. part.* III. *lib.* IV. *Edit. an.* 1633.

Pervenit Hermannus usque ad annos 1179. & 1180. nam anno 1179. subscripsit chartæ Petri Tullensis Episcopi pro cella sancti Petri Castinensis: anno autem 1180. subscripsit chartæ Bertramni Metensis Episcopi pro Ecclesia Altreiensi.

Henricus Abbas anno 1181.

Hermanno III. successit Heinricus de cujus nomine & actis nihil aliud nobis innotuit, præter id quod continetur

netur in sequenti Instrumento ex Mauri monasterio in Alsatia nobiscum communicato.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus sancti. Ego Henricus Dei gratia Argentinensium Episcopus notum facio tam præsentibus quam futuris, concordiæ & tranquillitatis tenorem, inter dilectos Abbates Wernherum Mauri Monasterii & Heinricum Mediani monasterii; sæpius enim pervenit ad audientiam nostram querimonia jam dicti Abbatis Mediani monasterii, quod possessiones ipsius Ecclesiæ vicinas cellulæ sancti Quirini, Abbas Mauri monasterii violentiâ quadam & præter formam juris sibi usurpasset. Ad deponendum igitur inter Religiosos & spiritales homines hujuscemodi litem, convocavi familiarius Abbatem Mauri monasterii, notificans sibi querimoniam prædicti Abbatis Mediani monasterii, qui satis rationabili utens responsione affirmabat hanc possessionem rectâ & manifestâ donatione Meinhardum Abbatem antecessorem suum à Milone Abbate Mediani monasterii pro LXX. *solidis Metensis monetæ hæreditario jure suscepisse, singulisque annis duos denarios censuales statuto tempore in curia* Irgesingen * *hucusque persolvisse, factum cyrographum inter eos permonstrans, sub communi consilio fratrum & totius familiæ, hæc omnia facta, quieta possessione per* LX. *annos & amplius sedisse, synodalique decreto hanc possessionem secundum tenorem justitiæ testificando velle retinere. Igitur convenientibus utriusque personis in sanctam synodum, cum utriusque causa ventilata esset, synodali judicio decretum est ut Abbas Mauri monasterii si posset testibus idoneis legitimè comprobare eo tenore suscepisse, & per tam longa tempora quieta possessione sedisse, deinceps sine pulsatione & querimonia frueretur pacificè. Prædictus igitur Abbas Mauri monasterii cum Religiosis Clericis & Laicis procedens suam comprobando justitiam, tam Abbati Mediani monasterii quam omnibus coram astantibus satisfecit, suntque coram omnibus concordati & pacificati. Et ut hæc sint rata & inconvulsa & deinceps ex utraque parte sine querela permaneant, sigilli nostri impressione & testium infrascriptione corroborare dignum duximus. Hujus rei testes sunt Bertoldus Cantor majoris Ecclesiæ. . . , Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis* M.C.LXXXI. *Indictione* XIV.

Ex Archivo Mauri monasterii.

Possessiones Mediani monasterii vicinas cellæ S. Quirini Milo Abbas cellit Meinhardo Abbati Maurimonasterii.

* *Ersing.*

Alexandro papante, Friderico Romanorum Imperatore feliciter regnante.

Quænam verò sint possessiones illæ ad Medianum monasterium olim pertinentes in vicinia cellulæ sancti Quirini, Lector facilè percipiet ex altera ejusdem Mauri monasterii charta quæ talis est.

Ex eodem Archivo.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti. Quia per litterarum suffragia renovatur hominum memoria. Ego Meinhardus Dei gratia Abbas Mauri monasterii scriptis dignum notificare duxi tam futuris quam præsentibus pacis concordiam & unanimitatis formulam inter Ecclesiam nostram sancti Quirini & Dominum Bezelinum advocatum de Durkelstein. *Fuit enim dissidium inter nos & eum, nam Capellanus suus de* Wilre *usurpando sibi parochiam nostram* Helde *baptizando Parochianos nostros, sepeliendo, decimasque nostras ad Capellam* Wilre *violentiâ quadam & consensu Domini sui subripiendo, sæpius nos gravavit, sed justitia querimonia nostra ad audientiam Domini Stephani Metensis Episcopi perlatâ, authoritate ipsius satisfactionem à jam dicto Capellano recepimus, sed tamen reiterare injuriam per ministros Domini sui non obmisit. Unde querimoniâ nostrâ tam crebrâ jam dictus Dominus Metensis Episcopus pertæsus, deliberavit consensu nostri & advocati Bechtoldi, ut manifesto Dei judicio hanc injure * causam discutiendam committeremus & ad ipsum negotium legatos suos destinavit; unde factum est ut Religiosos & spirituales homines convocantes, judicium aqua frigidæ advocato suoque Capellano præsente, Dei ordinatione profecuti sumus, & Deo gratias quia secundum nostram justitiam declaravit indignis famulis suis misericordia sua gratiam, ut meritò cum Psalmista laudem caneremus dicentes: Justus es Domini & rectum judicium tuum; nam Parochiam nostram Vicum* Helde *cum omni decima absque ulla contradictione liberam recepimus, tam de possessione S. Dionisii, quam de possessione S Petri Mediani monasterii quam hæreditario jure à venerabili Abbate Milone, consensu totius Capituli & familiæ, pro* LXX. *solidis Metensis moneta in Curia* Yrgesingem, *à Villica recta donatione suscepimus, statutis duobus denariis in censum singulis annis. Et ut hæc rata & inconvulsa generatio cognoscat*

* Fortè injuria.

Judicium aquæ frigidæ.

fiat altera, sigilli nostri impressione ac testium subscriptione roborare dignum duximus. Bertoldus Prior Mauri monasterii, Richwinus Cantor, Wolframnus præpositus Ecclesiæ Loci, Magister Hugo Metensis, Garnerus Canonicus & Capellanus Episcopi quos ipse ad negotium peragendum suâ gratiâ direxit. . . . Acta sunt autem hæc anno Dominicæ Incarnationis M. C. XXIV. *Indictione* II. *Calixto Papante & Henrico* IV. *Imperatore feliciter regnante.*

PONTIUS Heinricum sequutus est, illius duas reperimus sequentes chartas. PONTIUS Abbas an. 1186.

Quoniam mundus in maligno positus filios adoptionis infestare non omittit, idcircò dignum & justum est ut Ecclesia Dei in via peregrinationis suæ mutuis se sublevent & confoveant beneficiis, ne sint sine affectione & absque fœdere, & inde est quod Ego Pontius per misericordiam Dei dictus Abbas Mediani monasterii & fratres Capituli nostri universi notum facimus posteris & præsentibus, quod nos communi consilio parique consensu concedimus & confirmimus dilectis fratribus nostris de Boumgart *vanam pasturam per totum Bannum Visevallis* *, *quandiu nos Oves non habebimus quibus pastura jam dicta sint necessaria. Quod si aliquandò contigerit nos oves habere ad pasturas illas sufficientes, tunc prædicti fratres à pasturis illis abstinebunt, nisi per misericordiam possimus & velimus eos sustinere. Si autem oves illas vel alias dimiserimus, pastura nihilominus simili conditionis jure in usus fratrum illorum liberè revertentur. Debito siquidem tenebamur erga illos & debebamus illis duodecim solidos & vas vini continens duodecim asinatas & decem quartalia Siliginis, quæ omnia nobis remiserunt & insuper triginta solidos addiderunt in beneficium nobis, & sumus eum eisdem fratribus fratres conscripti, unde tenemur illorum beneficio rependere vicem Actum est in capitulo Mediani monasterii, astante & mediante venerabili Abbate Belli prati Raynaldo, ubi testes fuerunt fratres nostri Petrus scilicet Prior, Bertricus præpositus Bellævallis. Walterus Præpositus de* Tamviler, *Willelmus Cellarius, Cono quondam Bellævallis prior . . . . & cæteri omnes. Actum est hoc in manu Domini Conrardi Abbatis de Boumgard anno ab Incarnatione Domini* M. C. LXXXVI.

Concedit vanam pasturam fratribus de Boumgart in compensationem censûs illis debiti.

* *Vesevall.*

Qq 3 De-

Desideratur quidem in Autographo hæc ultima nota numeralis VI. seu potius ita vetustate consumpta & obliterata est ut jam oculos fugiat, verum à tergò scriptum licet manu recentiore reperitur, anno M.C.LXXXVI

Ex Archivo Altæ sylvæ * *Hautefeille.*

Pontius Abbas confirmat Fulchoni Abbati Altæ sylvæ prædium de *Tilley* & quidquid habebat in Parochiatu *Tanchonisvilla* cum pastura variis in locis.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Licet inter Religiosos etiam si qua fortè quoquo modo simultas oberitur, facili possit & debeat ratione componi, non abs re tamen videtur & in hac parte præsentium diligentiam paci prospicere futurorum. Easpropter Ego Pontius Deo autore Mediani monasterii dictus Abbas præsenti scripto notum facio præsentibus & futuris aliquotiens me Fulconem venerabilem Abbatem Altæ Silvæ * *de quibusdam ad Ecclesiam nostram pertinentibus salvâ amicitiâ reverentiâ convenisse, & ipso nihilominus amicabilter respondente, ea de quibus agebatur Ecclesiæ suæ consuali jure longè antè collata, tempore scilicet Milonis piæ memoriæ Abbatis & factum inde Chyrographum ostendente, querelam aliquandiu protelatam. Tandem verò convocatis quatuor vicinis Sacerdotibus utriusque Ecclesiæ familiaribus & amicis, Conone videlicet de* Ogilviller, *Conone de* Aseraule, *Gerardo de Linteriis & Theoderico de monte, causam eis hinc & inde pariter cessimus terminandam, Ipsis ergo mediantibus & utrique parti pro ratione faventibus, Ecclesia nostra pari consilio & assensu contulit, vel potiùs jam ante collatum confirmavit Ecclesiæ altæ silvæ prædium quoddam quod dicitur* Tilley *& quidquid cultum sive incultum nostri juris erat in parochiatu Tachonisvilla.*† *In omni usu & fructu. Insuper & liberam & plenariam pasturam in tera nostra de* Psemme *a. & in illa de* Monteneis *b. & de* Guneis *c. & de monte de Daceriis, hac conditione ut si forte vel eundo vel redeundo, sive ex cursu quorumlibet animalium, sive pastorum ignorantiâ aut incuriâ damnum aliquod fecerint, eo simpliciter restituto, nullus eis de cætero molestus sit de jure seu justitia secularí; super his omnibus quotiens necesse fuerit legitimam eis garentiam portare debemus semper & ubique, & ipsi sex nummos* * *Metenses daturi sunt singulis annis ministeriali Curiæ nostræ de* Gu-

a. Pechone.
b. Montigny.
c. Gugney.

* *Nummus, minutior moneta. Vid. Du Cange.*

† In hoc parochiatu incolis olim frequente & postea in solitudinem redacto monasterium Altæ silvæ à LX. circiter annis condi cœperat.

Guneis *in festo sancti Jacobi, prout fuerat ante statutum. Ut igitur hæc rata sint & pax inter utramque Ecclesiam legitime firmata nullâ deinceps occasione turbetur, præsens instrumentum impressione sigilli nostri & idoneorum testium subscriptione munitum, præfata sibi reservat Ecclesia, in testimonium si quando res exegerit proferendum. Actum Canonicè & publicè recitatum in generali Capitulo, anno Dominicæ Incarnationis* M. C. LXXXIX. *Testes sunt Petrus Prior, Lambertus Capellanus, Garsirius, Ulricus, Hugo, Nicolaus Cantor. Wicardus Sacerdos, Henricus de Scovagio. His ipsis testibus contulimus & apud Lintereis pasturam conditione præscriptâ, quantum in nobis est nihil unde repullulare possit aliquid calumniæ, relinquentes.* Ex hoc instrumento sigillum pendet integrum effigiem B Petri medio fermè corpore repræsentans cum hac inscriptione ✝ S. PETRUS MEDIAN. Anno 1189.

SIMON Mediano monasterio præerat anno 1193 ut constat ex charta Odonis Episcopi Tullensis eodem anno data, in confirmationem donationis ab Ottone S. Salvatoris Abbate, laude & assensu totius Capituli sui factæ fratribus de Alta silva, Grangiæ de *Tanconville* & aliorum quorumdam ad jus Episcopi olim pertinentium, in vicinia ejusdem loci, quæ bonæ memoriæ Henricus Episcopus Ecclesiæ sancti Salvatoris contulerat. Huic enim chartæ subscripsit Simon Abbas Mediani monasterii, cum Humberto Abbate Belli pratti, Warino præposito sancti Nicolai de Portu & aliis nonnullis. SIMON Abbas an. 1193. Ex Archivo Altæ sylvæ. Varinus præpositus S. Nicolai de Portu.

Eodem anno Teste Richerio Senoniensi Chronographo * Albertus miles dictus primò de Parreia, posteà verò de Alta Petra, Castrum in rupe Mediano monasterio proxima quæ Alta Petra * dicitur erexit, cujusdam fortè advocationis seu subadvocationis obtentu; sed diu stare non permissum est illud Castrum, quod à Mathæo II. Duce Lotharingiæ obsessum ab octavis Pentecostes usque ad nativitatem B. Mariæ, tandem captum & dirutum est; non quidem anno M. CC. X. ut in impresso ejusdem Richerii. * *Lib. II. cap. XXV.* * *La Haute-pierre.* Castrum de Alta Petra recens constructum Mathæus Dux obsidet ac diruit.

rii Chronico legitur ob deletam in Manuscripto unam aut alteram notam numeralem, nam Ducatum Lotharingiæ prædicto anno nondum regebat Mathæus II.; sed seriùs ut ex relata ab ipsomet Richerio Abbatum Senoniensium serie clarè colligitur. Nam disertè ait hic Autor quod *Widerici Abbatis anno secundo Castrum Alta Petra destruitur* *, successerat autem Widericus Henrico post annos Regiminis xxi. defuncto**, & Henricus Cononi substitutus fuerat anno M. cc. II. *** Unde consequi videtur obsidionem ac destructionem prædicti Castri anno M cc. xxiv. aut M. cc. xxv. contigisse. Verum nisi tres ultimi horum numerorum anni pro incœptis duntaxat habeantur; ita ut simul sumpti ne unum quidem annum integrum perficiant, aliquem in iisdem numeris errorem pariter irrepsisse necesse est, quippe qui uno aut altero anno redundant, ut constat ex litteris Reversalibus (ut loquuntur) à prædicto Alberto milite præfato Mathæo Duci datis super inita inter ipsos pace & concordia; Datæ sunt enim hæ litteræ anno 1224. mense Januario, sicque anno saltem 1223 obsessum ac deletum fuerat supradictum Altæ Petræ Castrum.

* Lib. 4. cap. 21.

** Ibid cap. 20.

*** Lib. 3. cap. 6.

Fol. xxix.

Earumdem litterarum juxtà exemplum ex manuscripto codice Cameræ computorum Barroduceensium descriptum & nobiscum communicatum tenor talis est.

Ego Albertus Dominus Alta Petra universis notum facio, quod cum discordia esset inter me & Dominum meum M. Ducem Lotharingiæ, composuimus in hunc modum: quod Ego ab ipso gratiam requirens, is licentiam mihi concessit firmandi à proximo festo Purificationis Beatæ Mariæ in duos annos, in monte de Aensus *super* Couroye; *ita tamen quod si quisquam in dicto monte, vel montem deteriorem faceret: in tantum quod si Dominus S. de* Paroye *consanguineus meus diceret, juramento tamen mediante, vel Dominus* Engelos *de* Mudigé *consanguineus meus, juramento etiam suo mediante (si fortè Dominus S. de* Paroye *morte vel alio casu inter-*

interveniente, quod absit, non posse interesse contingeret) quod Ego Albertus in firmatione dicti montis salvus non essem, Dux mihi licentiam concessit Altam Petram refirmare: vel castrum alibi in terra mea ubicumque voluero firmare. Promisit etiam Dux mihi & hæredibus meis has conventiones tenere, si fortè medio tempore me mori contingeret. Et si fortè firmationem dicti montis de* Ansus *impedire vellet aliquis, Dux ibidem, vel ad altam Petram, vel alibi in terra mea ubi vellem, Castrum firmare bonâ fide me juvaret. Et notandum quod in ea tenura in qua erat Pater meus eâ die quâ decessit, tam de tota terra sua, quam etiam de castro* Despicunberc *Dux me reponit. Et si aliquis hominum meorum post guerram motam supra Ducem vel supra suos remansit, Dux eos nullatenus retinebit. Castrum verò de* Ansus, *vel de Alta Petra, vel quod alibi in terra mea firmarem, illud in feodo & Homagio ligio de Duce tenerem; ita quod ipsum Ducem de dicto Castro & corpore meo contra omnes homines juvarem, præterquam contra Metensem Episcopum, & si inter Ducem & Metensem Episcopum Guerra esset, Ego Metensem Episcopum de corpore meo juvarem, & in castro meo talem ponerem in quo ego salvus essem & qui Duci benè & fideliter deserviret, Dux vero pro damnis & gravaminibus mihi illatis mihi reddet* IV^c. *libras Tullenses. . . . . Promisit etiam Dux me juvare de omnibus rebus illis tanquam fidelem suum ligium de quibus coram ipso voluero stare juri, & Domino Joanni* Plaumuse *fideli meo, per pacem quam feci, Dux ei pacem tenere creantavit. Has conventiones Renaudus frater Ducis sicut in cartis super hoc confectis plenius continetur, tenere juravit, si Dux medio tempore moreretur. Actum anno Domini* M. CC. XXIV. *mense Januario.*

* *Id est instaurare ac munire ut prius.*

Castrum in dicto monte de *Ansus** super *Conroye* à præfato Alberto milite erectum seu firmatum posteà fuisse non credimus; nam nulla in eodem monte castri rudera vel vestigia hodie cernuntur, nec ulla apud Incolas de *Conroye* extat memoria quod ibidem castrum aliquando fuerit.

* *Aliàs* Ainsus.

Rr Anno

Vide Histor. Eccl. & Polit. Civitatis & Diœcef. Tullenf. in calce pag. xcviii.

Anno 1194. Simon Abbas unus fuit ex quatuor Electis pro parte Domini Simonis Ducis Lotharingiæ ad exortas inter Romaricensem Ecclesiam & præfatum Dominum Ducem controversias componendas, & subscripsit litteris restitutæ inter partes concordiæ ab Odone Episcopo Tullensi datis, in festo beati Lucæ Evangelistæ ejusdem anni.

Anno 1206. Manisserus quidam assensu Friderici Lotharingiæ Ducis oppigneravit Simoni Abbati & Ecclesiæ Mediani monasterii tertiam partem decimarum de *Marivilla* * ab eadem Ecclesia nostra olim injustè ablatam. De qua oppigneratione confectum fuit subjectum instrumentum.

* Marainville supra Madonam.

Ego Fridericus Lotharingiæ Dux & Marchio. Notum facio omnibus præsentibus & futuris quod Manisserus de Hunamasnil invadiavit tertiam partem decimarum de Marivilla Simoni Abbati & Ecclesiæ Mediani monasterii, sub summa quindecim librarum Metensis monetæ, quando XXVI. *solidi valebant Marcham puri argenti. Præfatus autem Manisserus prædictas decimas in feodum tenebat à Johanne de* Crevechamp, *Joannes autem à Domina de* Tyllul, *Domina verò de* Tyllul, *à nobis. Qua decima ab Ecclesia Mediani monasterii non sine peccato quondam fuerunt avulsæ. Mediante Martio usque ad Pascha quandocumque voluerit, ei redimere licebit. Hac invadiatio facta est assensu nostro & Johannis de* Crevechamp *& Domino de Tylliolo ac filiorum ejusdem. Et ut hoc ratum & inconcussum permaneat sigilli nostri impressione confirmando corroboravimus. Hujus rei testes sunt Drogo de Prisney miles . . . . Actum anno Dominicæ Incarnationis* M. CC. VI.

Invadiatio facta Simoni Abbati de tertia parte decimarum de Marivilla Mediano monasterio non sine peccato priùs ablatarum.

Anno 1222.

Gerardus Abbas.

Anno 1222. inter G. fortè Gerardum Abbatem Medianensem & Hugonem Abbatem Styvagiensem initialibus duntaxat litteris suorum nominum designatos, facta est sequens amicabilis compositio.

In

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. G. Dei gratia Mediani monasterii & H. Stivagiensis Abbates universis ad quos præsens scriptum pervenerit veritati testimonium perhibere. Noverint universi quod cum inter Ecclesiam Mediani monasterii ex una parte & Stivagiensis ex altera, super quadam silva quæ constituta est inter viam quæ Salinaria dicitur & Jordanis fontem quæstio verteretur, post multas contentiones & discordias, post crebra utriusque Ecclesiæ gravamina & inopinata pericula, & cum adhuc utrimque gravamina immminerent, tandem inter nos intervenit amicabilis compositio sub hac forma: quod videlicet proprietas Silvæ memoratæ ad præsens est & erit semper Ecclesia Mediani monasterii, Ecclesia verò Stivagiensis usuarium suum in Pascuis & Lignis ad ædificandum & comburendum in perpetuum retinebit. Si verò agriculturam in sylva jam dicta inter metas præfatas exercri contigerit, Medianum cœnobium decimam & terragium cum omni integritate percipiet pleno jure, ita tamen quod jam dictum cœnobium in Cellario Stivagiensi in festo sancti Remigii duo quartalia Siliginis nomine census reddet annuatim. Caterum si alterutra partium à supradicta compositione aliqua occasione præsumeret resilire, alteri parti in x. *libris Tullensibus condemnabitur. . . . Ad majorem igitur firmitatem, præsentem paginam sigillorum nostrorum & vicinarum Ecclesiarum sancti Deodati, Senoniensis & Alteriacensis munimine fecimus roborari. Actum anno ab Incarnatione Domini* M.CC.XXII. *mense Aprili, feria* VI. *post Pascha.*

Ex Archivo Stivagiensi.

Concordia inter Medianensem & Styvagiensem Abbates super Silva constituta inter viam Salinariam & Jordanis fontem.

PETRUS in Abbatum Medianensium Catalogo sed parùm antiquo hìc recensetur, at nullo certo testimonio comprobatur. In veteri tamen Necrologio nostro ad Kal Julii fit mentio Petri Abbatis, sed quo anno obierit cujusvè monasterii Abbas exstiterit non notatur.

PETRUS Abbas.

N. Abbas qui in prædicto Catalogo Nicolaus dicitur. Infrà scriptas litteras dedit cum Conventu anno 1238.

Ego N. Mediani monasterii dictus Abbas & ejusdem Ecclesiæ Conventus, notum facimus universis præsens scriptum legentibus tam præsentibus quam futuris, quod super controversiis & contentionibus

NICOLAUS Abbas an 1238.

bus Villa de Viseval quæ vertebantur inter nos ex una parte & Dominum Johanem de Scouvai & hæredes Joiffridi fratris ejusdem ex altera, pacificando composuimus sub hac forma. Quod Abbas in jam dicta Villa Villicum pro sua instituet & destituet voluntate. Villicus verò Abbati & Advocatis qui pro tempore fuerint, fidelitatem faciet & utrisque pro portionibus quæ eis contingent de jure tenebitur respondere & loco eorum in supradicta Villa quibuslibet pro posse suo justitiæ plenitudinem exhibebit. Si verò vis aliqua ibidem inferretur cui per se non posset resistere, Abbati & Advocatis debet manifestare & ad mandatum eorum procedere. Super emendis quæ exinde provenerint & aliis rebus Abbas duas partes & Advocati tertiam sibi poterunt retinere. Sive præsentes fuerint Abbas & Advocati, sive illis absentibus ad manus Villici fuerint devoluta. Collecta verò & alia exactionis consuetudo per communem assensum tam Abbatis quam Advocatorum si fiat, medietas Abbati & advocatis altera medietas æqualiter tribuetur. De foregiis verò jam dictæ Villæ quæ ita vulgò dicuntur & de gallinis & de denariis & de panibus utraque pars medietatem sibi ex integro retinebit. Præterea hoc sciendum est quod dominium Silvæ penes Ecclesiam integrè remanet sicut ab antiquo, excepto quod Advocati quadraginta porcos tantum de nutrimentis suis ibi potuerunt habere. Fluvius verò & piscaria eodem modo & statu remanent sicut hactenus permanserunt. Hoc etiam sciendum est quod Villicus si necesse fuerit debet crantare pro expensis Abbatis usque ad XX. solidos Tullenses & pro Advocatis usque ad X si tamen facta fuerint in Villa, & idem Villicus debet recipere solutionem suam intra annum pro rata de receptis quæ utrique pro parte sua tribuentur. Census Broliì & Croatæ & ea quæ vulgò dicuntur Baniorum decimæ & Terragii & alia proprietates integrè remanent Ecclesiæ; excepto quod si propter culpam in eisdem & pro eisdem ibi commissam emenda ad manus Villici vel aliorum ministerialium deveniret, duas partes Ecclesiæ & Advocatis tertiam reddere tenerentur. Ut verò prædictæ pactiones ratæ & inconcussæ permaneant, sigillo nostro & sigillo Capituli nostri & sigillo Domini Ducis Lothoringiæ debemus easdem roborare & Domino Johanni & suis hæredibus tribuere, & dictus Joannes pro se & pro suis hæredibus supradictas conventiones sigillo sancti Apri Tullensis &

Compositio inter N. Abbatem Medii monasterii & & Dominos de Scouvay Advocatos Villæ de Vezeval.

& Comitis de Saumes *& sigillo præfati Ducis præmunitas nobis teneatur fideliter exhibere. Actum anno gratiæ* M. CC. XXXVIII.

Anno 1239. sub prædicto Abbate Galterus miles Dominus de *Hassonville* pleraque bona contulit nobis in eleemosinam perpetuam, cujus ab eo datum privilegium cum postea incendio periisset, à Renero ejus filio innovatum & confirmatum fuit an. 1261. ut infra dicetur. 1239.

Anno 1244. idem Nicolaus Abbas & Conventus elegerunt Dominum G. de *Landesberc* * in protectorem ac defensorem Curiæ suæ in *Veltkirchem*, prout sequitur. 1244.

* *Aliàs* Landsperg.

Ne res digna memoriâ processu temporis evanescant solemus eas vivacis linguæ testimonio & scripturæ memoria perhennare. Cum igitur propter diversarum rerum & totius provinciæ guerras generales & discrimina juxta verbum Sapientis, Tutorem servare suum tutissima res sit, notum fieri volumus singulis ac universis, quod discretus vir N. miseratione divina Dominus Abbas & Conventus Mediani monasterii Tullensis Diœcesis, me videlicet Dominum G. de Landesberc *in protectorem ac defensorem curiæ suæ in* Veltkirchen *ad terminum vitæ meæ & non ultra, communiter elegerunt nec non in confratrem eorum receperunt ob amicitiam spiritualem. Verum ne aliquis hæredum meorum cum de hoc saeculo me contigerit transmigrare, aliquam sibi formam Jurediſtionis seu Avocatiæ super prædicta curia protectione sibi attemptaverit usurpare, præsentem cedulam sigilli nostri munimine propter illius injuriæ revocationem contulimus roboratam. Datum anno Domini* M. CC. XL. *quarto.*

Dominus G. de *Landsperg* in protectorem Curiæ de *Veltkirch* & confratrem Mediani monasterii assumptus.

Sub hoc Abbate contigisse videtur infœlix illud incendium de quo fit mentio in sequenti charta quæ occasione ejusdem incendii renovata est.

Quoniam necessitatem patientibus in tribulatione misericorditer subvenire divinæ gratiæ donum esse nulli sanæ mentis dubium est, 1252.

est, idcirco quislibet verus Dei cultor visceribus misericordiæ indesinenter debet inhærere. Hujus igitur rei gratiâ Ego Henricus Comes Vadani montis cum infortunium Thesauri, librorum & denique chartarum & privilegiorum cæterorumque Ecclesiæ Mediani monasterii ornamentorum igni combustorum cognovissem; quia progenitores mei Cellam Bellævallis cum appendiciis suis, nec non & alias eleemosinas studio pietatis & pro animarum suarum salute liberaliter Eclesiæ Mediani monasterii supradictæ contulerunt, ne à me ipso vel ab aliquo successore meo vel hærede quod non optamus, super prædictis donis & eleemosinis tam liberaliter & solemniter à prædecessoribus meis Ecclesiæ jam dictæ collatis, pro defectu privilegiorum sive cartarum aliquatenus valeat molestare, acceptâ supplicatione Virorum venerabilium Abbatis & Conventus Mediani monasterii, privilegia ipsa & cartas super prædictis donis ab antecessoribus meis comitibus Vadani montis confectis & eisdem collatis, prout colligere potui pro salute animæ meæ & progenitorum meorum innovare & instaurare dignum duxi. Et quia ipsorum privilegiorum & cartarum Rescripta fide digna tam apud Medianum monasterium quam apud cellam Bellævallis repperi, ipsum privilegium quod primum & præcipuum esse videbatur, quia tota series fundationis Cellæ Bellævallis à strenuo Comite Gerardo Vadanimontis primo factæ continebatur, de verbo ad verbum præsenti paginæ adnotari feci. Enim verò quia primi parentes mei zelo Dei ducebantur actuum suorum temporalium & spiritualium, ita ut quidquid in eleemosina Religiosis viris conferebant, totum voluntate & authoritate Episcopi loci confirmabatur, unde & contigit donationem Cellæ Bellevallis cum appendiciis suis quam prædictus Gerardus Comes de Cella Bellævallis Ecclesiæ Mediani monasterii fecit, ab Episcopo Henrico Tullensi approbatam fore & confirmatam sub hac forma. In nomine summæ & individuæ Trinitatis omnibus filiis Catholicæ matris Henricus Leucorum Episcopus salutem in eo in quo est vera salus. Quâ ratione quave libertate Comes Gerardus Patruus meus & Comitissa Helvidis cum filiis suis Hugone & Olderico Comitibus Bellamvallem dederint Deo & Mediano monasterio, & de hac donatione scriptis cartis & instrumentorum adhuc superstitum testimoniis sine ambiguitate cognoscentes, hoc præsenti scripto re-

Charta Cellæ Bellævallis restituta per Henricum Comitem Vadanimontis ob præcedens chartarum Mediani monasterii incendium.

Confirmatio fundationis Cellæ Bellævallis per Henricum Episcopum Tullensem anno 1134.

*referimus & eandem donationem nostrâ quoque sententiâ & authoritate nobis à Deo præstitâ, Mediano monasterio confirmamus. Via rectior magisq; trita Hardiniacense * petens forum de Murinivilla * * in introitu Nemoris statim occurrentis bipartitur, ad dextram via vergens rivulum Mohereium transit, & ascendens colliculum per Ternam, Waholdi rivum usque protendit; sinistrâ verò per viam vetustam progrediens, ad locum qui Petrosa dicitur publico aggeri super viculum qui Portus * dicitur se infert, & sic in Vaholdi rivi vado ad dexteram viam unde divisa fuerat redit. Fundus igitur qui interjacet his viis, ex eo loco quo dividuntur usque ad eum quo ad se in Vaholdi rivi vado revertuntur, pro remedio animarum suarum parentumque suorum, sanctæ Dei Genitrici semperque Virgini Mariæ sanctoque Petro, sancto quoque Hildulfo, discipuloque ipsius sancto Spinulo ex integro tradiderunt, Cella verò in ipso fundo cœptæ & Monachis quos inibi ad serviendum Deo Abbas Mediani monasterii statuerit, decimas dederunt Castelli, Rancort, Valeriis & Porti * & separatim decimas termini ipsius Bellævallis designati, absque participatione cujuslibet vel Presbyteri, per manum Domini Pibonis sedis hujus cui nunc Deo authore præsideo tunc venerabilis Episcopi, ipso Domino Pibone id ipsum concedente & statuente & Decimas prædicti termini à decimis Ecclesiæ Murinivillæ ** solis monachis separante, medietatem quoque Dotalitiorum Ecclesiæ ejus Murinivillæ ipsis attribuente. Dederunt quoque apud prædictum Portum super Mosellam, Molendinum, medietatem Esocium qui vulgò Salmones vocantur, in ascensu tantummodo captorum; sibi retinentes usum Silvæ pascuaque per totum allodium Murinivillæ, nonamque partem ex omnibus indominicaturis ejusdem Villæ duosque modios vini de reditu Silvæ. Rivulum Mohereium Bannalem eis fecerunt, in Mosella communem & æqualem secum piscationem concesserunt. In Saltu centum porcos impinguandos monachi mittent, & si suos non habuerint, quorum voluerint, ut pastinatum habeant. Quicumque de sua familia fundum vel aliud aliquid monachis & Bellævalli dare voluerit, liberè dabit. Si quis intra terminum superiùs duabus viis determinatum feodum vel terram censualem habuit, aliam reddiderunt & bannum Vallis liberum & quietum eis fecerunt. Et quoniam Vallis strictior est*

*

* *Hadigny.*

** *Moriville.*

* *Portcieux.*

* *Vide suprà notam marginalem ad cap.* 38. an. 1·04. part. III.

** Moriville *Ecclesia Matrix Castri super Mosellam.*

& minus apta pratis, attbi tantum pratorum daturos se spoponderunt quantum sufficere posset octonis bobus & totidem vaccis, tribus caballis & quatuor asinis. Servitia vel placita quæcumque suis officialibus Pizonis Curia * atque Fresonis ** ad Medianum monasterium pertinentes *** exhibere solebant, & omnem advocationem in perpetuum remiserunt. Super omnibus verò quæ dederunt nullam sibi potestatem nec advocationem retinuerunt. Siquid tamen injuria Abbas ibi factum emendare per se nequiverit, auxilio eorum emendabit, sed summa questus vel vadis fuerit, Abbatis tantum & monachorum voluntati & utilitati mancipabitur. Post non multum verò temporis quo hæc acta sunt, supradictus Comes Gerardus infirmitate qua & mortuus est jam gravatus, dedit sæpe dictæ Cellæ Bellævallis, per manum Domni Ricuini venerabilis prædecessoris mei duas Ecclesias, Murinivillæ scilicet atque Puris **** & tres solidos quos ei solvebat in festo S. Stephani pro Ecclesia Purensi presbiter Purensis; qui etiam venerabilis Pontifex constituit ut duas partes decimarum prædictarum Ecclesiarum monachi habeant, tertiam partem presbiter accipiat; exceptis indominicatis Ecclesiæ Purensis, quæ absque participatione cujuslibet presbiteri solis data sunt Monachis. Procedenti etiam tempore supradicta Helvidis venerabilis Comitissa pro remedio suorum peccaminum concessit prædictæ Cellæ Ecclesiam Dummart, eo tenore & ea libertate qua eam noscitur tenuisse. Hæc patris sui matrisque suaque dona Hugo Comes de Vadani monte me præsente renovavit, & die quo majorem Basilicam Bellævallis consecravimus, super sacras reliquias ante hostium Basilicæ, additâ servi & ancillæ quadrantisque terræ donatione, propriâ manu posuit. Quisquis igitur deinceps hic descriptas Comitum donationes Abbati & monachis Medii cœnobii infregerit & majorem Basilicam Cellæ Bellævallis in honore S. Crucis & sanctissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ & omnium Sanctorum à nobis consecratam & atrium ejusdem Basilicæ violaverit, donec resipuerit & legitimè satis fecerit Anathema sit. Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo quarto, Indictione duodecima, Imperante pio Lothario Romanorum Augusto & fratre ipsius Simone Duce Lotharingiæ. Processu verò temporis vir egregius Hugo filius dicti Gerardi Comitis, Comes Vadani

* Passoncourt.
** Frisons.
*** Quo pacto hæc duo loca integra Cellæ Bellævallis postea cesserint non reperitur.
**** Puxes.
Simon Dux Lotharingiæ frater Lotha-

dani montis ductus pietate & liberalitate paterna & ut bonis à parentibus institutis consors esse mereretur, post decessum parentum suorum prædictorum, universa bona & eleemosinas prædia & quidquid iidem parentes cum Cella Bellavallis Ecclesiæ Mediani monasterii devotè contulerunt, innovavit, approbavit & denique affectuosè confirmare studuit. Adjunxit etiam Ecclesiæ Bellavallis cum à venerabili Henrico Tullensi Episcopo dedicaretur, servum & ancillam quadrantemque terræ ad dictæ Ecclesiæ dotem. Cumque idem Hugo vitæ suæ termino appropinquaret, pro salute animæ suæ suorumque contulit sæpe dictæ Ecclesiæ Bellavallis ex indominicato allodio suo duas croadas, cum parte prati in territorio Purensi, eâ conditione ut inperpetuum ab Abbate & cæteris fratribus Mediani monasterii suus parentumque suorum annuatim honorificè Anniversarius celebraretur. Isto itaque ita decedente, vir strenuus comes Hugo †, avus meus & in Comitatu succedens, sperans se cum Progenitoribus suis cœlestis retributionis partem recepturum, fratribus Deo in Cella Bellavallis servientibus misericorditer contulit quidquid in hominibus S. Deodati, apud Bellam Vallem & apud Porteceul * *commorantibus, videbatur habere: homines quoque in prædictis locis commorantes decrevit se nullo modo alicubi posse vel debere retinere; retentâ sibi tantummodo dictarum Villarum hominum liberâ custodiâ. Constituit etiam idem Hugo avus meus de consensu Abbatis & Conventus Mediani monasterii, quod in duabus Villis supradictis nullus hominum suorum ad commorandum poterit retineri. Decreverunt etiam supradictæ partes quod si quis hominum comitatus Wadani montis aliquam fœminarum Bellavallis & de* Porteceul *duxerit uxorem, Comitatui eidem cum prole sua in perpetuum servient: & è converso si quis homo dictarum Villarum de Comitatu uxorem acceperit, Prioratus Bellavallis & fratres ibidem Deo servientes, ipsos cum tota stirpe sua in perpetuum legaliter possidebunt. Processu verò temporis Comite Hugone avo meo viam uni-*

rii Imperatoris.

Hugo filius Comitis Gerardi parentum suorum donationes innovat approbat & auget.

* *Bortceux.*

† *Hic Hugo non dicitur filius præcedentis & re quidem ipsâ filius erat Gerardi II. qui hic omittitur eo quod Cellæ Bellævallis nihil contulerit. Hunc igitur locum perperam interpretatus est Joan. à Bayono cap. 83. ubi ait:* Huic Hugoni succedit filius æquivocus Hugo etiam nomine.

universa cannis ingresso; Comes Hugo genitor meus nobilium Comitum prædecessorum suorum non segnis imitator, sicut consideravit dona universa à progenitoribus suis liberaliter approbasse & confirmasse & etiam aumentasse, ne misericordiarum paternarum videretur esse derogator: ita universa destituta restituit, veterana innovavit, alienata innovavit & confirmavit. Adjunxit præterea quod Prior & fratres Bellavallis præter denominatum numerum porcorum qui suprascriptus est, quinquaginta porcos pascendos singulis annis sine aliqua contradictione in Nemoribus Comitatus mittere poterunt, & si proprios non haberent, alienos si voluerint sub prædicta forma immitterent. Contulit etiam idem Hugo pater meus decimam polenorum dictæ Cellæ Bellavallis & fratribus ibidem Deo servientibus, & medietatem decimæ Caniveti Parochiæ Purensis, nec non & decimam pratorum & terrraum arabilium Grangiæ suæ de Estenem, *quas antecessores sui & ipse possederant, concessit in perpetuum possidenda. Et si fortè contingeret quod homines Bellavallis & de* Porteceul *per ministeriales ipsius Comitis ultra usuarium sibi à prædecessoribus suis concessum & per ipsum inovatum & etiam approbatum, in venditione vel donatione nemorum suorum uterentur, & ipsi laudem & assensum ministerialium suorum per tres testes probarent, nihil pro damnis vel emendâ à dictis hominibus deinceps exigere possent vel etiam extorquere, & gentes ipsius testes suos hac ratione introductos bello resistere non poterunt. Terras vero censuales quas sæpe dicti homines Bellavallis & de* Porteceul *tempore patris mei possidebant, in perpetnum sine omni calumnia per annuum tressensum persolvendum possiderent. Sancivit etenim idem Hugo Comes pater meus, quod cum orationibus & beneficiis Ecclesiæ Mediani monasterii se jungi vellet, acceptâ fraternitate ipsius loci cum uxore sua Margarita, de consensu Abbatis & Conventus prædicti loci, obtinuit ut pro fructu præbendæ suæ tertiam partem Assisiæ hominum Bellavallis & de* Porteceul *quandiu ipse & uxor ejus Margarita viverent, reciperet: utroque quoquo defuncto ipsa pars dicta Assisiæ ad Ecclesiam Bellavallis integraliter revertetur. Dedit præterea de sua liberali benignitate pro remedio animæ suæ & suorum prædecessorum & etiam successorum Ecclesiæ Bellavallis minutam decimam grangiæ suæ de* Estenem, *quæ sita erat in pa-*

Hugo II. prædecessorum suorum donationes confirmat & auget.

Hugo II. & Margarita uxor ejus fraternitatem accipiunt Mediani monasterii & præbendam sibi retinent.

parochia Purensi in pratis & nutrimentis; quam decimam prædicti Abbas & Conventus ei sub annuo trescensu viginti quinque solidorum Provinienſium fortium, singulis annis in preagiis suis de Domart *capiendorum in festo B. Remigii, quandiu ipse & uxor sua viverent retulerunt, retentâ sibi vini & Bladorum totaliter decimâ: post decessum verò ipsorum dicta decima pratorum & nutrimentorum dictæ grangiæ ad sæpe dictas Ecclesias, si melius decimam maluerint quam prædictam summam viginti quinque solidorum, pacificè & sine hæredum suorum reclamatione reverteretur. Cum igitur idem Hugo pater meus ab hoc sæculo se migraturum cognovisset, inter testamenti sui articulos Ecclesiæ Bellævallis à progenitoribus suis fundatæ, sexaginta solidos fortium pro remedio animæ suæ in reditibus suis de* Favieres *in perpetuum constituit persolvendos. Et quia prædecessores meos ipsorum animabus salutem procurasse perspicio, ne retributioni ipsorum bonæ impar esse videar, quod ipsi benignè inceperunt, hoc ego Domino donante prosequi maturabo; pro salute siquidem omnium prædecessorum meorum mea quoque & omnium successorum meorum, Ecclesiæ Bellævallis ab antecessoribus meis fundatæ confero & concedo de consensu uxoris meæ census pratorum infra terminum de* Fraice *consistentium, de Bresis usque ad Bellamvallem. Enim verò quia malignorum consilio plures pia corda subvertuntur, ne Ecclesia Mediani monasterii piis prædecessorum meorum donis per incuriam meam in aliquo videatur defraudari, & ut omnia supra scripta his quibus à primis parentibus meis & à me tam devotè collata sunt & confirmata, rata & illibata omnibus usibus profutura in perpetuum permaneant, sicut prædecessores meos fecisse cognovi, me ad pœnam observationis obligare decrevi; scilicet si in aliquo de omnibus supra scriptis me delinquere contingeret, nutu & assensu meo, imò supplico ut ordinarius meus Episcopus Tullensis, nisi infra quadraginta dies per Abbatem Mediani monasterii vel nuntium ejus ammonitus satisfecero, me excommunicet & totam terram meam interdicto supponat; quia apertissimè cognosco & diligenter affirmo me nihil penitus juris præter solam liberam custodiam in omnibus suprascriptis habere. Quia igitur ut prædixi omnes prædecessores mei à tempore fundationis Cellæ Bellævallis omnia dona sua & eleemosinas suas ratas & incon-*

Henricus Comes prædecessorum donationes auget & inconcussas esse decernit

cussus à se ipsis & successoribus suis habere voluerunt, ne ego videar eorum saluti detrahere & devotioni, universa scripta, donationes, eleemosinas, collationes sicut quilibet ipsorum Ecclesia Mediani monasterii liberaliter tempore suo conferre maturavit: ita Ego omnia qua in prasenti pagina scripta vel annotata sicut in superioribus continetur, ne ipsa Ecclesia Mediani monasterii per defectum meum defraudetur, devoto cordo concedo, innovo & redintegro restauro, & siqua sunt de suprascriptis donis abolita vel perdita, omnia per prasentem paginam & sigilli mei appositionem pro salute anima mea & pradecessorum meorum & etiam successorum devotissimè confirmo. Acta sunt hac anno Domini Millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, mense Martio.

Data est hæc charta anno 1252.

Incendio consumptis Mediani monasterii privilegiis & chartis, Rogerius Archidiaconus de Portu qui Rogerii de Marceio Episcopi Tullensis anno 1251. defuncti nepos erat, in controversiam deducere cœpit Jurisdictionem ordinariam quam Abbas & Conventus exercebant in Parochias Mediani loci & de Hurbaco & in appendicias earum; hoc est in omnes Ecclesias his duabus annexas, quæ integrum Mediani monasterii districtum conficiunt. An sub præcedente vel potius sub sequente Abbate id evenerit nobis incompertum est. Quis autem fuerit hujus controversiæ exitus subjecta ejusdem Rogerii Archidiaconi charta demonstrat.

De prætensa Jurisdictione desistit Rogerius Archidiaconus de Portu an. 1257.

Universis prasentes litteras inspecturis Rogerius Archidiaconus de Portu in Ecclesia Tullensi, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod dum inter nos ex parte una & viros Religiosos Abbatem & Conventum Mediani monasterii ex altera, questio verteretur super Jurisdictione, quam petebamus contra eos in duabus parochialibus Ecclesiis Mediani monasterii & de Hurebaiche *& in appendiciis earum, eo quod in Archidiaconatu nostro sita sunt *, dictis Abbate & Conventui è contrario dicentibus nos in eisdem nichil Jurisdictionis habere: sed dictas Ecclesias ad eosdem pleno jure spectare. Tandem post multas altercationes, de bonorum consilio*

** Hic juxtà præsumptum animo ejus loquitur Rogerius.*

filio, dictis Abbati & Conventui promisimus, quod super Jurisdictione prædicta nullam eisdem toto tempore vitæ nostræ movebimus in posterum quæstionem. . . . ad hoc nos tenore præsentium obligantes. Datum anno Domini M. cc. *quinquagesimo septimo, mense Januario.*

Rogerii exemplum secuti sunt quotquot postea fuerunt Archidiaconi de portu, nec ullam super eadem Jurisdictione quæstionem deinceps moverunt. Unde per quadringentos & amplius annos à supradicta contradictione sic sopita numerandos, ordinariam Jurisdictionem in Clerum & populum sui districtus Abbas & Conventus Mediani monasterii quietè & pacificè retinuerunt, ac post exortas his novissimis temporibus novas aliquas contentiones etiamnùm retinent, ut ex sequentibus patebit.

In Necrologio monasterii S. Vincentii Metensis manu recentiore descripto ad XXVII. diem Martii legitur: *Commemoratio Domini Mathæi Abbatis Mediani monasterii & anteà monachi hujus loci.* Sed an hic Mathæus Abbatia nostra Medianensi reverà potitus fuerit, & quandiu, quovè sæculo illi præfuerit, nobis prorsus ignotum est. Illius in Abbatum nostrorum Catalogo nulla mentio.

MATHÆUS Abbas incertus.

JOANNES præsulabat anno 1258. quo tempore universitati inferioris Ehenheim in Alsatia subsequentem chartam concessit.

JOANNES Abbas an. 1258.

Universis Christi fidelibus quibus præsens scriptum nosse fuerit opportunum, J. miseratione divina Abbas totusque Conventus Mediani monasterii, Ordinis S. Benedicti, Tullensis Diœcesis, devotas orationes in Domino. Possidente nostro monasterio unà cum Ecclesia in Hohenburg *& viris nobilibus G. & E. Dominis de* Landesperc * *& B. milite dicto de* Oberenkirchen *dominium bannale quod vulgariter dicitur Banvvardum in inferiori* Ehenheim,

* Aliàs Landsperg.

Emolumentum quod ex Jure Banvardiæ percipi solebat in inferiori *Ehenheim* cum triginta solidis argenteis annuatim persolvendis compensatur.

ex quo dominio nobis proportionaliter tertia pars manipulorum qui percipi consueverant, ratione dicti dominii debebantur, & idem jus ad tantam devenisset injuriam, ut jam non certa pondera manipulorum: verum pro libito & arbitrio custodum, & usurpatione magis quam antiquâ institutione, pro nobis & cæteris ejusdem dominii possessoribus raperentur. Supplicavit nobis universitas Villæ præfatæ, ut pro portione nostra compensationem condignam consideratione habitâ perceptionis antiquæ, non usurpatæ, accipere dignaremur; maximè cum omnes dicti juris nobiscum possessores præfatam considerantes injuriam remisissent, & recompensationem consimilem acceptantes. Nolentes igitur tam turpibus & violentibus questibus inhiare, prædictam injuriam penitus abdicamus & liberè relaxamus; pro jure antiquo & debito ab universitate Villæ inferioris Ehenheim * *triginta solidos argenteos legalium singulis annis pro portione nostra acceptantes. Hoc . . . . nostro monasterio reservantes ut custodes qui Banvvardi vocantur ibidem de cætero ordinandi, Banvvardiam sicut huc usque requirant à nobis, proportione superiùs memoratâ. Nos universitas Villæ inferioris* Ehenheim *omnia prædicta vera esse præsentibus profitemur & ad solutionemm prædictæ pecuniæ sine diminutione persolvendæ, nec non & si quid deducta mercede custodum, & Lx. solidis cæteris Banvvardia Dominis debitis, residuum fuerit in denariis, de agris singulis cujuscumque fuerint in banno universaliter colligendis, pro portione monasterii; & insuper ad observationem Juris Banvvardia quod ibidem hactenus habuit Medianum monasterium, nos cum nostris hæredibus & posteris dicto monasterio perpetualiter obligamus. Quod autem hæc rata permaneant, nos J. Abbas & Conventus Mediani monasterii præsentem cedulam universitati prædictæ Villæ dedimus sigillorum nostrorum munimine roboratam. Acta sunt hæc anno Domini* M. CC. LVIII.

* *Germanicè* Niderehenheim, *Gallicè* Nidernay.

Jus ipsum Banvardiæ Mediano monasterio servatur ut priùs.

Anno 26'. seu sub eodem Joanne Abbate, seu sub ejus successore Alexandro, Renerus Miles Dominus de Hassonvilla donationem Galteri patris sui (cujus instrumentum incendio supra memorato perierat) renovavit, & auxit, ut sequitur.

Cum

Cum constet Christi fidelibus eos qui res Ecclesiarum ad sustentationem servorum Dei in eis servientium collatas tuentur & augmentant, celesti retributione digne munerari: Ego Renerus miles Dominus de Haçonville *pia ductus consideratione, quasdam res à Domino Galtero milite genitore meo Domino ejusdem oppidi, Ecclesiæ Mediani monasterii & fratribus ibidem Deo servientibus nomine elemosinæ quondam solemniter collatas, de consensu Galteri filii mei & omnium hæredum meorum, pro remedio etiam animæ meæ, & etiam omnium predecessorum meorum & successorum animarum salute, supradictam rerum donationem approbare & confirmare & demum innovare dignum duxi & præsentis scripti testimonio omnibus præsentibus & futuris revelare & insinuare studeo, sicut & idem supradictus pater meus per litteras inde confectas ad posteros destinare maturavit, quarum tenor talis est. Ego Galterus miles Dominus de* Haçonville *notum facio universis quod Ego laude & assensu Reneri & Galteri filiorum hæredumq; meorum, contuli in elemosinam perpetuam Deo & Ecclesiæ Mediani monasterii, pro remedio animæ meæ & antecessorum meorum, Croadas & Brolium integraliter quæ habebam apud* Marthisi**, ita tamen quod homines dictæ Villæ videlicet de* Marthisi, *furcam & falcem & saclam & carruchas & Vecturas annonæ & feni & omnes alias consuetudines quas mihi debebant ratione dictarum Croadarum & Brolii, persolvent Ecclesiæ memoratæ. Siquis verò ratione fundi superius nominati mihi debebat aliquem censum, dictæ Ecclesiæ persolvere tenebitur, & Villicus ejusdem Villæ Abbati Mediani monasterii fidelitatem faciet, quod ipse omnia bona sua & jura fideliter conservabit & habere faciet sicut debet. Præterea notum facio quod ego contuli in elemosinam sæpedictæ Ecclesiæ Mediani monasterii omnem terram & prata & totam hereditatem* Martaire; *sitam in banno sanctæ Mariæ & in banno de* Barbonvilla *ultra Murt & citra Murt: Et si aliquis debebat mihi censum de istis terris, Ecclesia memoratæ persolvere tenebitur. Contuli insuper in elemosinam Ecclesiæ Mediani monasterii duos modios vini, in vinea mea de* Haçonville *singulis annis tempore Vindemiæ persolvendos. Si verò contingat quod tantum vini in dicta vinea non crescat, possessor ejusdem vineæ vel fundi septem solidos Tullenses pro quolibet modio vini tenebitur persolvere Ecclesiæ memoratæ. Insuper contuli in elemosinam pre-*

Renerus de *Haçonville* aliàs *Hassonville* nunc *Haussonville* renovat chartam paternæ donationis & novam ipse donationem facit an. 1261.

* *Matexey* aliàs *Martexey.*

prælibata Ecclesiæ in bosco nostro quod est sub via qua tendit de Barbonvilla ad Bellum campum, integraliter usuarium ad omnia necessaria domus suæ de Barbonville, *tam pro furno bannali quam pro aliis necessariis dictæ domus. Item Dominus Garnerus de sanctæ Maria miles, laude & assensu meo & hæredum meorum, contulit in elemosinam perpetuam Ecclesiæ Mediani monasterii quidquid habebat in Villa quæ vocatur sancta Maria juxta* Barbonville, *& quidquid habebat in banno, tam in hominibus quam in aliis usibus integraliter; quæ omnia tenebat de me in fœodum & in hominium. Et ut ratum & firmum in perpetuum permaneat, præsentem paginam sigilli mei munimine roboravi. Actum anno Domini* M. CC. *trig simo nono. Enim verò quia pium est bonum restaurare quod electum est *; quia comperi quod Ecclesia Mediani monasterii parte privilegiorum suorum & etiam suppellectili, divino judicio inopinabiliter destituta est, volens ipsum privilegium prædicti patris mei ut prædixi renovare & reintegrare, omnem supradictam seriem rei gestæ præsenti scripto annotari feci. Et insuper de consensu & voluntate Galteri filii mei & omnium hæredum meorum, supradictæ Ecclesiæ Mediani monasterii solempniter & apertè contuli pro remedio animæ meæ & antecessorum sive successorum meorum in perpetuum, usualitatem pascuorum in banno de* Haçonville *pro nutrimentis tam domus ipsorum quam hominum de* Barbonville, *nec de dicto Bosco ubi usuarium prædictæ Ecclesiæ concessum est aliquid possum vendere, nec ad firmam alicui obligare Etsi quod absit Ego malo ductus consilio in eisdem elemosinis, concessionibus seu donationibus aliquid forefacerem, & ammonitus ab Abbate vel nuntio dictæ Ecclesiæ, nisi infrà quadraginta dies forefactum emendarem, consensi & Domino meo Duci Lotharingiæ supplicavi, quod ipse Dominus Dux ad petitionem Abbatis vel nuntii prædictæ Ecclesiæ ad emendationem forefacti perpetrati me compellat & inducat, & quod ad hoc me compellere & inducere teneatur. In cujus rei testimonium ad petitionem meam sigillo Domini mei Ducis Lothoringiæ prædicti præsentem paginam feci roborari. Actum anno Domini Millesimo ducentisimo sexagesimo primo, Mense Martio.*

* *Fortè* deletum est.

ALE-

Alexander Abbatissavit ab hoc eodem vel proximè sequenti anno usque ad initium sæculi decimi quarti. Illius meminit Richerius sub finem Chronici Senoniensis *, ubi narrat quod defuncto Jacobo Episcopo Metensi, cujus obitus à Meurisso refertur ad annum 1260. cum Henricus Comes de Salmis Ecclesiam Senoniensem instanter molestaret, Balduinus Abbas Canonicos Metenses sede vacante primum adiit illorumque auxilium frustrá imploravit, deinde verò electis Metensibus, Philippo scilicet & Theobaldo post diutinas altercationes coram Archiepiscopo Trevirensi pacificatis & Philippo confirmato atque consecrato, idem Balduinus Abbas cum quibusdam fratribus ad ipsum Philippum statim accessit eique omnes monasterii sui calamitates intimavit; quo verbis quædam pro mittente quæ minimè facta fuerunt, demùm ad venerabilem Gilonem Episcopum Tullensem se contullit eique omnia quæ gesta fuerant renuntiavit. „ Qui „ quidem venerabilis Antistes hæc audiens valde indoluit „ (*inquit Richerius*) & accersito Notario scripsit Alexan„dro Abbati Mediani monasterii, ut ad domicilium „ Domini de Salmis personaliter accederet & eum „ diligenter admoneret, ut de perpetrata tam enormi „ iniquitate resipisceret & ablata restitueret & de tam im„pio facto Deo & Ecclesiæ satisfacere non differret. Ac„cepto igitur Abbas mandato Episcopi, non segniter „ sed zelo domus Dei spoliatæ ductus, sibi injuncta acce„lerare properabat. Veniens igitur ad Villam quæ *Ba„donviller* dicitur, invenit illum angelum sathanæ Re„naldum Baillivum Domini de Salmis in malitia nimis ex„ercitiosum, qui interrogavit Abbatem quid quæreret. „ Abbas verò ei indicavit mandatum Episcopi sibi com„missum. Ille ergò audiens iratus misit manus in eum & „ tenuit eum & tradidit eum satellitibus suis in domo qua„dam custodiendum, qui sedulò custodiebant eum & „ expensas magnas in custodiendo Abbate faciebant, ita „ ut in duobus diebus & noctibus octo solidos Tullensium

Alexander Abbas an. 1261. vel 1262.

* Lib. v. cap. ix.

Ad Alexandrum scribit Episcopus Tullensis, ut ad Dominum de Salmis accedat, eumque moneat de ablatis Senoniensi Ecclesiæ restituendis.

A Baillivo Domini de Salmis capitur Alexander, & militibus custodiendus traditur.

„expenderent; putabant enim quod Abbas omnia persolveret Fratres igitur Mediani monasterii audientes „quod Abbas ipsorum captivus teneretur, cucurrerunt ad Præpositum Ducis Lotharingiæ Godefridum „nomine & indicaverunt ei quod Abbas ipsorum captivus teneretur: Præpositus verò assumptis secum armatorum cuneis, properabat ad Villam illam ubi Abbas „tenebatur; sed mediâ viâ consuluerunt ei ne ulteriùs „procederet, nisi prius inquireret si adversarii ei Abbatem Domini sui reddere vellent: alioquin quod vellet „rationabiliter facere posset. Præpositus enim eorum „consilio acquiescens, misit duos milites qui Abbatem „requisierunt. Baillivus audiens quod Præpositus Ducis cum armatis ad se veniret, timuit & Abbatem dimisit. Abbas verò mandatum quod acceperat solemniter „exposuit, denuntians ab Episcoppo Tullensi excommunicatum, & secundum statuta concilii Trevirensis ipsum Dominum de Salmis excommunicatum, ac terram „suam sub interdicto positam affirmavit; excepto viatico mortuorum & baptismate puerorum. Et sic Abbas „& Præpositus cum suis ad sua redierunt.

Ad requisitionem præpositi Ducis Lotharingiæ Alexander dimittitur.

Alexander denunciat Dominum de Salmis ab Episcopo Tullensi excommunicatum.

Anno 1263. Alexander Abbas cum Conraldo milite de *Landesper* * pro custodia curiæ in *Veldkirch* sequentem conventionem fecit ad decem annos.

* *Aliàs* Landsperg.

Compositio Alexandri Abbatis cum Conraldo de *Landsperg* pro custodia Curiæ de *Veldkirch*.

Nos Alexander divina permissione Mediani monasterii Abbas humilis, totusque ejusdem loci Conventus, notum facimus omnibus præsentibus & futuris præsens scriptum lecturis, quod Dominus Conraldus miles dictus de Landesper *accepit à nobis in custodia & protectione sua, Curiam nostram quam à priscis temporibus possedimus & adhuc possidemus apud* Velkirques *sitam, Argentinensis Diœcesis. Ita tamen quod Dominus Conraldus ipsam Curiam à cunctis incursionibus & deventibus pro posse suo omnibus modis defendere tenetur. Pro qua nimirum custodia nos Abbas & Conventus Mediani monasterii dicto Conraldo sin-*

singulis annis in festo B. Nicolai hiemalis, vel infra octabas decem libras Argentinensium monetæ reddere tenemur. Et sciendum quod dictus Conraldus Curiam nostram supradictam nisi per spatium annorum X. *custodire debet, sed expletis dictis decem annis, dictam Curiam nostram sibi vel alii sine aliqua reclamatione vel occasione dicti Conraldi vel hæredum suorum, quomodo vel quando voluerimus committemus observandam. Et ad hoc diligenter observandum dictus Conraldus & universi fratres sui fide interposita & sigillorum suorum impressione promiserunt & adhuc promittunt. Et quia humana conditio ad malum promptissima est, sub supradicta fidei attestatione contestantur dictus Conraldus & fratres sui protestantur & confirmant, quod nec ipsi neque per interpositas personas aliquas, hospitiis vel aliquibus sumptibus, occasione aliqua, dictam Curiam nostram aggravabunt & universa nostræ Curiæ bona ubicumque habita, nec non personas nostras & universos nuntios nostros & familiam Ecclesiæ nostræ euntes & redeuntes, deducentes & reducentes fidelissimè dictus Conraldus in protectione sua recipit & conductu. Et si infrà decem supradictos annos custodiæ dictum Conraldum ab hac vita discedere contingeret, vel si quod absit, universa suprascripta fideliter non observaret, si ammonitus infra quadraginta dies de illatis nostræ Curiæ injuriis plane non satisfaceret, nos Abbas & Conventus Mediani monasterii Curiam nostram supradictam sine alicujus reclamatione liberè & absolutè custodiendam committere poterimus. Præterea sub supradicta fide dictus Conraldus contestatur & promittit quod ipse universos homines in dominio suo positos, census & redditus quos Curiæ nostræ de* Valquilques * *solvere tenentur, annuatim reddere compellet.* * *Aliàs* Veltkirch. *Ad confirmandam igitur suprascripta litteræ seriem nos Abbas & Conventus Ecclesiæ prænominatæ præsentem paginam sigillorum nostrorum munime roboravimus. Actum anno Domini* M CC. *sexagesimo tertio mense Junio.*

Anno 1273. Gregorius Papa X. Abbati & Conventui Mediani monasterii indulsit ut in parochiis illis in quibus habebant & justè percipiebant majores & veteres, novalium quoque decimas de quibus aliquis hactenus non per- **Privilegium pro percipiendis Novalium decimis.**

ejus procuratoris qui pro tempore in curia fuerit. Si verò aliqui agri plantati sunt vineis, usque ad prædictum terminum possessores eorumdem gultam consuetam ut de aliis agris Curiæ dare tenentur; alios verò duodecim annos tertiam partem vini Curiæ de Veldkirchen *præsentabunt. Agri verò arabiles, transactis duodecim annis, liberè & absolutè cum plenario jure, sine omni contradictione colonorum vel hæredum eorum, ad curiam cum omni jure suo redibunt, sic & de vineis viginti quatuor annis transactis. Et ut præsens scriptum robur obtineat firmitatis, nos præfati Eberhardus Senior, Cunradus & Werenherus fratres Domini de* Landesberc, *unà cum Præposito de* Truttenhusen, *ad preces colonorum præsentes literas præfatis Dominis Abbati & Conventui Mediani monasterii dedimus, sigillorum nostrorum munimine roboratas. Actum & datum anno Domini* M CC. LXXIV. *Hii sunt testes qui interfuerunt Dominus Bertholdus Sacerdos & Vicarius de minori* Ehenheim, *Dominus Cunradus de* Valve, *Deitericus Villicus, Heinricus filius suus, Amicus Procurator, Cunradus Bezelinus, Heinricus* Behem, *Petrus & Besenvvinus fratres, Johannes Caupo, Johannes Clericus de majori* Ehenheim, *Burcardus* Horgesre, *Burcardus Caupo, Sigellinus Caupo, Johannes* Knebel Kestenholz *& quam plures fide digni in Vigilia Purificationis.*

Anno 1275. Alexander novum contractum iniit cum Cunrado de *Landesperg* pro custodia Curiæ de *Velkirchen*, cui adjunxit etiam Curias de *Hundisheim* & *Utratzheim* * ut sequitur.

* *Vulgò* Ittersheim.

Notum sit omnibus præsens scriptum visuris vel audituris, quod Ego Cunradus Dominus de Landesperg *à venerabilibus viris Abbate & Conventu Mediani monasterii Tullensis Diœcesis Curias ipsorum apud* Velkirchen, Hundenesheim *&* Utratzheim *sitas in Diœcesi Argentinensi, quas ipsi & prædecessores eorum jure proprietatis & dominii à priscis temporibus possederunt & adhuc possident tanquam suas, recepi in fideli & liberali custodia & protectione mea, ea conditione & modo quod dictas curias cum suis ap-*

Curiæ de *Velkirch, Hundenesheim* & *Utratzheim* ad Medianum monasterium pertinent jure

proprietatis & dominii à priscis temporibus.

Conditiones commissæ illarum custodiæ Conrado de Landsperg.

pendiciis ab omnium incursionibus & violenciis, modis omnibus teneor defensare. Pro qua nimirùm custodia dicti Abbas & Conventus singulis annis in festo S. Nicolai hiemalis, vel infra octavas ipsius mihi dare tenemur decem libras Argentinenses usualis monetæ. & sciendum quod supradictas curias nonnisi per septem annos continuos à data præsentis litteræ nominandos, debeo custodire; quibus expletis, officium custodiæ meæ & dictæ pensionis perceptio totaliter expirabit, & dicti Abbas & Conventus sine reclamatione mea, hæredum fratrum vel nepotum meorum, cuicumque voluerint custodiam vel avocatiam curiarum supradictarum committere liberè poterunt pro suæ libito voluntatis. Ad hoc tam Ego dictus C. quam universi fratres mei & nepotes fide data promittimus bona fide, quod nec per nos vel per personas interpositas hospiciis vel gravaminibus aliis gravabimus, occasione aliquâ curias supradictas; quinimo dictas curias cum omnibus appendiciis suis, res & jura ipsarum, nec non dictum Abbatem & fratres, nuntios & familiam tam Mediani monasterii quam curiarum supradictarum, in eundo & redeundo, deducendo & reducendo, fidelissimè Ego supradictus C. in protectione mea recipio & conductu. Et si infrà prædictos septem annos custodiæ meæ contingeret me discedere ab hac vita, vel quod absit, me contingeret delinquere in præmissis, vel aliquo præmissorum, si infra viginti dies ab ipsis Abbate & Conventu monitus, de illatis injuriis à me & meis plane non satisfacerem, dicti Abbas & Conventus ipso facto curias supradictas absolutè & liberè, sine reclamatione mei aliqua & meorum, custodiendas committere poterunt cuicumque. Præterea expresè recognosco & confiteor ex debito me teneri ad compellendum omnes tam mei districtus, quam fratrum & nepotum meorum, vel alios nostra potestati quocumque modo subjectos, ut de redditibus, censibus, juribus seu aliis debitis, de quibus michi modo debito fuerit facta fides, dicto Abbati & suis satisfaciant competenter. Quæ universa & singula tam Ego quam omnes fratres mei & nepotes fide præstitâ servare illibata promisimus bonâ fide. Et ad evidentiorem hujus rei memoriam & roboris firmitatem, tam Ego C. quam alii fratres mei & nepotes sigilla nostra præsentibus apponi fecimus in testimonium prædictorum. Nos verò Guntherus, Walnerus, Guntherus ju-

junior, Lamphridius, & Waltherus Domini de Landesperg *confitemur dictum Dominum C. recepisse advocatiam curiarum memoratarum & volumus & consentimus ut homines nobis quocumque modo subjectos compellat & coherceat liberè, ad solvendum dictis curiis censûs & jura earumdem, & ad desistendum à quolibet impedimento bonorum curiarum sæpefatarum; in cujus rei firmitatem sigilla nostra præsentibus sunt appensa. Nos verò Alexander Abbas & Conventus Mediani monasterii prælibati confitemur & publicè protestamur habitâ inter nos communi deliberatione, Nos prædictum Dominum C. militem de* Landesperg *propter utilitatem nostri monasterii, ad cunctos annos prætactos elegimus Advocatum & Defensorem nostrarum curiarum prælibatarum, ipsumque sub modo & forma præscripta, præsentibus Advocatum eligimus, vocamus & deputamus; promittentes bonâ fide, quod tam in solvendo pecuniam prædictam, quam aliàs observabimus, & observare tenebimur & adimplere omnia & singula prænotata, & ad hoc sub prædictis conditionibus nos & nostrum monasterium præsentibus obligamus post septennium minimè valituris. In testimonium omnium & singulorum promissorum nostra sigilla præsentibus apponentes. Actum & datum anno Domini* M. CC. LXX *quinto,* III. *Kal. Novembris feria quarta ante festum omnium Sanctorum.*

Anno 1279. mense Junio Alexander Abbas & Conventus Mediani monasterii Fridericum Lotharingiæ Ducem ejusq; hæredes in perpetuum adsciverunt in partem Dominii Banorum de *Visivallo* & *Ravono* * pro condenda nova urbe in dicto Ravono: retentis tamen sibi & successoribus suis Abbatibus & Religiosis, dictorum Bannorum planis & vallibus curiaque Ravonensi cum appenditiis suis & hospitali, nec non Ecclesiæ parochialis hujusce novæ urbis patronatu, decimis tam grossis quam minutis, ac universis jam dictorum Bannorum rebus spiritualibus; quæ proinde res spirituales antè hanc societatem penes ipsos erant ut & posteà fuerunt. Mutuas ejusdem associationis litteras Gallico idiomate confectas sibi contra-

Associatio Ducum Lotharingiæ in Bannis de Visivallo & Ravono.

* *Veseval & Ravon.*

Spiritualium Reservatio.

tradiderunt Fridericus Dux & Alexander Abbas. Quæ à præfato Friderico Duce Mediano monasterio concessæ fuerunt, ipsius Ducis nomen præferunt & in Archivo ejusdem monasterii servantur. Quæ verò à prædicto Alexandro Abbate ejusque Conventu eidem Friderico Duci datæ sunt, ab ipsius Alexandri nomine cum adjunctione Conventus exordiuntur & in Archivo Serenissimorum Lotharingiæ Ducum custodiuntur. *

* *Leguntur etiam in manuscripto Codice Cameræ computorum Barroducensium.*

Visivallum tunc erat locus satis amplus & populosus, sed constructa urbe Ravonensi valdè imminutus est. Propriam habebat Ecclesiam parochialem divo Leodegario dicatam in eoque loco sitam ubi nunc ejusdem Sancti Capella cum adjuncto eremitorio cernitur.

Sub Alexandro Abbate nobiles quidam Domini de *Acherich* Jus patronatum Ecclesiæ ejusdem loci usurpare tentaverunt: sed præsentatus ab eis presbiter causâ cecidit & per infra scriptam sententiam ab eadem Ecclesia remotus fuit.

Per hanc sententiam Rector Ecclesiæ parrochialis de *Echerich* ad præsentationem Abbatis & Conventus Mediani monasterii institutus manutenetur contra præsentatum à Dominis de *Echerich*.

1279.

In Dei nomine Amen. Cum diceret & proponeret in jure, coram nobis Decano Ecclesiæ B Stephani in Sarburg *Metensis Diœcesis & Cantore ejusdem Ecclesiæ cui Abbas de Hugonis curia Argentinensis Diœcesis vices suas commisit, Judicibus à Sede Apostolica delegatis, Arnoldus Rector Ecclesiæ de* Echerich, *Argentinensis Diœcesis, quod cum ipse olim ad eandem Ecclesiam tunc vacantem ab Abbate & conventu Mediani monasterii, Ordinis sancti Benedicti, Tullensis Diœcesis, veris Patronis ejusdem Ecclesiæ, quondam Bertholdo Archidiacono loci ad quem de antiqua & approbata & hactenus pacificè observata consuetudine institutio Rectoris in eadem Ecclesia pertinet, fuisset canonicè præsentatus: idem Archidiaconus ipsum legitimè ad Ecclesiam prædictam admisit, ipsumque instituit in eadem, quam dictus Arnoldus per multos annos possedit pacificè & quietè. Verum postmodum nobiles viri Hanericus, Gerardus, Cuno, Concermannus, Domini de* Echerich,

rich, *Johannes de* Virebalen *& Ercemannus dictus* Waflart *Armigeri prædictæ Argentinensis Diœcesis falsò asserentes ipsius Ecclesiæ se patronos & quod Ecclesia ipsa vacabat, Gerardum Clericum Ecclesiæ de Risquivilla Basiliensis Diœcesis, ad eandem Ecclesiam Frederico Archidiacono prædicti loci, successori prædicti Bertholdi, de facto cum de jure nequiverint, præsentarunt; qui dictus Fredericus eodem Arnoldo non monito nec citato & absente, non per contumaciam, instituit in Ecclesia supradicta, quam dictus Clericus Gerardus tali prætextu per violentiam occupavit & eandem detinet occupatam, in ipsius Arnoldi præjudicium non modicum & gravamen; Et ob hoc peteret præfatus Arnoldus institutionem seu investituram de facto prædicto Gerardo factam per præfatum Dominum Fredericum nunc præpositum cassam & irritam nuntiari, & condemnari nihilominus eundem Gerardum ad restitutionem fructuum in memorata Ecclesia perceptorum, ac super ipsa Ecclesia ipsi Gerardo silentium imponi. Dictus quoque Gerardus habitâ copiâ hujus petitionis ad proponendum quasdam exceptiones tam contra Jurisdictionem nostram, quam contra petitionem præmissam personaliter pluries comparuit, super quibus rationibus hinc inde propositis, plenius auditis & intellectis interloquendo pronuntiavimus, prædictum Gerardum non obstantibus exceptionibus ejusdem, petitioni ipsius Arnoldi respondere debere. Dicto igitur Gerardo post hæc pluries à nobis citato & per contumaciam se absentante, nos à dicto Arnoldo recepto juramento calumniæ seu de veritate dicenda, factis positionibus ab eodem & habitis pro confessatis ob contumaciam ipsius Gerardi, cum singulis dilationibus à nobis citatus extitit cum intimationibus debitis, nec comparere curavit. Tandem concluso in negotio & die assignata partibus ad diffiniendum, videlicet feriam quartam ante inventionem B. Stephani, dictus Gerardus per se nec per alium comparuit, dicto Arnoldo legitimè comparente & cum instantia postulante ut ad diffinitivam procedere dignaremur, de Jurisperitorum consilio, ipsius Gerardi absentiam divinâ replente præsentiâ, consideratis, auditis & plenius intellectis rationibus hinc inde propositis, comperimus intentionem ipsius Arnoldi rite fore probatam, ordine juris in omnibus observato, institutionem per prædictum Fredericum de dicto*

cto Gerardo factam irritam & cassam nunciantes, diffiniendo proferimus & sententialiter judicamus dictum Gerardum debere restituere ipsi Arnoldo tanquam vero pastori dictam Ecclesiam cum fructibus & proventibus ab ipso Gerardo suæ occupationis tempore perceptis, & qui ab ipso Arnoldo recipi potuissent si ipsi possidere licuisset: ipsi Gerardo super occupatione ipsius Ecclesiæ perpetuum silentium imponentes. Condemnamus etiam per eandem nostram sententiam diffinitivam dictum Gerardum ipsi Arnoldo ad solutionem faciendam omnium expensarum in lite factarum quarum taxationem nobis reservamus. Datum & actum in Consistorio Decani prædicti apud Sarburch, præsentibus Domino Jacobo officiali venerabilis viri Domini Joannis Archidiaconi in Ecclesia Metensi, Henrico presbitero dicto Bishof *de* Sarburch, *Cunone Rectore Ecclesiæ de* Suekesingen, *Hugone Rectore Ecclesiæ de* Lukeshem *& aliis quam pluribus fide dignis, Sabbato post inventionem B. Stephani prorogato à feria quarta præcedente, anno Domini* M. CC. LXXIX. *in cujus rei testimonium & evidentiam pleniorem præsentibus litteris sigilla nostra duximus apponenda. Datum ut supra.*

Anno verò 1282. supra memoratus Gerardus recognovit Abbatem & conventum Mediani monasterii veros esse patronos Ecclesiæ de Echerich, idque publico hoc instrumento contestatus est.

1282. *Coram nobis Judice Curiæ Argentinensis constitutus in forma juris Gerardus Clericus de* Richenvilre *confessus est & publicè recognovit præsentationem de se factam à Cunone, Conrado, Wasselario militibus de* Echerich *& Johanne de* Echerich, *asserentibus se esse patronos Ecclesiæ de* Echerich, *non valere nec tenere, nec etiam se quidquam juris ex eadem præsentatione assecutum esse, cum viros Religiosos Abbatem & Conventum Mediani monasterii, Ordinis S. Benedicti, Tullensis Diœcesis, veros esse Patronos Ecclesiæ de* Echerich *assereret memorata, & esse in possessione juris præsentandi Rectorem ad dictam Ecclesiam de* Echerich. *Et ob hoc dictus Gerardus ductus Jurisperitorum consilio, ut dicebat, dictæ præ-*

Præsentatus à Dominis de Echerich ad Ecclesiam ejusdem loci agnoscit Abbatem & Religiosos Mediani monasterii veros esse præ-

præsentationi sibi à dictis personis de Echerich *factæ & omni juri sibi ex eadem competenti renuntiavit expressè, recognoscens dictos Religiosos & Conventum Mediani monasterii esse dictæ Ecclesiæ de Echerich Patronos & in possessione esse juris præsentandi Rectorem ad Ecclesiam memoratam; promittens quoque juramento præstito corporali hujusmodi renunciationi, confessioni & promissioni coram nobis factis per se vel per alium non contravenire in posterum vel ad præsens. In cujus rei testimonium sigillum Curiæ Argentinensis ad petitionem dicti Gerardi præsentibus est appensum. Actum & datum anno Domini* M.CC. LXXXII. *feria quinta post festum Petri & Pauli Apostolorum.* dictæ Ecclesiæ Patronos.

Circa idem tempus Fredericus Dux Lotharingiæ concesserat Conrado de *Landesperg* advocatiam Curiarum de *Veldkirchen* & *Hundesheim*; sed hæc concessio effectum suum sortiri non potuit, quia nullo jure nitebatur, ut legere est in sequenti epistola ejusdem Conradi ad præfatum Fredericum.

Epistolas Conradi de *Landsperg* ad Fridericum Ducem Lotharingiæ. 1283.

Domino suo illustri & reverendo Duci Dei favore Lutringiæ, Conradus de Landesperg suus fidelis paratum in omnibus & debitum famulatum. Vestræ benignitati gratias refero quantumcumque valeo copiosas, & utinam digne possem referre pro eo quod michi inter cætera beneficia Advocatiam Curiarum in Veldkirchen *& in* Hundensheim *Religiosorum Abbatis & Conventus Mediani monasterii præ cæteris contulistis. Verum cum de jure meo & vestro dictarum curiarum à Senioribus ac Sapientioribus totius Alsatiæ & maxime à vicinis hominibus dictarum Curiarum nobilibus, Burgensibus & aliis toto conamine perquisissem, cum jam dicti Religiosi me pro Advocato nullatenus habere vel recognoscere voluissent, nec dictam Advocatiam à vobis vel ab aliquo quocumque conferri debere vel eandem aliqualiter subsistere, sed sibi competere & semper competiisse quærere & eligere defensorem & gubernatorem in jam dictas Curias, personas jura & redditus earumdem, pro sua libito voluntatis, qui ad prædicta regenda fortior esset atque potens, & quod hujusmodi jus à tempore longissimo legitime præ-*

Nemini competit conferre Advocatiam Curiarum de *Veltkirch* & de *Hundesheim*, præterquam Abbati & Conventui Mediani monasterii

præscripsissent, constantissimè asseruissent Religiosi memorati, inveni quod veritas præmissorum per omnia suffragaretur eisdem, consilio Jurisperitorum & aliorum proborum virorum super ipsis habito & requisito. Jam dicti etiam Religiosi me coram Judicio ordinario Argentinensi multipliciter vexant atque meos pro receptione Advocatiæ memoratæ, & quia ex causis præmissis recognosco nichil vobis neque michi juris competere ad prædicta, ipsam advocatiam de facto non de jure michi concessam, vestræ gratiæ cum litteris collatis super ipsa liberaliter remitto, ad vestram gratiam deservire volens ut me in aliis beneficiis respicere velitis, cum facultas se ad id obtulerit gratiosè. Datum XII. *Kal. Julii anno Domini* M CC. LXXX. *tertio.*

Eadem die idem Conradus de *Landesperg* prædictam renuntians advocatiam, sequentes litteras ad Abbatem & Religiosos Mediani monasterii direxit.

Epistola Conradi à *Landsperg* ad Abbatem & Conventum Mediani monasterii quibus significat se renuntiasse custodiæ curiarum de *Veldkirch* & de *Hundesheim* sibi à Domino Duce Lotharingiæ collatæ.

Religiosis viris Domino Abbati & Conventui Mediani monasterii, Tullensis Diœcesis. Conradus Dominus de Landesperg *quidquid potest obsequii cum salute. Dilectioni vestræ & devotioni ac aliis universis præsentes litteras inspecturis significo harum serie litterarum, nec me nec meös successores, hæredes, vel liberos, ullum jus habere vel nobis aliqualiter competere in advocatia vel dominio Curiarum vestrarum in* Veldkirchen *& in* Hundensheim, *bonis, hominibus, animalibus seu quibuscumque Juribus spectantibus seu pertinentibus, ad curias vel in curtas antedictas. Et si quod jus michi vel meis successoribus prædictis competiit vel competere potuit, occasione concessionis advocatiæ jam dictarum curiarum & attinentiis earumdem in modum præscriptum, & à nobili viro Domino Duce Lutringiæ michi facta atque meis, illo juri liberaliter sponte & in toto, pro me meisque hæredibus renuntio in hiis scriptis ac litteris à præfato Duce michi & meis successoribus super jam dicta advocatia traditis atque datis; cum testimonio fide dignorum didiscerim veraciter præfatum Dominum Ducem nihil juris habere debere in collatione advocatiæ prædictarum Curiarum & appendiciis earumdem. In quorum perpetuam probationem*

nem has litteras vobis dirigo, sigilli mei unà cum sigillis fratris mei Præpositi Sanctæ Trinitatis in Spira, Domini Ottonis procuratoris scholastici Honaugensis, Magistri Johannis Canonici sancti Thomæ Argentinensis munimine roboratas. Nos Præpositus, Otto procurator & Magister Johannes præscripti sigilla nostra ad petitionem dicti Domini C. de Landesperg pro ipso & suis successoribus, litteris præsentibus appendimus, in probationem omnium præmissorum. Nos Wernherus miles, Anselmus, Johannes, Cunzelinus, Eberhardus, & Egenolfus fratres, liberi Domini C. prædicti, unà cum Patre nostro confitemur universa & singula quæ superius sunt expressa esse vera, renunciantes simpliciter & in toto Juri universi nunc in jam dictis advocatiis & eisdem attinentibus, occasione concessionis * *Domini Ducis Lutringiæ nobis facta, litteris ab ipso impetratis & concessis nobis competenti vel in posterum competituro, sigillo Patris & Domini nostri prædicti esse volumus contenti pro nobis, in perpetuam probationem omnium præmissorum. Datum anno Domini* M. CC. LXXXIII. XII. *Kal. Julii.*

* *Deest hoc verbum in Autographo.*

Transactis post prædictam Renunciationem tribus diebus hoc est in vigilia B Joannis Baptistæ ejusdem anni, Alexander Abbas & Conventus Mediani monasterii, Curiarum suarum de *Veldkirchen*, *Hundesheim* & *Ultratzheim* custodiam tertiò commiserunt Conrado Domino de *Landesperg*, quem in illarum defensorem elegerunt ad decem annos, sub forma, modo & conditionibus iisdem quas ad annum 1275. retulimus.

Anno autem 1284. Fredericus Dux Lotharingiæ expressè revocavit concessionem à se factam advocatiæ Curiarum de *Veldkirchen*, *Hundesheim* & *Rorsi vilre*, ad jus & proprietatem Mediani monasterii in Alsatia pertinentium. Sequuntur litteræ hujus revocationis.

Nos Fredericus Lothorengiæ Dux & Marchio, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod nos concessionem seu infeodationem factam à nobis, nobilibus viris Domino Olrico de Ra-

Revocatio collatæ á Friderico Duce prædictarum Cu-

riarum custodiæ. Rapolsteine, *Conrado de* Landesperch *ac haredibus eorum*, *de advocatia trium Curiarum ad jus & proprietatem Mediani monasterii Tullensis Diœcesis pertinentium, videlicet* Veldkirche

1284. *prope* Ehenheim & Hundesheim *ac* Rorswilre * *Argentinensis & Basiliensis Diœcesium, per præsentes litteras revocamus, & omne jus quod nobis competebat seu competere poterat in advocatiis dictarum trium Curiarum Ecclesiæ Mediani monasterii, pro remedio animæ nostræ & prædecessorum nostrorum in eleemosinam perpetuò concedimus; volentes & consentientes quod prædicti Abbas & Conventus Mediani monasterii sibi possint eligere defensorem seu Advocatum in dictis Curiis & earum pertinentiis, quotienscumque & quandocumque voluerint, ac eundem si voluerint amovere quotienscumque ipsis videbitur expedire. Nec dictos Abbatem & Conventum inquietare seu molestare possumus, si præter consensum nostrum defensorem seu Advocatum in dictis Curiis sibi duxerint eligendum, nec nos præter consensum eorum in dictis Curiis alium possumus ponere Advocatum. Nos & successores nostros ad omnia & singula supradicta firmiter observanda, per præsentes litteras obligantes. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Actum & datum anno Domini Millesimo ducentesimo octuagesimo quarto, feria quarta ante festum B. Mariæ Magdalenes, mense Julio.*

* *Vulgò* Rochevir.

Donatio Frederici Ducis in compensationem damnorum à se illatorum.

Anno 1289. præfatus Fredericus Dux Lotharingiæ pro remedio animæ suæ & antecessorum suorum & pro forefactis seu damnis quæ Ecclesiæ Mediani monasterii intulerat, donavit & concessit Abbati & Conventui ejusdem Ecclesiæ, quidquid tum ipse tum ejus hæredes habebant aut habere poterant & debebant, tam in loco Mediano quam in banno ejus & in Villis & bannis ab eadem Ecclesia dependentibus: nec non apud Barbonvillam & S. Mariam & in bannis illarum, cum homine quem habebat apud Asseium * in vico qui Abbatis vicus dicitur **, absque ulla reservatione vel exceptione; salva tamen Guardia seu protectione prædictæ Ecclesiæ, quam sibi suisque hæredibus servavit & retinuit in perpetuum. Qua de re lit-

* *Essey la coste.*
** *La ruë labbé.*

Guardiæ seu protectionis reservatio.

litteras Gallico idiomate confectas suoque sigillo & sigillo Officialis Tullensis ad ejus requisitionem munitas dedit, prædicto anno mense Aprili.

Anno 1291. Nicolaus Papa IV. cupiens ut Ecclesia Mediani monasterii præcipuo apud fideles honore haberetur, sequentes indulgentias illam frequentantibus concessit.

Nicolaus Episcopus servus servorum Dei &c. Cupientes igitur ut Ecclesia dilectorum filiorum Abbatis & Conventus monasterii S Petri de Mediano monasterio congruis honoribus frequentetur, de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis qui eandem Ecclesiam devotè visitaverint annuatim, in ipsius sancti Petri & S. Hidulphi, cujus corpus in eadem Ecclesia requiescere dicitur, festivitatibus & per octo dies festivitates ipsas immediate sequentes, nec non & in anniversario die dedicationis ipsius Ecclesiæ unum annum & quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum apud urbem veterem x. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno quarto.

Indulgentiæ de injunctis pœnitentiis pro festivitatibus SS. Petri & Hidulfi, nec non anniversario Dedicationis Ecclesiæ.

Anno 1292. Joannes dictus de Kirch Rector Ecclesiæ parochialis de Hindisheim Capellaniam sancti Michaelis in eadem Ecclesia fundavit, & Capellani præsentationem ad Abbatem Mediani monasterii, tanquam dictæ Parochialis Ecclesiæ Patronum pertinere voluit, ut ex ejus testamento constat.

Fundatio Capellæ S. Michaelis in *Hyndisheim.*

Anno 1294. Alexander Abbas renovavit advocatiam Domini Conradi de *Landesperg* pro Curiis de *Feldkirche*, *Hundensheim* & *Utratzheim* ad decem annos. 1294.

Anno 1296. tres infra scripti Milites de *Andlavv* ab Abbate & Conventu Mediani monasterii receperunt quosdam homines prædicti monasterii possidendos jure feodali ut sequitur.

No-

Nobilibus ab *Andlaw* dantur in feodum homines Mediani monasterii se transferentes inter flumina *Venchene* & *Bruscam* vulgò *La Brusche*. Salvo tamen censu capitali ab iisdem hominibus debito.

Notum sit universis tam præsentibus quam futuris, quod nos Rodulfus, Henricus & Ebrardus milites de Andelai *recepimus jam pridem & de novo recipimus præsentibus litteris innovando, à Religiosis viris Domino Alexandro divinâ providentiâ Abbate Mediani monasterii & à conventu ejusdem loci, jus & gratiam quam progenitores nostri tenuerunt à dictis viris religiosis & prædecessoribus eorumdem: scilicet omnes homines utriusque sexus monasterii prædicti recedentes à contractibus & terminis suis, & manentes vel se transferentes inter duo flumina videlicet* Venchene *&* Bruscam *in partibus Alsatiæ, jure feodali tam à nobis prædictis fratribus quam nostris hæredibus perpetuo possidendos; salvo tamen censu quem de corporibus suis dicti homines prædicto monasterio solvere tenentur annuatim. Hoc etiam adjecto quod Domino de Landsperg & Waltero de Girbaden in hominibus qui sub eis resident per hujusmodi receptionem nostram seu dictorum Religiosorum concessionem nullum præjudicium generetur, nec etiam posteris eorum. Promittentes insuper nos prædicto monasterio, personis & rebus ejusdem ubicumque detentæ essent vel impeditæ, auxilium, consilium & favorem benigne & fideliter impensuros. Ut autem prædicta receptio rata permaneat, sigilla nostra præsentibus duximus apponenda in evidentiam præmissorum. Datum anno Domini M. cc. nonagesimo sexto.*

Eodem anno Abbas & Conventus Mediani monasterii ex una & Abbas & Conventus Styvagii ex altera partibus, concordiam fecerunt super jure pascendi ipsis & hominibns ad ipsos pertinentibus respectivè competente, tam ultra quam citra fluvium Mortam; cujus concordiæ instrumentum gallicè conscriptum est.

Ex Archivo Senoniensi 1299.

Anno 1299 idem Alexander sigillum suum apposuit cuidam acquisitioni factæ per Balduinum Abbatem Senoniensem à Joanne Petit Rectore Ecclesiæ de Nossoncuria.

Ex eodem Archivo 1302.

Denique anno 1302. sigillo suo communivit litteras donationis factæ Ecclesiæ Senoniensi, per quemdam Rectorem Ecclesiæ de *Moyen* Dominicum nomine, die vene-

neris post assumptionem beatissimæ Virginis mense Augusto. Sicque hic Abbas Medianum monasterium rexit annis saltem quadraginta.

WALTERUS Abbas Mediani monasterii pro componenda quadam controversia inter ipsum & Theodericum Abbatem Belli campi exorta, compromisit in Magistros Jacobum de Nanceyo & Dominicum de Domno Martino Canonicos sancti Deodati, arbitros utriusque partis assensu deputatos & electos; cujus compromissi instrumentum confectum est anno Domini M. ccc. quarto, Sabbato post festum sancti Vincentii, hoc est die xxv. Januarii. WALTERUS Abbas. 1304.

Anno 1307. Philippus dictus de *Thilleul* armiger & Advocatus pro parte Villæ de *Thyauville* recepit a Waltero Abbate & Conventu Mediani monasterii unum pratum situm in Banno & finagio de Capella, juxta fluvium *Murth*, sub annuo censu sex solidorum Tullensium. 1307.

Annis 1309. & 1315. idem Walterus Abbas & Conventus Mediani monasterii curias suas de *Veldkirchen*, *Hundesheim* & *Utratzheim* Galtero militi de *Landesperg* tradiderunt custodiendas, sub forma superius relata ad annum 1275. sed non nisi ad quinque annos pro utraque vice. 1309. 1315.

Anno 1310. Incolas bannorum de Mediano monasterio, de Werria * & Denipario ** à primæva illorum servitute Walterus Abbas ejusque Conventus liberare cœperunt, pecuniarias præstationes quas prius ad arbitrium Abbatis & Conventus persolvebant, plurimum imminuendo & certas consuetudinariasque in posterum reddendo. Retinuerunt tamen sibi suoque monasterio in prædictos Incolas Bannum, Justitiam, Dominium, solitas alias præstationes & omnia omnino servitia, ut patet ex instrumento, in quo præterea cautum est quod si idem mo- 1310.

* *La Voivre.*
** *Denipaire.*

Exemptio primævæ servitutis Incolarum Mediani loci, de Werria & Denipario, sub certis restrictionibus.

monaſterium Incendiorum caſibus, Bellorum injuriis aut Dominorum vexationibus evidenter gravaretur ac premeretur, tunc juxta Abbatis & quatuor Dominorum Religioſorum & graviorum dicti monaſterii virorum deliberationem, prædicti incolæ illis opem ferre & ſubſidiari tenerentur, quodque ſi infra quadraginta dies id facere detrectarent, à conceſſa ſibi gratia penitùs exciderent.

1314. * *Serres.* Anno 1314. Albertus Rector Eccleſiæ Parochialis de Serris * poſt varias querelas ſuper perceptione decimarum tam groſſarum quam minutarum & novalium in banno & territorio ejusdem loci, in quandam cum prædicto Abbate ejusque Conventu devenit concordiam, quam ſe obſervaturum promiſit & litteris datis in feſto S. Martini hyemalis confirmavit.

1316. Anno 1316. Abbas & Conventus Mediani monaſterii emerunt ſibi domum in civitate Argentinenſi: ſed quis ille Abbas fuerit non notatur in litteris de hac re confectis.

Bencelinus Abbas 1317. Bencelinus ſeu Benzelinus Abbas Mediani monaſterii reperitur primá vice anno 1317. quo quidem anno VIII. Idus Novembris certam penſionem aſſignavit & annuatim perſolvere promiſit, duabus filiabus ſororibus, quæ domum & quinque *agros univerſos cum dimidio*, nec non alia quædam bona in Villa & banno de Rorſvilre Mediano monaſterio contulerant.

1319. Anno 1319. „Nobiles quidam pia devotione permo„ti pro ſuarum parentumque & progenitorum ſuorum „animarum ſalute, animo inſtituendi de novo, Sacer„dotalem præbendam perpetuam, quædam bona dona„verunt irrevocabiliter altari quod eſt in Capella S. Bar„baræ Virginis in oppido inferioris *Ehenheim*, Argenti„nenſis Diœceſis conſtructum, & in honore Dei & ejus„dem S. Barbaræ Virginis conſecratum, ſeu dictum al„tare

Fundatio Capellæ S. Barbaræ in inferiori *Ehenheim*

„ tare bonis eisdem dotaverunt, pro sustentatione unius „ Sacerdotis sæcularis, qui ad eandem præbendam legiti- „ mè institutus, in altari antedicto, in quantum ei de jure „ conceditur & opportunitas atque possibilitas finit & „ permittit, singulis diebus perpetuò, absque tamen „ parochialis Ecclesiæ præjudicio aliquali, faceret & cele- „ braret sicut ei divinitus inspiratum esset unam missam, „ & sicut cæteri Sacerdotes ejusdem districtus loci, Archi- „ diacono subjaceret. Quæ omnia sic data, facta & con- „ stituta sunt expresso accedente consensu Abbatis Me- „ diani monasterii, patroni ejusdem loci, qui tamen Ab- „ bas non Benzelinus sed Benzo hic nuncupatur. de consensu Abbatis Mediani monasterii.

1320. Anno 1320 Henricus dictus Arzot Sacerdos ad prædictæ Capellæ præbendam, *per honorandum virum Dominum Benzelinum Abbatem Mediani monasterii jure patronatus præsentatus fuit*, & ab Gebehardo de Friburgo Ecclesiæ Argentinensis præposito institutus.

1323. Anno 1323 inter Bencelinum Mediani monasterii Abbatem ejusque Conventum & Jacobum S. Agerici * Virdunensis pariter Abbatem ejusque Conventum instituta est specialis confraternitas, deque illa confectum fuit Cyrographum, cujus altera pars Mediano monasterio, altera verò monasterio ejusdem S. Agerici Virdunensis tradita est custodienda. Quæ in nostro Mediano monasterio reperitur sic habet.

* *S. Airy.*

Universis præsentes litteras inspecturis Jacobus permissione Dei Abbas S. Agerici Virdunensis totusque ejusdem loci Conventus salutem in Domino. Norunt omnes fideles & maximè Religiosi, quod si pii Magistri ac Domini JEsu Christi volunt esse discipuli, ad ipsius speciale mandatum specialius tenentur quod invicem se diligant, ipso attestante qui ait: In hoc cognoscent omnes quod mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem. Verùm cum dilectio probari non possit sicut dicit Gregorius, nisi ad altos se Confraternitas Abbatis & Conventus Mediani monasterii cum Abbate & Conventu S. Agerici Virdunensis.

extendat, ad omnium volumus notitiam pervenire, quod nos illius exempla sequentes qui ut nos à morte liberaret per adoptionis sua gratiam nos sibimet uniens, Deitatem suam humanitati nostræ misericorditer copulavit, fraterna dilectionis unionem imitari volentes, specialem societatem inter nos & viros Religiosos Abbatem & Conventum Medii monasterii in Vozago, Tullensis Diœcesis, de communi voluntate & assensu utriusque monasterii, nostri videlicet & ipsorum, statuimus ut quociens dicti monasterii Abbatem ad monasterium nostrum venire contigerit, nos ipsum tanquam Patrem ac Dominum benignè recipiemus & omnem reverentiam tanquam proprio Abbati exhibentes eidem obediemus, ut si ei placuerit Capitulum teneat, culpas emendet, penas & sententias fratrum, si aliquas invenerit relaxet, discordes siquos invenerit Abbati reconciliet, & omnia faciendi tanquam proprius Abbas loci potestatem habeat: salva tamen juris & ordinis disciplina. Præterea si aliquem de monachis suis ad monasterium nostrum nobis transmittat ad morandum, nos ipsum begninè recipiemus & eum tanquam unum ex Professis monasterii nostri in omnibus necessariis, tam in spiritualibus quam in temporalibus tractabimus, & in Capitulo erit nobiscum. Præterea quociens obitus Abbatis vel monachi præfati monasterii nobis fuerit præsentatus, nos ipsorum memoriam begninè & caritativè tractantes, campanis in instanti omnibus pulsatis, solemne officium integraliter pro ipso, tanquam pro uno de Professis nostris celebrabimus & nomen ejus in libro capituli inscribemus. Et in hiis omnibus sicut nos ipsis, similiter ipsi nobis tenentur, ut simul nos per hanc mutua fraternitatis societatem in cœlis ubi vera pax semper manet & unitas, associari mereamur. Verum ut hæc societas inviolabiliter observetur, præsens manet Cyrographum, cujus altera pars sigillis nostris sigillata in sæpe dicto Medio monasterio in Vozago, altera verò pars sigillis ipsorum munita penes nos perpetuò servabuntur in robur & testimonium veritatis. Actum anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo tertio prima die mensis Maij.

1324. Anno 1324. Gunthero armigero filio quondam Domini Egenolfi de *Landesperg* militis Bencelinus Abbas pro-

rogavit custodiam Curiarum de *Veldkirche*, *Hundesheim* & *Utratzheim*, ad quatuor annos solita sub forma.

Anno 1326. idem Bencelinus hospitio recepit fratrem Joannem à Bayono Ordinis Prædicatorum cognationis fœdere sibi conjunctum, ipsumque exhortatus est ut historiam Mediani monasterii perscriberet, ut legere est in prologo ejusdem historiæ. 1326. Joannes à Bayono hospes in Mediano monasterio.

Anno 1328 Johannes Comes de Salmis, Bancelinus Abbas Senoniensis & Bencelinus Abbas Medianensis societatem inierunt & communitatem fecerunt de Sylvis vulgò de *Ravine* dictis, quarum limites accuratè describuntur in litteris hac de re confectis Sabbato ante festum Beatæ Mariæ Magdalene, mense Julio Ut autem hujusce communitatis participes essent Bencelinus Abbas Medianensis ejusque Conventus præfato Johanni Comiti de Salmis eadem die cesserunt omnes silvas quas habebant in banno loci olim *Petri scamnum* hodie verò *Pexonia* * dicti; retentis sibi nihilo minus omnibus ejusdem banni decimis & cunctis usuariis in dictis sylvis, pro quibuscumque necessitatibus domus suæ de Montiniaco **, Molendini sui & Ecclesiarum de dictis Pexonia & Montiniaco, nec non Pascuis pro animalibus ejusdem domus suæ apud Montiniacum. 1328. Communitas de silvis vulgò dictis de Ravine.

* *Pêchone.*

** *Montigny.*

Anno 1332. Abbas & Conventus Mediani monasterii exposuerunt Joanni XXII. summo Pontifici quod cum „ jus patronatus parochialium Ecclesiarum de *Veldkirchen* „ & de *Hundesheim* Diœcesis Argentinensis ad eos pertine„ re noscatur, nonnulli nobiles & potentes illius patriæ, „ in quibusdam vacationibus dictarum Ecclesiarum pro „ tempore occurrentibus, eosdem Abbatem & Conven„ tum opprimerent & diversimodè persequerentur: bo„ na ipsius monasterii rapiendo, & multipliciter dampnifi„ cando idem monasterium, ut ipsum Abbatem com- 1332. Supplica pro unione Ecclesiarum Parochialium de Veltkirch & Hyndisheim.

 „ pel-

„pellerent ad hoc quod ad easdem Ecclesias aliquem de „dictis nobilibus aut ipsorum consanguineis præsenta„ret, quod nisi faceret, bona prædicta usurpabant, dis„sipabant & consumebant, ipsumque monasterium sic „enormiter lædebant, quod de juribus & redditibus dicti „monasterii existentibus in illa patria dictos Abbatem & „Conventum gaudere pacificè non permittebant, & sic „adeò propter hoc fuisset & esset idem monasterium gra„viter dampnificatum in incendio domorum, grangia„rum & Curiarum suarum in illis partibus existentium, „guerris & oppressionibus multipliciter afflictum, va„riisque creditoribus in tot magnis & diversis pecunia„rum quantitatibus obligatum, quod ad victum fratrum „& monachorum & hospitalitatem præstandam, ac satis„factionem debitorum prædictorum ipsius monasterii „non suppeterent facultates; Quare præfati Abbas & „Conventus humiliter supplicaverunt, ut cum ipsi ve„risimiliter dubitarent in futuris dictarum Ecclesiarum „vacationibus sibi talia damna fieri vel majora, eis & „præfato monasterio sanctitas sua pio compatiens affe„ctu, dictisque damnis & oppressionibus occurrens, „prædictas parochiales Ecclesias, cum omnibus juribus „& pertinentiis suis eidem monasterio in perpetuum in„corporare & unire dignaretur. Cui supplicationi fa„vorabiliter annuens idem summus Pontifex, ac volens „prædicto monasterio super his de opportuno provisio„nis remedio subvenire, Episcopo Argentinensi com„misit & mandavit quatenus plenam informationem re„ciperet de prædictis, & si ea reperiret ita esse, prædi„ctas parochiales Ecclesias cum omnibus juribus & per„tinentiis suis auctoritate Apostolica in perpetuum in„corporaret & uniret monasterio prælibato. Reserva„tis tamen de ipsarum parochialium Ecclesiarum pro„ventibus, singulis perpetuis Vicariis in eis virtutum „Domino perpetuò servituris, & per dictum Abbatem „suosque successores ipsius monasterii Abbates præsen„tan-

Rescriptum Joannis Papæ XXII. pro dicta unione.

„tandis, singulis congruis portionibus &c. Quod Rescriptum datum fuit Avenione VI. Kal. Octobris, pontificatis ejusdem Joannis XXII. Papæ anno decimo septimo. Illo autem recepto Bertholdus Episcopus Argentinensis plenâ informatione habitâ de præmissis, cum comperisset narrata & exposita ab Abbate & Conventu Mediani monasterii esse vera, præfatas Ecclesias parochiales juxta mandatum Apostolicum cum omnibus juribus & pertinentiis suis in perpetuum incorporavit & univit eidem monasterio; Cujus incorporationis & unionis instrumentum datum & actum est Argentinæ, feriâ quintâ proximâ post festum Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, anno Domini Millesimo tricentesimo trigesimo tertio.

Eadem unio facta per Bertholdum Episcopum Argentinensem.

Anno 1340. idem Bertholdus Argentinensis Episcopus subjectas dedit litteras pro Capella B. Barbaræ in inferiore Ehenheim sita & fundata, quam in titulum perpetui beneficii erexit. 1340.

Nos Bertholdus Dei gratia Episcopus Argentinensis notum facimus tenore præsentium universis, quod exposito nobis ex parte incolarum oppidi inferioris Ehenheim *nostræ Diœcesis, quod certa bona & redditus subscripti, dudum ex pia largitione fidelium desiderantium ibidem in Capella S. Barbaræ cotidianam haberi Missam, in ortu diei dicendam, cum Ecclesia Parochialis extra ipsum locum sit situata, ad prabendam Missæ hujusmodi sint donati, & quod propter paucitatem redditumm hujusmodi pius affectus nondum sit consecutus effectum, ita quod prabenda hujusmodi possit habere processum. Item & quod alia bona & redditus subscripti dudum & ante multos annos in ipso oppido donati & deputati sint per olim decedentes ad elemosinam Christi pauperum, & quod hujusmodi elemosina nullo exequente bonisque subtractis optato frustratur effectu. Itemque ex parte eorumdem incolarum quatenus eosdem redditus Christi pauperum ad prædictos redditus prabendæ sacerdotalis ut processum habere valeat, unire auctoritate ordinaria dignaremur. Nos qui ex officii nostri debito tenemur pias exequi de-*

Litteræ erectionis Capellæ S. Barbaræ in inferiori *Ehenheim* in perpetuum beneficium.

decedentium voluntates, volentes utrorumque videlicet ad prabendam & ad eleemosinam largientium bona sua piis affectibus suffragari, eadem bona ad prabendam sacerdotalem pro perpetua Missa in pradicta Capella in ortu diei frequenter dicenda, absque omni prajudicio Ecclesia Parochialis donata, eidem prabenda authoritate nostra ordinaria confirmamus; volentes ut prabenda hujusmodi ex institutione nostra beneficium perpetuum censeatur, & quod iidem incola ad ipsam personam idoneam prima vice prasentent, jure patronatus seu prasentandi ad eam postea ad Abbatem Mediani monasterii Patronum Ecclesia Parochialis ibidem perpetuo pertinente. Sed quia iidem redditus ad prabendam donati, ad sustentationem Sacerdotis non sufficiunt, pradictos redditus ad elemosinam datos, ad prabendam secundum modum subscriptum autoritate ordinaria perpetuo deputavimus & prasentibus deputamus. Ita quod prabendarius ipsius prabenda perpetuo tanquam Executor super eo auctoritate Episcopali deputatus, agere & experiri valeat & debeat super illis; quos redditus elemosinarum etiam jam neglectos per decem annos ad ipsam prabendam pro sustentatione prabendarii deputamus, ipsius onerantes conscientiam ut ipsos investiget & colligat & ad jus & proprietatem ipsius prabenda & Christi pauperum revocari procuret. Post decem vero annos à data prasentium computandos, Capellanus ipsius prabenda qui pro tempore fuerit, quartam tantummodo partem eorumdem redditum elemosinarum pro labore suo recipiat, & residuum distribuere & dispensare in usus pauperum mendicantium ipsius oppidi, in diebus anniversariorum eorum qui ad hoc singulos redditus contulerunt. . . . . Datum & actum VII. *Idus Aprilis anno Domini Millesimo trecentesimo quadragesimo.*

1341. RODULPHUS Dux Lotharingiæ confirmat & declarat litteras donationis factæ à Friderico Duce an. 1289.

Anno 1341. Sabbato post Purificationem RODULPHUS Dux Lotharingiæ datam à Frederico Duce anno 1289. chartam confirmavit, & generalem prædictæ chartæ clausulam quâ idem Fredericus Ecclesiæ Mediani monasterii concessit quidquid tam ipse quam hæredes ejus habebant aut habere poterant & debebant in loco Mediano & banno ejus, & in Villis & bannis ab eadem Ecclesia dependentibus

tibus sic explicavit & declaravit: *Nous affin de desclairier lai generalitei de lai ditte clause & pour scavoir que lai ditte clause emporte en celle partieque dit: Et en Villes & en bans appertenans à Moyen monstier devant ditte, Desclairons & par ceu entendons, premier, ledit Ban de Moyen monstier, le Ban de Secept, ceu que lai ditte Englise y ait, lou Ban de la Vevvre, le Ban de Denipaire, les bans de Vizevaul, de Barbonville, de S. Marie, de Remenoville, de Moranville, d'Essey, de Brantigney, en tant comme les dittes Villes & bans appartiennent a la ditte Englise.* Sub finem instrumenti hujusce confirmationis & declarationis leguntur sequentia: *Et lidis Religious Abbé & Convent ont promis, si comme tenus y sunt, de recevoir a procession tous nos successeurs Dus de Loherenne a toujour maix, lai premere foix quil vanrout en lor Englise, quant il seront nouvel Duc & nouvel Chevalliers ausi, & venir a lencontre revestis en lors Estes * jusques a lai premiere porte.*

* *Estolles ou Chappes.*

Eodem anno è vita decessit Bencelinus Mediani monasterii Abbas, cujus fatalem exitum sufficienter reteget sequens præfati Rodulphi Ducis charta.

Nos Rodulphus Dux Lotharingiæ & Marchio, notum facimus præsentium inspectoribus universis, quod cum Johannes miles junior de alta Rapoltzstein *Religiosum virum fratrem Bencelinum bonæ memoriæ Abbatem Mediani monasterii, Ordinis S. Benedicti Tullensis Diœcesis, nuperrimè nostris insistendo servitiis cœperit, idemque Abbas, ipsum mancipatum deducendo ad fortalitium ipsius Johannis, prout Domino placuit, diem clauserit extremum; postmodumque vir nobilis Dominus Johannes miles Dominus de* Rapoltzstein *pater prædicti Johannis citiùs quam commode potuit ad nos personaliter accesserit, de hujusmodi forefacto in omnibus & per omnia quæ super hoc de eo dici possent ac impingi: videlicet scitu, assensu, consensu seu nutu aut alio quovis quæsito colore, coram nobis ac pluribus aliis Religiosis nobilibus & ignobilibus se reddidit innocentem & suo proprio juramento corporaliter præstito legitimè excusatum. Quam quidem excusationem*

Ex Archivo Ducali Nanceiano.

Bencelinus à Johanne milite de alta *Rapolstein* capitur & dum ad ejus

Fortalitium ducitur diem claudit extremum.

nem nos bonorum & peritorum freti consilio pro justa & legitima reputavimus, & tenore præsentium reputamus pariter & habemus. Ipsaque excusatione sic facta & per nos ut præmittitur admissa ac pro legitima reputata, idem Dominus Johannes pater nobis supplicavit humiliter ac devotè, ut nos divinâ gratiâ præcedente & nostri misericordia subsequente, prænominatum filium suum ad lamenta pœnitentiæ cordis contritione recurrentem & suum reatum confitentem, ad pacem & pacis tranquilitatem injunctâ sibi per nos modo culpæ (quantum in nobis est) pœnitentiâ salutari, recipere dignaremur. Nos igitur ipsius Domini Johannis Patris supplicationi tanquam rationi consona favorabiliter annuentes ac plurium Magnatum devicti instantiâ, ex causis rationabilibus nobis expositis præsentibus non insertis, paci & pacis tranquilitati præmissorum acquievimus & super hujusmodi forefacti correctione & emenda facienda, tam nos quam idem Dominus Johannes Pater, suo & dicti filii sui nomine & pro ipso condescendimus & compromisimus in nobilem virum Dominum Henricum militem Dominum de Albo monte, cujus arbitrio, ordinationi & prolationi stare promisimus & promittimus bona fide. Dictus vero dominus Johannes Pater suo & dicti filii sui nomine ac pro ipso, arbitrio ordinationi & prolationi dicti Domini de Albo monte etiam stare promisit per fidem suam super hoc corporaliter præstitam, nec non sub pœna mille marcharum argenti nobis applicandarum & solvendarum, si (quod absit) præfatus Johannes junior arbitrio ordinationi seu prolationi prædicti Domini de Albo monte minimè pareret, seu parere quoquo modo recusaret. Qui quidem Dominus de Albo monte pietate motus, onus hujusmodi compromissi in se suscipiens, informatus de præmissis fretusque super his bonorum & peritorum consilio, pacem firmam & concordiam integram & perfectam existere inter nos pro nobis nostrisque successoribus ac inter Dominum Johannem juniorem pro ipso ac suis hæredibus, amicis, complicibus & fautoribus quibuscumque, maturâ deliberatione præhabitâ reportavit perpetuis temporibus valituras in modo & forma inferiùs annotatis. Videlicet quod idem Johannes junior debet & tenetur assignare Abbati & Conventui Mediani monasterii prædicti decem solidatas terræ ad parvos Turonenses solvendos anno

Pœnæ inflictæ præfato Johanni de alta Ripolstein tan-

anno quolibet in perpetuum, pro Anniversario prædicti fratris Bencelini in dicto monasterio annuatim faciendo. Debet etiam dictus Johanes junior & tenetur cunctis diebus vitæ suæ Abbatem & Conventum monasterii de Mediano monasterio prædicti, tam in communi quam divisim & personas ejusdem tam in capite, quam in membris ubicumque pro viribus promovere, ipsorumque promotionem confovere, ac eisdem sub sui fidelitate juramenti præstare consilium, auxilium & favorem, ac bona & jura ipsius monasterii & personarum ejusdem protegere, defendere, tueri juxta posse. Insuper præfatus Johanes junior debet & tenetur apud nos condescendere personaliter, videlicet in proximo festo Nativitatis Domini, ad faciendam processionem quam sibi intimabimus, indutus simplici tunica sine Zona capiteque nudo, in suis manibus cereum tenens ardentem. Quod si dictus Johannes junior legitimo occupatus impedimento in dicto termino comparere non posset, cognito à nobis de hujusmodi impedimento, ipse idem ad alium terminum per nos præfigendum, super hujusmodi processione facienda tenebitur & tenetur coram nobis comparere & nostris super hoc parere mandatis. Postremò sæpedictus Johannes junior facta processione ut prædicitur immediatè seu ad alium terminum, ex causa sibi per nos præfigendum, iter debet arripere, cum pera & baculo, eundi causâ peregrinationis faciendæ & se transferendi ad Basilicam S. Thomæ Cantuariensis ultrà mare Anglicanum, citrà dictum mare nullatenus reversurus, donec nos eundem super hoc duxerimus revocandum. Et ut præmissa omnia & singula firmius per prædictum Johannem juniorem observentur, Domini Johannes de Hurebaiche, *Albertus de Aquilina & Renaldus de Nanceyo milites se erga nos super summa mille marcharum argenti prædicta constituerunt fidejussores, & nobis de dicta summa Redditores, si prædictus Johannes junior contrà præmissa venerit & fecerit, in toto vel in parte. In quorum omnium & singulorum testimonium sigillum nostrum unà cum sigillis Henrici Domini de Albo monte & totius Conventus Mediani monasterii prædicti, de nostri voluntate, consensu, laude & assensu litteris præsentibus duximus apponendum. Et Ego Henricus miles Dominus de Albo monte prædictus, qui excusationi præfati Domini Johannis Domini de* Rapoltzstein

quam authori mortis Bencelini Abbatis.

 præ-

Extant in Archivo Mediano litteræ annorum 1343., 1348. & 1358. quibus hic Johannes curias de *Veldkirchen*, *Hundesheim & Utratzheim* dedit in custodiam & tutelam Verlino armigero de *Landesperg* filio quondam Egenolfi junioris militis de *Landesperg*, servatâ quidem priori formâ, sed immutato auctoque stipendio, quod non decem ut priùs, sed quadraginta librarum Argentinensium fuit. **Conventionem pro custodia curiarum de *Veldkirch, Hyndisheim & Utratzheim* renovat.**

Anno 1347. cum Eberhardus dictus *Frentsche de Landesperg* miles, Dietricum natum Johannis dicti *Waldeber de Heilgenstein* ad Capellam seu præbendam altaris Capellæ S. Barbaræ, sitam in oppido inferioris *Ehenheim* & consistentem infra limites parochiæ de *Veldkirche*, absque ullo juris suffragio præsentasset, Joannes Abbas Mediani monasterii tanquam verùs ejusdem Capellæ Patronus utrumque traxit in causam, & dictum Dietricum per sententiam officialis Curiæ Domini Ulrici de Sygenowe Præpositi Ecclesiæ Argentinensis, ab eadem Capella seu præbenda repelli fecit. 1347. **Jus præsentandi ad Capellam S. Barbaræ in inferiori *Ehenheim* defendit.**

Hic Johannes Medianum monasterium muris ex quadris sectisque lapidibus altitudine triginta, crassitudine verò octo circiter pedum, fossisque convenientibus circumdedit; sed cum horum murorum pars maxima hinc inde jam concidisset, quod reliquum erat anno 1707. dejectum ac sublatum est, completisque penitus fossis ac novis exstructis muris, hortus & area cæteraque monasterii ædificia ulterius à nobis Deo juvante protensa & amplificata fuerunt. **Monasterium altis & crassis cingit mœnibus.**

In antiquo nostro Necrologio sic annotatur obitus præfati Johannis Abbatis ad XVII. *Kal. Augusti: obiit Reverendus Dominus Johannes dictus* Malla *Abbas hujus monasterii piæ memoriæ & maximæ humilitatis, qui componere fecit muros & mœnia hujus cœnobii jam dicti, anno Domini* M.CCC LXI. XVII. *Kal. Augusti, orate pro eo.* Successor ejus fuit **Ejus obitus.**

Hanemannus Abbas. 1362.

Hannemannus seu Hennemannus Abbas qui anno 1362. mense Augusto vidit quasdam litteras Johannis Ducis Lotharingiæ pro Ecclesia Styvagiensi & illarum apographum sigillo suo munivit.

Ejus tempore serenissimi Lotharingiæ Duces nondum alio jure utebantur in ea oppidi Ravonensis parte quæ penes Medianum monasterium remanserat, quam jure Wardiæ seu protectionis; unde cum Johannes Rodulphi Ducis filius & successor quoddam tributum seu subsidium in suo Ducatu constituisset & Abbas ac Conventus dicti monasterii *ex gratia & spontanea illorum voluntate, nec non ex speciali erga præfatum Johannem Ducem benevolentia* consensissent, ut hujusmodi tributum seu subsidium in oppido Ravonensi (in quo indivisæ sunt clientelæ) tam quoad partem ad illos attinentem quam quoad aliam perciperet: idem Johannes Dux prædictis Abbati & Conventui promisit quod prædictæ gratiæ concessio nullum eis nec illorum successoribus præjudicium pro alia vice inposterùm generare posset aut deberet quocumque modo. Quam promissionem firmavit litteris ab eo datis anno M. CCC. LXIII. septima die mensis Julii.

Tributum in oppipo Ravonensi impositum ex integro perceptum à Johanne Duce de consensu Abbatis & Conventus Mediani monasterii.

1365. Anno 1365. infra octavas B Martini Episcopi Henemannus cum Werlino de *Landesperg* milite nato quondam Eginolfi junioris militis de *Landesperg* de novo transegit pro custodia Curiarum apud *Veldkirchen*, *Hundensheim* & *Uhtratzheim*: pro quarum defensione & protectione promisit singulis annis in festo B. Nicolai hiemalis dicto Werlino quadraginta libras denariorum Argentinensium usualis monetæ, sed pro quatuor duntaxat annis, quibus expletis, officium hujusmodi custodiæ & prædictæ pensionis perceptio cessare deberet.

Custodia curiarum Alsaticarum renovata.

Obitus Henemanni 1372.

Obiit Hennemannus anno 1372. die verò mensis Septembris ultima vel certè penultima, ut colligitur ex antiquo

quo nostro Necrologio, in quo immediatè ante Kal. Octobris sic notatur ejus obitus: *Anno Domini* M. ccc *septuagesimo secundo . . . . Archangeli obiit Domnus Hennemannus Abbas hujus loci, orate pro eo.* Quæ enim hic desunt verba vix aliter suppleri posse videntur quam per sequentia: *In festo vel postridie festi S Michaelis Archangeli.*

Gothbertus seu Gobertus Hennemannum secutus est. Ejus tempore seu vacante adhuc sede, anno videlicet 1372 in festo S Nicolai hyemalis Johannes Dux Lótharingiæ innovavit & confirmavit chartam à genitore suo Rodulpho Duce datam anno 1341. de qua superiùs. Gobertus Abbas 1372.

Anno 1373. Goberto Abbati cum litigium quoddam fuisset contra Joannem Comitem de Salmis, ipseque Gobertus tutelam ac protectionem præfati Joannis Lotharingiæ Ducis, *tanquam sui supremi Domini & Guardiani* requisivisset: tandem sedata est hæc discordia die quarta mensis Junii ejusdem anni, quadam inter partes facta pactione; cujus confirmationem Gobertus promisit se ab eodem Domino Duce obtenturum & prædicto Comiti de Salmis traditurum. 1373. Johannes Dux Lotharingiæ à Goberto Abbate supremus Dominus & Guardianus dicitur.

Anno 1374. à Gothberto custodia curiarum de *Veldkirche*, *Hundensheim* & *Ubiratzheim* commissa est Burchardo dicto *Rauser* de *Landesperg* militi, ad quinque annos, sub solitis & antedictis conditionibus. 1374.

In antiquo nostro Necrologio legitur quidem quod VI. *Idus Januarii obiit Domnus Abbas Gothebertus*, sed annus omittitur.

Theodoricus qui Theodericus, Thietricus, Terricus & Thirionus de Ogivillari in variis instrumentis appellatur, Mediano monasterio jam præerat initio anni 1380., nam in Vigilia S. Mathiæ Apostoli ejusdem anni Theodoricus Abbas 1380.

qui-

nes *duire la quiche* dictus, testamentum suum coram Notario publico die XVII. mensis Aprilis confecit, & inter alia præscripsit fundationem cujusdam Capellaniæ, ad quam deserviendam Capellanus institueretur à Domino Abbate Mediani monasterii, *qui* (inquit idem Joannes) *est Ordinarius & Patronus loci.* Præterea voluit ac præcepit ut ejus uxor *Reverendissimum Patrem & charissimum Dominum suum eundem Mediani monasterii Abbatem enixè rogaret, ut prædictum testamentum quo firmioris esset roboris autoritate sua confirmare, ratificare, laudare & approbare dignaretur.*

Fundatio Capellaniæ in oppido Ravonensi, cujus Capellanus ab Abbate Mediani monasterii tanquam Ordinario loci institui debet.

Anno 1407. cum pleraque Registra & documenta bonorum ac Jurium ad Camerariam Mediani monasterii pertinentium, quæ penes ejusdem monasterii Villicum in *Richisicorte** erant, incendio periissent: ad Theoderici Abbatis requisitionem, eadem bona ac jura tam à Joanne comite dicti Richisicortis, quam ejus mediante auctoritate ab omnibus locorum sibi subditorum incolis, recognita fuerunt, die Mercurii post festum S. Martini hyemalis. 1407.

* *Rechicurt.*

Recognitio Jurium & bonorum ad Camerariam Mediani monasterii pertinentium.

Anno 1408. Theodoricus Abbas una eademque die videlicet decima mensis Decembris, tres diversas dedit litteras pro commutatione ultimæ voluntatis cujusdam civis Ravonensis Henrici *Clerc Paivaire* dicti, qui testamento suo constituerat ut singulis hebdomadis, pro sua suæque uxoris salute, una Missa in perpetuum celebraretur: sed censu nimis tenui ac exiguo huic fundationi destinato. Hanc autem commutationem facturus Theodericus in unaquaque ex tribus prædictis litteris sic præfatur: *Et quia ad nos Abbatem tanquam Ordinarium oppidi Ravonensis spectat & pertinet providere ut Testamenta & ultima voluntates fidelium defunctorum adimpleantur, prudenti accepto consilio maturâque desuper habitâ deliberatione volumus & ordinamus &c.* Quod autem annotatione etiam dignum est in unaquaque ex iisdem tribus litteris partes sese subji- 1408.

Ultima voluntas oppidani Ravonensis á Theodorico Abbate tanquam Ordinario loci immutata.

ciunt Jurisdictioni tam spirituali quam temporali Mediani monasterii.

1421. Anno 1421. die verò vigesima nona mensis Decembris, THEODORICUS admisit renunciationem in manibus suis *tanquam Ordinarii loci de Ravono* factam, Capellaniæ in Ecclesia ejusdem loci à supra memorato Joanne *daire la quiche* anno 1398. fundatæ, & in eadem Capellania novum instituit Capellanum.

THEODORICUS Abbas tanquam Ordinarius loci de Ravono admittit Renunciationem de Capellania factam.

1423. Anno 1423. vivebat adhuc præfatus Theodoricus ut constat ex instrumento ejusdem anni in quo expressa illius fit mentio.

1429. Anno 1429. quidam Nicolaus de *Vesthessen* civis Argentinensis coram Consule ac universo consilio ejusdem civitatis expostulationem fecit contra Dominum Abbatem Mediani monasterii, tanquam civem pariter Argentinensem. Dicebat hic Nicolaus quod cum in Lotharingiam pro negotiis suis profectus esset, venissetque in oppidum de Ravono sub *Beauregard*, quod ad dictum Dominum Abbatem ex parte pertinebat, & in quo tanquam in loco tuto & amico se consistere posse sperabat, eò quod idem Dominus Abbas Argentorati jus civitatis haberet; nihilominus Præfectus & Apparitor eiusdem oppidi ad eum accedentes, non tantùm equum quo vehebatur illi abstulerant: verum etiam ipsummet ad Dominum Ducem Lotharingiæ adduxerant, qui eum in carcerem detrudi jusserat. Quam ob rem præfatum Consulem universumque consilium rogabat ut sæpe dictum Dominum Abbatem ad omnia ejus damna & impendia resarcienda condemnarent. Verùm cum respondisset Abbas ad se quidem ex parte pertinere oppidum Ravonense: sed hæc omnia contra prædictum Nicolaum ipso inconsulto ac prorsus inscio, ex solo Domini Ducis mandato gesta esse, immunis abiit, salvo ejusdem Nicolai legali recursu tam

Abbas Mediani monasterii jus civitatis habet Argentorati.

tam contra præfatum Dominum Ducem, quam contra Præfectum & Apparitorem oppidi Ravonensis.

In hac sententia quæ die veneris post festum S. Nicolai Episcopi lata est, Medianensis Abbas non Theodoricus sed Deodatus de Ogivillari nominatur: at cum germanico idiomate conscripta sit & Deodatus latine idem quod *Theodoros* & *Theodoricos* græce valeat, unum eundemque Abbatem esse arbitramur, qui Mediano monasterio quinquaginta circiter annis præfuerit. Inficias tamen ire nolumus quin Desiderius de Ogivillari qui Theodorico proximè successit, potuerit etiam Deodatus dici à germanico scriptore qui gallicum nomen *Didier* latine sic exprimendum fortè censuit. Quo casu prædictus Desiderius anno saltem 1429. Mediano monasterio præesse cœperat.

DESIDERIUS de Ogivillari Theoderico ejusdem cognominis Abbati successit & Mediano monasterio certissimè præerat anno 1431; nam in duobus contractibus confectis eodem anno, mense Novembri, ejus & nomen inscriptum & sigillum appensum cernitur, seseque partes contrahentes submittunt Curiæ tam temporali quam spirituali ejusdem monasterii. DESIDERIUS Abbas 1431.

Anno 1433. Margarita relicta qondam Gerardi Villici de Ravono & Johanna ejus & dicti Gerardi filia, unà cum tribus ejusdem Margaritæ & præfati Gerardi pupillis, videlicet Gerardo, Beatrice ac Valentia, pro quibus ipsa Margarita de rato spopondit, quandam domum intra muros oppidi de Ravono sitam, cum adjacentiis & appenditiis suis, certamque horti portionem pro Xenodochio ibidem condendo concesserunt per manum Domini Abbatis Mediani monasterii, qui res sic donatas illico tradidit cuidam fratri haud dubiè hospitalario, nomine amico de *Sprés*, quem novi hujus Xenodochii Rectorem autorita- 1433. Xenodochium in oppido Ravonensi fundatur. Rectorem illi præficit Desi-

derius Abbas autoritate ordinaria. ritate ordinariâ qua fungebatur in dicto oppido constituit. Quamvis autem in hujusce donationis instrumento ille Mediani monasterii Abbas proprio nomine non designetur, constat tamen ex mox referenda Eugenii IV. Papæ Bulla, ipsummet fuisse Desiderium de quo prælocuti sumus.

1436. Anno 1436. prædictam donationem ejusdemque Xenodochii fundationem præfatus Eugenius IV. Papa confirmavit per Bullam Decano S. Deodati directam, cujus tenor sequitur.

Eugenius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Decano Ecclesiæ S. Deodati de S. Deodato Tullensis Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Ad ea quæ divini cultus incrementum & hospitalium & aliorum piorum locorum commodum & utilitatem respiciunt libenter intendimus & his quæ propterea processisse comperimus libenter cum à nobis petitur Apostolici muniminis adjicimus firmitatem. Exhibita siquidem nobis pro parte dilecti filii amici de Sprés *Rectoris hospitalis de Ravono, Tullensis Diœcesis petitio continebat, quod olim dilecta in Christo filia Margarita relicta quondam Vilici Gerardi de dicto loco ac mater dilectorum filiorum Gerardi, Beatricis & Valentiæ pupillorum suorum & dicti quondam Vilici filiorum, pro quibus de rato promisit, nec non Johanna ejusdem Margaritæ & Vilici filia cupientes terrena in cœlestia & transitoria in æterna fœlici commercio commutare, pro ejusdem Vilici earumque & suorum animarum salute quandam domum . . . in loco prædicto sub fortalicio dicto* Belrevart *sitam, cum suis appenditiis & adjacentiis ante & retrò, & certis territoriis adjacentibus, pro constructione & ædificatione cujusdam hospitalis pro Christi pauperibus inibi recipiendis, eidem Rectori in puram eleemosinam*, dilecti filii Desiderii Abbatis Mediani monasterii Ordinis S. Benedicti dictæ Diœcesis (cum ad ipsius monasterii Abbatem pro tempore existentem locus prædictus cum omnibus juribus & pertinentiis suis spectare in spiritua-

Abbas Mediani monasterii pro tempore existens est

tualibus & temporalibus dignoscatur) auctoritate & consensu intervenientibus, *donaverunt & concesserunt; idem quoque Abbas donationem & concessionem hujusmodi ratas habens & gratas, omne jus sibi & dicto monasterio in domo & appenditiis ac terris & juribus donatis hujusmodi quomodolibet competens eisdem hospitali & Rectori, dicti hospitalis nomine, donavit similiter & concessit, eundemque Amicum illius Rectorem* auctoritate sua ordinaria fecit, constituit & deputavit; curam, regimen & gubernationem illius sibi plenariè committendo, *prout in instrumento publico superinde confecto plenius dicitur contineri. Cum aute sicut eadem petitio subjungebat idem Rector hospitale ipsum cum Capella ad honorem Dei & sub vocabulo B. Virginis gloriosæ in dicta domo construxerit & erexerit, ac pauperes & peregrinos ad illud confluentes caritativè recipiat & pertractet dictaque Capella pro Missis & aliis divinis officiis celebrandis congrua & honesta ac prope illam locus etiam congruus pro cimiterio erigendo existant, pro parte dicti Rectoris nobis fuit humiliter supplicatum, ut donationibus & concessionibus hujusmodi ac omnibus & singulis supradictis & in dicto instrumento contentis robur Apostolicæ firmitatis cum suppletione defectuum adjicere, sibique ut Capellam prædictam consecrari ac cimiterium penes dictam Capellam erigi, illudque benedici, quodque in Capella ipsa Missas & alia divina offisia per proprium vel alium Sacerdotem idoneum celebrari, nec non ipsis pauperibus ac Rectori & aliis servientibus in dicto hospitali Eucaristiam & alia Sacramenta Ecclesiastica ministrari, illorumque decedentium corpora in dicto cimiterio tumulari facere & alias in & super præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque de præmissis certam notitiam non habentes hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatinus de præmissis & eorum circircumstantiis universis auctoritate nostra te diligenter informes & si per informationem hujusmodi ita esse dictamque Margaritam donationem & concessionem per eam factas hujusmodi per dictos pupillos fecisse legitimé approbari, vel de faciendo cautionem idoneam præstitisse inveneris, vel si non fecerit, dummodo infra competentem certum peremptorium terminum per te illi statuendum, cau-*

Dominus in spiritualibus & temporalibus loci de Ravono.

tionem hujusmodi præstet, donationes & concessiones præfatas ac dictum instrumentum & omnia in illo contenta autoritate nostra approbes & confirmes, ac suppleas omnes defectus si qui forsan intervenerint in eisdem. & nihilominus eidem Rectori præsenti & qui pro tempore fuerit, ut Capellam prædictam per aliquem Catholicum Antistitem gratiam & communionem Apostolicæ sedis habentem consecrari, cimiteriumque ipsum construi illudque benedici, nec non in dicta Capella per proprium Capellanum vel alium Sacerdotem idoneum Missas & alia divina officia ad commodum & utilitatem infirmorum & pauperum ac Rectoris pro tempore existentis & aliorum in dicto hospitali servientium prædictorum, celebrari, ipsisque pauperibus & infirmis ac Rectori & aliis hujusmodi corpus dominicum & alia Sacramenta Ecclesiastica ministrari, illorumque corpora decedentium in cimiterio hujusmodi tumulari, quodque ipsi Antistes ac Capellanus vel Sacerdos hujusmodi præmissa facere libere & licite valeant, jure Parochialis & cujuslibet alterius Ecclesiarum semper salvo, prædicta auctoritate concedas. Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Bononiæ, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo tricesimo sexto, septimo Idus Martii, Pontificatus nostri anno sexto.

Facultates concessæ Rectori Xenodochii Ravonensis.

Huic novo Xenodochio haud dubiè unitum fuit antiquum illud hospitale de quo superiùs mentio facta est ad annum 1279. Cum autem illius bona, possessiones & reditus à variis variè occupata & usurpata fuissent, prædictus Rector Ravonensis Xenodochii à præfato Eugenio IV. Papa mandatum Apostolicum obtinuit, pro cogendis ad restitutionem eorumdem bonorum, possessionum & redituum invasoribus ac detentoribus; cujus mandati cum superveniente ejusdem Eugenii obitu litteræ confectæ non fuissent, jubente Nicolao V. Papa illius successore anno Incarnationis Dominicæ 1446. XIV. Cal. Aprilis expeditæ fuerunt.

Vel nullum effectum habuerunt Apostolicæ illæ litte-

terræ, vel bona illorum vigore recuperata posteriorum temporum ac bellorum injuriâ rursus deperdita sunt; nam hujus hospitalis domus & Capella hodie penitus destructæ sunt, nec nisi admodum tenues illi supersunt reditus.

Anno 1437. Desiderius Abbas Medianensis & Dominicus Abbas Styvagiensis compromiserunt in personas Domni Valentini Abbatis Senoniensis & Friderici de *Clisentenes* præpositi Sancti Deodati, super quibusdam controversiis inter eos exortis ratione certarum decimarum, nec non juris pascendi & piscandi; quas controversias prædicti Arbitri latâ Sententiâ deciderunt mense Septembri ejusdem anni. 1437.

Anno 1438. mortuus est Desiderius Abbas in cujus locum per electionem monachorum Medianensium suffectus est præfatus VALENTINUS Senoniensis Abbas. Id ex eo colligitur quod initio sequentis anni 1439. in die videlicet conversionis S Pauli coram Jacobo Marchione de *Baden* (qui harum Vosagi partium dominium tunc obtinebat pro cautione dotis Isabellæ à Lotharingia quam duxerat in uxorem) composita fuit controversia quæ inter eundem Valentinum & Nicolaum de Premoncuria aliàs Bremoncuria Mediani vel alterius loci monachum, movebatur super Abbatia Mediani monasterii, quam dictus Nicolaus prætendebat in vim quarumdam litterarum Apostolicarum ab ipso obtentarum. Sic autem composita fuit hæc controversia, ut Valentinus Abbatia quidem potiretur, sed Nicolao infra tres menses Prioratum aliquem conferre ac præterea pensionem annuam quadringentorum Francorum persolvere teneretur.

1438. Obitus Desiderii Abbatis. VALENTINUS Abbas, 1439.

Controversia inter Valentinum & Nicolaum de Bremoncuria super titulo Abbatiæ.

Eodem tempore Nicolaus de *Acciapacio* Capuanus Archiepiscopus qui posteà Cardinalis tituli S. Marcelli creatus est, Commendam Mediani monasterii obtinuit ab

Commendam Mediani mo-

nasterii obtinet: Nicolaus de Acciapaccio.

ab Eugenio IV. Papa, qui vivente adhuc Desiderio de Ogivillari ejusdem monasterii Abbatiam dispositioni suæ specialiter & pro ea vice tantum reservaverat. Hujus igitur virtute Commendæ prædictus Cardinalis Valentino nostro super regimine & administratione dicti monasterii novam litem movit in Curia Romana, ubi causâ aliquandiu ventilatâ, definitivam pro se sententiam reportavit; cui quidem sententiæ cum Valentinus parêre minimè voluisset, post varias monitiones diversis Excommunicationum aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis est innodatus.

Valentinus cedere nolens excommunicatur.

Verum dicto Nicolao Cardinali apud sedem Apostolicam vita functo, Nicolaus Papa V. immediatus Eugenii IV. Successor eundem Valentinum à prædictis Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis Apostolica auctoritate prius absolutum, de Abbatia Mediani monasterii providit seu provideri mandavit, litteris suis hac de causa ad Ecclesiæ S. Deodati præpositum directis, sub data Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1448. Idibus Aprilis. In quibus litteris prædicta narrantur.

Defuncto Nicolao de Acciapaccio Valentinus absolvitur & auctoritate Apostolica providetur. 1448.

Apostolicæ huic provisioni haud diù supervixit Valentinus, cujus obitus in veteri nostro Necrologio sic notatur. *Anno Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo obiit Domnus Valentinus Abbas hujus loci, qui contulit nobis quatuor libras monetæ Argentinensis supra cambium Argentinense, pro Anniversario suo annuatim faciendo, die tertia decima mensis Maij.*

Obitus Valentini Abbatis.

Johannes de Bayono post obitum Valentini à Conventu in Abbatem concorditer electus est, sed orta est deindè inter ipsum & Guillermum tituli S. Sabinæ Presbyterum Cardinalem vulgò Metensem nuncupatum materia quæstionis; præfato Guillermo asserente Medianum monasterium in vim specialis cujusdam reservationis

Johannes à Bayono Abbas 1451.

nis sibi fuisse commendatum, dicto verò Johanne contendente quod ejus electio suum sortiri deberet effectum. Hanc causam Nicolaus Papa V. Capellano suo & causarum Palatii Apostolici auditori audiendam & terminandam commiserat: sed ipsa adhuc indecisa pendente idem Guillermus Cardinalis liti & causæ hujusmodi, omnique juri sibi in dicto monasterio quomodolibet competenti, in manibus ejusdem Pontificis mediante pensione ducentorum florenorum Rhenensium sponte & liberè cessit, ipseque Pontifex Johannem de monasterio providit seu provideri mandavit, directis ad hunc effectum Abbati Senoniensi litteris Apostolicis, sub data Romæ, anno Incarnationis Dominicæ 1454. VIII Cal. Junii.

Monasterium commendatur sed commendatarius juri suo cedit mediante pensione.

Sive prædictæ pensionis creationi Joannes noster liberum consensum præbuerit, sive non, eandem pensionem exsolvere planè recusavit; unde tam ipse quam Conventus recusationis ejus haud dubiè particeps excommunicati sunt & locus Medianus interdicto suppositus fuit. Verùm Guillermo Cardinali die 28. Octobris anni 1455. defuncto, Joannes litteras absolutionis ab hac excommunicatione & relaxationis hujus interdicti, à Petro Cardinali tituli S. Marci Commissario Apostolico hac in parte deputato obtinuit, Romæ anno 1456., die verò Nimercurii secunda mensis Junii expeditas; quas deinde die festo divisionis Apostolorum intitulato, quinto decimo videlicet mensis Julii ejusdem anni, in Ecclesia Prioratus Beati Nicolai de Portu, idem Joannes legi & publicari fecit per Notarium publicum, præsentibus ibidem maxima copia populi ad divina congregati nec non fratre Roberto de Millereyo monacho monasterii Gorziensis, Domino Petro de Bellavilla & Domino Nicolao Pariseti Presbyteris Capellanis dicti Prioratus de Portu.

Pensionem solvere recusans Johannes à Bayono excommunicatur. Sed mortuo commendatario absolvitur in Ecclesia Prioratus S Nicolai de portu an. 1456.

Anno 1455. cum belli tempore incolas de Denipario hic Abbas ad præsidium & defensionem monasterii venire 1456.

Incola de Denipario non parentes mandato Abbatis mulctantur.

jussisset, ipsique ejus imperium detrectassent, mox ipsorum tam corpora quam bona sibi suoque monasterio pariter addicta esse declaravit. Verùm iisdem incolis veniam petentibus & quibusdam amicis pœnam illorum deprecantibus, culpam eis condonavit, solâ mulctâ quadringentorum francorum monetæ Lotharingicæ contentus; qua de re confectum tunc instrumentum etiamnum superest.

1456. Anno 1456. Eberhardus Petermannus senior, ac Petermannus junior armigeri de *Andelau* à præfato Joanne Mediani monasterii Abbate & Conventu ejusdem de novo receperunt jus & gratiam quam progenitores eorum tenuerant. Videlicet omnes homines utriusque sexus dicti monasterii recedentes à contractibus & terminis suis & manentes vel se transferentes inter duo flumina scilicet *Venchene* & *Bruscam*, in partibus Alsatiæ, jure feodali tam sibi quam suis consodalibus suisque hæredibus in solidum perpetuò possidendos. Qua de re confectum est instrumentum omnino simile illi quod supra ad annum 1296. exhibuimus.

Homines Mediani monasterii se transferentes inter flumina *Venchene* & *Bruscam* nobilibus de *Andlau* in feodum dantur.

1459. & 1460. Annis 1459. & 1460. plures reperiuntur contractus initi sub nomine & sigillo hujus Abbatis, in quibus partes contrahentes sese subjiciunt curiæ tam temporali quam spirituali Mediani monasterii.

Curia spiritualis & temporalis Mediani monasterii.

1463. Anno 1463 hic idem Abbas incolas Mediani monasterii ætate provectiores advocavit & coram Notario publico jurejurando adegit ut veros limites bannorum Medii loci & de Hurbaco, juxta quod novisse poterant designarent, illorumque hac de re testimonia scripto per eundem Notarium mandari fecit.

Limites bannorum Medii loci & de Hurbaco designantur.

1471. Anno 1471. transegit cum Priorissa & Monialibus monasterii de Silo apud Selestadium super quibusdam cen-

censibus quos ipsæ nobis debebant in *Rochevvir* & quos ipsis debebamus ibidem, hique cum illis compensati fuerunt.

Anno 1472. Nicolaus Dux Calabriæ & Lotharingiæ Conventum Fratrum minorum propè oppidum Ravonense ædificavit, & quia idem oppidum ad Mediani monasterii Jurisdictionem spiritualem ex toto & temporalem ex parte pertinet, Abbasque & Conventus Mediani monasterii prædictum Fratrum minorum Conventum intra Jurisdictionis suæ terminos construi & collocari consenserunt, præfatus Dux eis per modum remunerationis & pro anniversario parentum suorum annuatim faciendo, tres modios salis in perpetuum ex salinis de Castro-salino percipiendos, concessit confirmavitque patentibus suis litteris, Nancei die xxv. mensis Januarii datis in quibus sic loquitur: *Et pour ce que nostre ditte Ville de Raon est & appartient en Jurisdiction espirituelle & patronage a labbaye, monastere & Convent de Moyenmonstier & partie en temporalitè, & que le dit Convent (des freres mineurs) selon lintention de nostre dit feu Pere sera assis en icelle Jurisdiction, affin de satisfaire a tous interests, que ladite Abbaye & monastere y pourroit avoir, ayant aussy regard a ce que a nostre priere & requeste les Religieux Abbé & Convent de laditte abbaye liberallement se y sont consenty & de bon coeur le nous ont octroyé, sçavoir faisons. . . .* 1472.

Conventus Fratrum Minorum ædificatus juxtà oppidum Ravonense in Jurisdictione spirituali Mediani monasterii de consensu Abbatis & monachorum.

Anno denique 1476. die verò nona mensis Septembris Johannes à Bayono Abbas diem clausit extremum, ut in antiquo nostro Necrologio notatur ad III. Idus Junii, ubi quædam fundatio ab ipso & Joanne *Pingo* ejus avunculo, nec non Christianitatis Spinalensis Decano, anno 1467. facta commemoratur.

Obitus Joannis à Bayono Abbatis. 1476.

JOANNES de Falco, aliàs de *Faux* Prior Cellæ Bellævallis Joanni à Bayono per electionem Conventus Mediani ensis suffectus est. Competitorem habuit quemdam Joannem *Louet* in vim specialis alicujus reservationis Apostolica

JOANNES de Falco Abbas. 1477.

lica authoritate provisum, qui omni & cuicumque juri à se prætenso cessit mediante pensione. Hæc constant ex instrumento procuratorio per præfatum Joannem à Bayono die 10.ª mensis Septembris anni 1477. dato ad paciscenduш & componendum sub ea conditione cum dicto Joanne *Louet*. Cæterum nulla sive electionis sive provisionis ejusdem Joannis à Bayono jam supersunt acta in Archivo Medianensi; in quo tamen extat contractus illius nomine intitulatus ac sigillo ejus munitus, de die 20. Septembris anni 1476, & in hoc contractu partes contrahentes sese de more subjiciunt Curiæ tam spirituali quam temporali Mediani monasterii. Plures alii similes ejus administrationis tempore reperiuntur confecti contractus.

1479. Eximit incolas de Medio monasterio, Pario, Capella, S. Blasio, S. Præjecto, Denipario & Verria à servili conditione manus mortuæ.

Anno 1479. hic Abbas totusque illius Conventus exemerunt incolas Villarum de Mediano monasterio, de Pario, de Capella, de S. Blasio, de S. Præjecto, de Denipario & de Verria à servili conditione *manus mortuæ* ut vocant, cui anteà semper obnoxii fuerant, illisque concesserunt ut quamvis decedentium sine liberis, bona tam mobilia quam immobilia ad monasterium ipso jure pertinerent: attamen inposterum eorumdem bonorum hæreditatem usque ad nonam generationem inclusivè acciperent, dummodo in supradictis villis illarumve bannis assiduè commorarentur; eaque insuper conditione ut unum grossum Lotharingicum per singulas familias singulosve conductus, deinceps cum aliis pecuniariis præstationibus à Galtero Abbate anno 1310. redactis & ordinatis persolverent. Reservarunt nihilominus Abbas & Conventus prædicti sibi suoque monasterio in perpetuum in dictos incolas Bannum, Justitiam, Dominium, debita, præstationes, omnia omninò servitia in vecturis & operarum præbitionibus, aliaque minuta servitia, & necessarias pro Ecclesia domoque sua sartis tectis tenendis suppeditationes. Quæ omnia si adimplere iidem incolæ aliquan-

quando detractarent, illicò concessa gratia carerent & in pristinam manus *manus mortuæ* servitutem relaberentur.

1480. Anno 1480 idem Abbas ab Alberto Episcopo Argentinensi & Comite Palatino ad Rhenum in specialem Prælatum & Capellanum ascitus est, ab eoque Tutelare diploma obtinuit, tam pro se suoque monasterio, quam pro Curiis de *Veldkirch* propè *Niderehenheim*, de *Roschvveiler* * propè *Oberberkem* **, de *Peter-Boltzen* *** in valle de *Villers* & aliis ad nostrum monasterium pertinentibus.

Fit specialis Prælatus Episcopi Argentinensis, cujus tutelam obtinet.

* *Rochevir.*
** *Berkem.*
*** *S. Pierre bois.*

1486. Anno 1486. ut in antiquo nostro Necrologio legitur ad Kal. Martii, *Reverendus in Christo Pater & Dominus Johannes de Falco Abbas hujus monasterii pro remedio animæ suæ fundavit & ordinavit suum Anniversarium annuatim faciendum, videlicet feriâ quartâ in capite Jejunii, quandiu vixerit de Beata Maria Virgine, & post ejus obitum de defunctis. Qui dedit Conventui hujus loci viginti libras ad acquirendum census, qui tenebitur pulsare magnas campanas & consignare luminare, die quo celebrabitur & cantabitur dictum Anniversarium.*

Anniversarium suum instituit.

Anno denique 1488. die verò quarta mensis Aprilis hic Abbas è vita discessit, ut ex instrumento electionis successoris ejus constat.

Moritur.

GUERARDUS de *Gomberval* aliàs de *Gombervaulx* tunc Mediani monasterii Prior postera die, hoc est quinta ejusdem mensis Aprilis, post Johannis de Falco pridie defuncti inhumationem & exequias debitè peractas, concordi Fratrum electione in Abbatem est cooptatus.

GUERARDUS de Gomberval Abbas. 1488.

1493. Anno 1493. novum obtinuit ab Alberto Episcopo Argentinensi tutelare diploma, tam pro se propinquisque suis, quam pro supra nominatis Curiis de *Veldkirch*, de *Roschvveiler*, de *Peterholtzen* * & aliis quibuscumque villis, bonis & personis à suo monasterio dependentibus.

* *S. Pierrebois.*

1497. Census ex decimis Acherici usque ad finem sæculi sequentis pensitatus. Anno 1497. cuidam incolæ veteris Acherici ejusque filio post ipsum cessit quindecim solidos monetæ Argentinensis, singulis annis ex decimis ejusdem loci, nomine ac vice Mediani monasterii percipiendos; ea conditione ut quotannis pariter duo millia pedaminum seu palorum vitibus nostris in *Rosshvvir* applicandorum, suppeditaret. Eò redactus erat tunc temporis annuus reditus decimarum de Acherico olim ad nos integrè pertinentium.

In nostris accepti & expensi codicibus toto adhuc sequenti sæculo pensitatus ac perceptus reperitur census ille quindecim solidorum monetæ Argentinensis, qui tribus francis cum duobus grossis & dimidio monetæ Lotharingicæ coæquantur: sed nulla deinceps prædicti census fit mentio; quia circà finem ejusdem sæculi Ecclesiam Achericianam occupaverunt hæretici, qui etiamnùm illam detinent; licet à quibusdam annis Christianissimi Galliarum Regis edicto tam Catholicis quam hæreticis communis factus sit ejusdem Ecclesiæ usus. Vide Joan. Ruyr. Sacr. Antiq. Vosag. part. III. cap. IX.

1498. Anno 1498 Incolas sibi subditos in banno ad septem abietes dicto à servitute *manus mortua*, cui priùs quantum ad bona mobilia obnixi erant, liberavit, mediantibus quadraginta quatuor florenis auri tunc ab eo receptis, & insuper uno albo valoris quatuor denariorum monetæ Lotharingicæ, quotannis ab unoquoque conductu, in festo S. Remigii persolvendo, sub pœna pristinam servitutem iterum subeundi.

1500. Anno 1500. in concordiam devenit cum Henrico de Salburgo Abbate altæ Silvæ, super orta inter eos illorumque Conventus controversia, occasione census annui de quo superiùs mentio facta est in prolatis ad annum 1189. litteris Pontii Abbatis Mediani monasterii. Contendebant enim Guerardus noster ejusque Conventus, hunc cen-

censum esse decem grossorum monetæ currentis in Ducatu Lotharingiæ, & ita dicebant se percepisse à tanto tempore quod contrarium non erat in memoria hominum. Contra verò Henricus Abbas altæ Silvæ ejusque conventus, opponebant se non teneri ad solutionem illorum decem grossorum prædictæ monetæ, sed tantummodò sex nummorum * Metensium, ut in iisdem Pontii litteris expressè continebatur. Cum autem partes satagerent dilectionem & concordiam inter se conservare perpetuam, mediantibus quibusdam amicabilibus compositoribus, decem illi grossi à Medianensibus nostris prætensi moderati sunt & redacti ad sex grossos monetæ Lotharingicæ, per Abbatem & Conventum altæ Silvæ annuali censu, in festo S. Martini hyemalis nobis solvendos in perpetuum.

** Nummus minutior moneta. Vide Ducange in Gloss.*

Concordia inter Guerardum Abbatem Medii monasterii & Henricum Abbatem altæ Sylvæ.

Anno 1511. nova Medianenses inter & Styvagienses exorta controversia de limitibus, potissimumque de sylvis seu fruticetis inter viam Salinariam vulgò dictam & Styvagium sitis, per nobiles aliquot à Serenissimo Lotharingiæ Duce datos Judices dirempta est, decima tertia die mensis Octobris.

1511. Nova Medianenses inter & Styvagienses de limitibus controversia dirimitur.

Circa idem tempus quidam Thomas de Falco dictus, Johanni Abbati ejusdem cognominis (de quo anteà) fortè propinquus, cum duas Ecclesias Parochiales nimirùm S. Laurentii de Castro super Mosellam * & S. Stephani de Hurbaco, sibi vel à dicto Johanne Abbate vel ab immediato ejus Successore Guerardo collatas possideret, primam permutavit cum Canonicatu Ecclesiæ S. Deodati, factusque ejusdem Ecclesiæ Canonicus, impensorum sibi à Medianensibus beneficiorum immemor, unionem perpetuam Ecclesiæ Parochialis de Hurbaco mensæ Capitulari ejusdem S. Deodati autoritate Apostolica fieri consensit. Verùm huic unioni fortiter obstitit Guerardus Abbas, litemque movit desuper venerabilibus Canonicis S. Deodati in consilio Serenissimi Lotharingiæ Du-

** Collatio Ecclesiæ Parochialis de Castro super Mosellam ad Medianenses Abbates spectabat ratione Cellæ Bellævallis.*

Unioni Ecclesiæ Parochialis de Hurbaco mensæ Capitulari de S. Deo-

dato obsistit Guerardus Abbas. Ducis, in quo cum eandem Ecclesiam de Hurbaco ad suum monasterium ab immemoriali tempore pertinere, ac sub ejus Jurisdictione spirituali comprehendi, nec non Abbates Medianenses tam in Parochia de dicto Hurbaco, quam in banno septem abietum ad eam attinente *Jus Diœcesanum habere * cum omnimoda potestate in eadem omnia ordinandi, illique prout ipsis videbatur providendi* comprobasset, ac causam brevi obtenturus esset, ipsi venerabiles Canonici S Deodati consensum suum liberè præbuerunt tam dissolutioni prædictæ unionis, quam novæ unioni ejusdem Parochialis Ecclesiæ autoritate Apostolica Mediano monasterio faciendæ.

** Sic loquitur Guerardus Abbas in quodam hujus litis instrumento.*

1515. Guerardo Coadjutor perpetuus datur. Anno 1515. Guerardo Abbati Coadjutor perpetuus & irrevocabilis cum futura successione datus ac constitutus est Domnus Georgius de *Hassonville*, de quo inferiùs. Id ex instrumentis intimationis Bullarum Coadjutoriæ tam præfato Guerardo, quam Conventui Medianensi factæ constat.

1516. Anno 1516. Unio Ecclesiæ Parochialis de Hurbaco cum annexis ejus Mediano monasterio per Leonem X. Papam facta est, sub sequenti forma.

Leo Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ex commisso nobis desuper meritis quanquam insufficientibus, Apostolicæ servitutis officio, ad ea libenter intendimus per quæ locis & personis Ecclesiasticis quibuslibet, in suis opportunitatibus de congruæ subventionis auxilio provideri, ac litibus quæ inter Religiosas personas ortæ existunt & in dies oriri possunt, obviari valeat. Dudum siquidem omnia beneficia Ecclesiastica cum cura & sine cura apud sedem Apostolicam tum vacantia & in antea vacatura collationi & dispositioni nostræ reservavimus, decernentes ex tunc irritum & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari. Cum itaque postmodum Parochialis Ecclesia seu ejus perpetua Vicaria S. Stephani

ni Protomartyris de Hurbacho, Tullensis Diœcesis, nuper mensa Capitulari Ecclesiæ S. Deodati de S. Deodato, dicta Diœcesis, perpetuò unita annexa & incorporata, ex eo quod nos unionem, annexionem & incorporationem prædictas, dilectorum filiorum Capituli dictæ Ecclesiæ S. Deodati ad hoc per dilectum filium Franciscum Cordarii Clericum dictæ Diœcesis procuratorem eorum ad hoc ab eis specialiter constitutum, expresso accedente consensu harum serie dissolvimus, per dissolutionem hujusmodi apud sedem eandem vacaverit & vacet ad præsens, nullusque de illa præter nos hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione & decreto obsistentibus supradictis. Et sicut exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum moderni Abbatis & Conventus monasterii de Mediano monasterio, Ordinis S. Benedicti, ejusdem Diœcesis petitio, continebat si dicta Parochialis Ecclesia seu Vicaria, cujus collatio, præsentatio seu quævis alia dispositio, dum pro tempore vacat, ad Abbatem tantum seu eum & Conventum præfatos pertinet, & apud quos sacrum infirmorum oleum pro extrema unctione dictæ Parochialis Ecclesiæ seu Vicariæ Parochianis impertienda conservatur, & ejusdem Ecclesiæ Parochialis seu Vicariæ Rectoris seu Vicarii pro tempore existentis correctio & (forsan causa subsistente legitima) destitutio seu depositio ex speciali dictæ sedis privilegio, aut de antiqua & approbata hactenusque pacifice observata consuetudine dicitur pertinere, quibusque Parochianos hujusmodi à casibus specialibus absolvendi potestas concessa existit, quique omnes & singulos tam grossos quam minutos fructus, redditus & proventus dictæ Parochialis Ecclesiæ seu Vicariæ & illi forsan annexorum, congruâ tamen ex illis portione Rectori seu Vicario pro tempore existenti præfato reservatâ, ab immemorabili tempore citrà percipere & levare consueverunt, eidem monasterio perpetuò uniretur, annecteretur & incorporaretur, ex hoc profectò ipsius monasterii commoditatibus opportunè consuleretur ac litibus & controversiis quæ inter Capitulum ac Abbatem & Conventum hujusmodi, super Jurisdictione in spiritualibus ac aliis exercitium curæ animarum & formam sive modum colligendi & dividendi fructus, redditus & proventus ejusdem Parochialis Ecclesiæ concernentibus, seu nullitate & invaliditate unionis dictæ mensæ factæ hujusmodi, co-

Unio Ecclesiæ Parochialis de Hurbaco mensæ Capitulari de S. Deodato facta dissolvitur, eademque Ecclesia Mediano monasterio unitur.

Rector seu Vicarius Ecclesiæ Parochialis de Hurbaco ab Abbate Mediani monasterii corrigi ac destitui potest ab antiquo.

coram certis illarum partium Judicibus orta existunt, & inter eosdem Abbatem & Conventum ac Rectorem ipsius Parochialis Ecclesiæ pro tempore existentem passim oriri possent obviaretur. Quare pro parte dictorum Abbatis & Conventus asserentium Capitulum prædictorum ad evitandum litium hujusmodi anfractus, ac pro implemento certæ honestæ concordiæ inter eos & Abbatem & Conventum hujusmodi initæ, dissolutioni hujusmodi consensisse ac fructus, redditus & proventus dictæ parochialis Ecclesiæ seu Vicariæ & illi annexorum viginti quatuor ducatorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum ut Parochialem Ecclesiam aut Vicariam prædictam eidem monasterio perpetuò unire, annectere & incorporare aliàsque in præmissis oportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur . . . . hujusmodi supplicationibus inclinati Parochialem Ecclesiam seu Vicariam prædictam . . . . cum annexis hujusmodi ac omnibus juribus ac pertinentiis suis eidem monasterio auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo unimus, annectimus & incorporamus; ita quod liceat ex nunc eisdem Abbati & Conventui per se vel alium seu alios corporalem possessionem Parochialis Ecclesiæ seu Vicariæ juriumque & pertinentiarum prædictorum propria auctoritate libere apprehendere & perpetuò retinere, illiusque fructus, redditus & proventus hujusmodi in suos ac dicti monasterii usus & utilitatem convertere, nec non eidem Parochiali Ecclesiæ per aliquem dicti monasterii monachum, vel aliquem idoneum Presbyterum sæcularem, vel prædicti aut cujusvis alterius ordinis regularem, ad ipsorum Abbatis pro tempore existentis & Conventus nutum amovibilem deservíri, illiusque Parochianorum animarum curam exerceri facere, Diœcesani loci & cujusvis alterius licentiâ super hoc minime requisitâ. Non obstantibus . . . . nos enim prout est irritum & inane decernimus si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contigerit attentari. . . Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo sexto decimo, quarto nonas Junii, Pontificatus nostri anno quarto.

Ecclesiæ Parochiali de Hurbaco Abbas Mediani monasterii præficere potest Vicarium ad nutum amovibilem, illique curam animarum committere. 1516.

Mi-

Mirum fortasse cuipiam videbitur in præcedenti Bulla reperiri hanc clausulam: *Diœcesani loci & cujusvis alterius licentiâ super hoc minimè requisitâ*, cum Diœcesani jus Abbates nostri sibi vendicarent in Parochia de Hurbachò & annexis ejus, ut prædictum est; verùm dicta clausula hic omitti non debuit, tum quia est de stylo ut loquuntur, tum quia Abbatum libertatem & ordinariam in dicta Parochia Jurisdictionem fortiùs asserit, contra quemlibet seu verum, seu prætensum Diœcesanum.

Anno 1518 vigore prædictarum Bullarum unionis Ecclesiæ Parochialis de Hurbacho, Guerardus Abbas assumpto sibi Comite Domno Georgio de *Hassonvilla* Coadjutori suo, nec non Mediani monasterii Priore, ad oppidum de dicto Hurbacho se contulit & tam pro se suisque successoribus Abbatibus, quam pro Conventu ejusdem monasterii, in possessionem sæpedictæ Ecclesiæ Parochialis, cum suis annexis & pertinentiis universis immissus est, per publicum Apostolicum & *Curiarum Ecclesiastica & temporalis de S Deodato* Notarium juratum, die vigesima quinta mensis octobris, ut ex instrumento patet.

1518. Guerardus Abbas in possessionem mittitur Ecclesiæ Parochialis de Hurbaco.

Dies & annus mortis ejusdem Guerardi Abbatis super illius tumbam seu sepulchralem lapidem gallicè sic inscripti leguntur: *Cy gist Religieuse personne Damp Guerard de Gomberval vivant Abbe de ceans, qui trepassa lan mil.* V.[c] XXIV. *Le* XI. *de May, priez Dieu pour luy. Amen.*

Diem claudit extremum.

Gentilitia ejus stemmata cernebantur in conclusuris testudinum majoris partis veteris claustri, quod altiùs educentes ex toto instauravimus & ferè duplò ampliavimus. Quamobrem dubitari nequit quin vetus illud claustrum, in modum simplicis appendicis olim constructum, majori saltem ex parte lapideis fornicibus idem Abbas exornaverit.

Majorem partem claustri concameravit.

Georgius de *Hauſſonville* Abbas 1524.

Georgius de *Haſſonvilla* vi Coadjutoriæ ſibi à novem retrò annis conceſſæ, monaſterii regimen illicò ſuſcepit, & quod reliquum erat veteris clauſtri totamque deinceps Eccleſiam concamerari fecit, ut ex ſuis ſuorumque affinium gentilitiis inſigniis in concluſuris & commiſſuris fornicum ejuſdem Eccleſiæ ſculptis ac depictis, etiamnum apparet. Apſidem præterea hoc eſt interiorem illam Eccleſiæ partem in qua majus altare collocatum eſt, á fundamentis extruxit.

1530. In concordiam devenit cum Domino de Gerbevillari pro Remenoldi villa.

Anno 1530. exorta inter ipſum & Dominum Olricum *Wiſſe* de Gerbevillari diſſidia circa Judiciorum criminalium adminiſtrationem & ſylvarum cuſtodiam in loco & banno de Remenoldi villa, in pacem & concordiam adducta fuerunt, die vi. Novembris, ut ex litteris hujus concordiæ conſtat.

Abbatiam S. Clementis haud dubiè Metenſis, nec non Prioratum S. Quirini ſimul cum Abbatia Mediani monaſterii poſſidebat, eratque Anthonio Lotharingiæ Duci à conſiliis.

Ejus obitus.

Ejus obitus gallicè ſic notatur in ſepulchrali lapide quo corpus ejus tegitur: *Cy giſt Reverend Pere en Dieu Dampt Georges de Haſſonville humble Abbé de Moyenmonſtier & de S. Clement, Prieur de S. Quirin, Conſeiller de noſtre Souverain ſeigneur Monſeigneur le Duc, lequel trespaſſa le* xvi. *fevrier Mil* v.^c xxxiv. *priez Dieu pour luy.*

Nicolaus à Lotharingia I^us. Commendatarius 1534.

Nicolaus à *Lotharingia* Epiſcopus Metenſis & Virdunenſis poſt Abbacomites de quibus ſub finem ſæculi noni & initium decimi actum eſt, primus Mediani monaſterii Commendatarius pacificus fuit. Qua ratione hanc commendam obtinuerit, an mediante monachorum poſtulatione vel ex ſola Pontificiæ poteſtatis plenitudine, nobis eſt incompertum. At certum eſt cuidam Clerico Florentino Angelo de Stupha dicto reſervatam ac conſtitutam fuiſſe

fuisse quoad viveret pensionem annuam quadringentarum librarum Turonensium, super dicti monasterii fructibus, redditibus & proventibus, per præfatum Nicolaum a Lotharingia ejusque successores idem monasterium in titulum vel commendam pro tempore obtinentes persolvendam. Id constat ex instrumento procuratorio á prædicto Angelo de Stupha dato an. 1547. pro extinctione ejusdem pensionis. Pensione oneratus fuit.

Anno 1541. Paulus III. Papa „ omnibus & singulis „utriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus & „confessis seu confitendi propositum habentibus, qui „Capellam de Bellocampo sitam infra limites Parochiæ „de Hurbaco, quarta feria quatuor temporum post fe„stum Pentecostes, à primis vesperis usque ad occasum „solis ejusdem feriæ, piè visitaverint & orationem Do„minicam & salutationem Angelicam devotè recitave„rint; nec non processionibus inibi eadem die fieri soli„tis, in quibus S. Deodati ac etiam S Hydulphi Confes„sorum & Pontificum corpora honestis capsis recondita „ad eandem Capellam deferuntur, interfuerint, decem „annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœniten„tiis misericorditer in Domino relaxavit, per Breve datum VII. Kal. Decembris. 1541. Indulgentiæ concessæ Capellam de Bello campo visitantibus, vel assistentibus processioni in qua SS. Hildulfi & Deodati corpora illùc deportantur.

Anno 1544. cum exorta esset inte Serenissimum Principem Franciscum Lotharingiæ Ducem & præfatum Nicolaum Mediani monasterii commendatarium controversia de collatione & præsentatione Capellæ hospitalis de Ravono, re à Consiliariis utriusque Principis maturè discussâ, statutum est quod hujusmodi collatio & præsentatio alternatim ad illos illorumque successores Lotharingiæ Duces & Mediani monasterii Abbates pertineret, quodque ex tunc & inposterum Capellanus hospitalaris pro tempore existens, nec non hospitale ipsum cum pertinentiis suis universis, *in omnibus omninò actionibus tam per-* 1544. Collatio Capellæ hospitalis de Ravono pertinebat alternatim ad Lotharingiæ Duces & Mediani monasterii Abbates.

 so-

Sed Capellanus subjacebat Jurisdictioni spirituali ejusdem monasterii.

* *Loupy le chateau.*

sonalibus quam realibus subjacerent Jurisdictioni spirituali Mediani monasterii, absque ulla dimissione vel regressione ad alium quemcumque Judicem; eo quod dictum hospitale situm sit in districtu ejusdem monasterii. Compositionis hujus litteræ confectæ fuerunt in Lupentii castro *, menseSeptembri.

1545.

* *Montigny.*

Enunciativa Tullensis seu nullius Diœcesis.

Anno 1545. Nicolaus de consensu Conventus cuidam Henrico *Hellot* cubiculario suo & Margaretæ de *Mozy* uxori ejus, illorum vita durante & diutiùs viventi, domum & prædium loci de Montiniaco * ad Medianum monasterium (quod *Tullensis seu nullius Diœcesis* dicitur) pertinens Dono irrevocabili & inter vivos valido, dedit & concessit, unà cum grossis & minutis decimis dicti loci; absque eo quod aliquid de prædictis bonis annuatim solvere tenerentur: sed ea conditione, quod propriis sumptibus prædictam domum cum suis appendiciis repararent & in dictis reparationibus summam quingentorum Francorum monetæ Lotharingicæ exponerent, Verùm aut prædicta domus vi hujus donationis instaurata non fuit, aut certè non longo post tempore bellorum injuriâ aliovè infortunio eversa est; nam à tanto tempore dejecta jacet, ut ejus excidii nulla jam extet memoria. Prædictæ donationis instrumentum die vigesima prima mensis Septembris datum est.

Quando & quam ob causam primùm usurpata.

Consultò annotavimus in huiusce donationis instrumento quod latine conscriptum est, Medianum monasterium enunciari *Tullensis seu nullius Diœcesis*; quia talem enunciativam anteà nacti non sumus. In antiquis enim monumentis Medianum monasterium solet absolutè nominari sine alicujus Diœcesis adjectione vel exclusione; in subsequentibus verò Tullensis Diœcesis (seu tanquam in illa inclusum, seu tanquam illi confine & ad sitûs ejus designationem) absque scrupulo nuncupatur; sed à duobus fermè sæculis, hoc est saltem à prædicto anno 1545. ad annum 1720. quo hæc scribimus, vel *nullius* sine addito, vel *nullius* cum addito *seu Tullen.*, vel etiam *nullius*.

Pro-

Provincia Lotharingia, vel denique *nullius*, *Provinciæ Trevirensis* semper dictum reperitur.

Ratio autem cur Enunciativa *Tullensis Diœcesis* à duobus fermè sæculis immutata fuerit in posteriores illas, hæc reddi potest: quod cum eo tempore agitari cœpissent variæ quæstiones circa diversos monasteriorum exemptorum status, diversáque super hac materia à convocato jam Concilio Tridentino decreta expectarentur, Prælati & monachi prædictorum monasteriorum, ac inter alios Medianenses nostri sibi expedire crediderunt nova uti enunciativa, quæ verum monasterii sui statum exprimeret. Cumq; Medianum monasterium non tantum exemptum seu liberum esset, verum etiam proprium & separatum territorium haberet, in quo Abbas omnimodam in Clerum & populum Jurisdictionem ab antiquo exercebat, ac propterea verè & propriè existeret in statu nullius Diœcesis, hanc enunciativam tanquam veriorem & genuino ejusdem monasterii statui congruentiorem adhibere cœperunt.

Neque mirum cuiquam videri debet quod hujusmodi consilium anteà non susceperint; nam ante hæc Concilii Tridentini tempora & quæ in illo edita sunt decreta, nihil discriminis erat quoad immunitatem à Jurisdictione Episcopali, inter monasterium simpliciter exemptum & monasterium *nullius Diœcesis* propriè dictum; ac proinde nihil referebat utrum alicujus vel nullius Diœcesis esse dicerentur, cum pari libertate gauderent. Verumtamen cum Medianenses nostri enunciativa *Tullensis Diœcesis* ante Concilium Tridentinum utebantur, statim subnectere solebant quod eorum monasterium ad Romanam Ecclesiam vel sanctam sedem immediatè pertineret; ac per hoc tam sibi quam suo monasterio tunc temporis satis consultum esse putabant.

Anno 1556. Nicolaus Abbas Jacobo de *Graveron* Equitii 1556.

Nicolaus Abbas Scutifero suo concedit omnes redditus de Barbonvilla reluctante conventu.

tii sui Scutifero aliam donationem fecit totius Dominii & omnium censuum, redditum, proventuum, decimarum & emolumentorum ad Ecclesiam nostram pertinentium in loco de Barbonvilla; quibus omnibus idem Jacobus de *Graveron* tota vita sua durante, quietè ac pacificè gauderet. Verùm huic donationi quæ in maximum monasterii detrimentum vergebat, Religiosi consensum suum præbere recusaverunt; cumque nec promissis nec minis ad illius approbationem adduci potuissent, Nicolaus procuratori suo prohibuit ne ipsis deinceps præbendas, hoc est quotidiana victualia, nec aliud quidquam ex monasterii redditibus pensitaret, donec voluntati suæ acquiescerent. Cernentes itaque præfati Religiosi se de facto privatos esse suis præbendis quotidianis, sine quibus nec vitam degere, nec professionem suam in monasterio sectari possent, advertentesque insuper ad nullum alium superiorem Principem, qui hoc malum ab eis averteret, haberi posse recursum; cum ipse Dominus compellens junioris Lotharingiæ Ducis, sui ex fratre nepotis tutelam, totiusque Patriæ regimen & administrationem haberet: decreverunt eandem donationem admittere & coram Notario publico de vi sibi illata protestati sunt in Capitulo Mediani monasterii (quod rursus *nullius Diœcesis* nuncupatur) die decima tertia mensis Januarii anni 1547.; quo tempore Nicolaus tanto acrius prædictæ donationis approbationem urgebat, quod ipse commendæ suæ insciis Religiosis, in manibus Pauli III. Papæ jam renunciaverat, in favorem Joannis Martini Presbyteri Diœcesis S. Flori, qui brevi tempore monasterii possessionem adepturus erat.

Commendæ suæ cedit. 1546.

Episcopatus suos Metensem videlicet ac Virdunensem post biennium similiter dimisit Nicolaus ad arma potiùs quam ad Ecclesiastica munia natus, & tandem anno 1549. Margaretam de *Egmont* duxit uxorem.

JOHAN-

JOHANNI *Martini* Medianum monasterium commendatum fuit tertio Idus Decembris, anni 1546. eademque „ die concessum illi fuit indultum speciale per se vel per „ Vicarium suum generalem, Capitulum in eodem mo„ nasterio seu alibi ubi opus foret seu sibi videretur, con„ vocandi, illique præsidendi, ac in illo vocem activam „ & passivam habendi, nec non omnes & singulos mona„ chos, Novitios, Religiosos & personas tam dicti mo„ nasterii, *quam aliorum locorum illi subjectorum visitandi & cor„ rigendi, omnimodamque Jurisdictionem in illos exercendi*, nec „ non in rebelles excommunicationis & alias sententias, „ censuras & pœnas Ecclesiasticas promulgandi, & post„ quam ad cor reversi essent, ab hujusmodi sententiis, „ censuris & pœnis absolvendi, omniaque & singula alia „ in præmissis & circa ea necessaria & opportuna faciendi „ & exequendi, in omnibus & per omnia, perinde ac si „ ordinem S. Benedicti expressè professus & ejusdem mo„ nasterii verus Abbas & titularis esset.

Johannes Martini Commendatarius. 1546.

Speciale obtinuit Indultum omnimodam Jurisdictionem exercendi tam in Religiosos quam in alias personas Mediani monasterii & locorum illi subjectorum.

Anno 1548. Medianum monasterium exoneratum fuit pensione quadringentarum librarum Turonensium reservata ut superius dictum est Angelo de Stupha Clerico florentino: pro qua extinguenda Joannes Martini Capellam B. Mariæ *des Aviots* vulgò dictam, in vicinia oppidi de Roseriis ad Salinas sitam, eidem Angelo de *Stupha* contulit & certam insuper pecuniæ summam per modum anticipatæ solutionis ejusdem pensionis exolvit.

1548. Extinguit pensionem quo monasterium oneratum fuerat.

Anno 1550. senior Eques prænobilis familiæ de Andelaw consueta feuda à Johanne Martini recepit. 1550.

Anno denique 1552 idem Johannes *Martini* mortem sibi imminere sentiens, obsignato die decima mensis Februarii testamento, Religiosis Mediani monasterii trecentos Francos pro Anniversario suo celebrando legavit, & ejusdem mensis die decima tertia ex hac vita migravit.

Defunctus est, 1552.

Jacobus de *Maisieres* Abbas. 1552.

Jacobus de *Maisieres* præfato Joanni *Martini* successit, haud dubiè electus à Religiosis qui antiquæ consuetudini inhærentes, in omni vacatione per obitum ad electionem procedere non omittebant. Quantum verò conjectamus *ex integro* ut ajunt, ab Apostolica sede provisus fuit propter affectionem præcedentis Commendæ. Nulla in Archivo nostro reperiuntur ejus vel Electionis vel provisionis acta. Unicum superest de adepta ejus possessione instrumentum in quo fit mentio litterarum Apostolicarum, quarum virtute in eandem possessionem immissus fuit, die nona mensis Octobris prædicti anni 1552.

1554. Dominium Barbonvillæ redimit.

Anno 1554. oppigneratum Dominium de Barbonvilla numeratis Jacobo de *Graveron* quinque Francorum millibus liberavit.

1555. Incolam de Hurbaco excommunicat.

Anno 1555. auctoritate sua quasi Episcopali excommunicavit quemdam Claudium *Houin* incolam de Hurbaco, qui jus quod *Mortuarium* vocant exolvere nolens & in pervicacia sua persistens hanc sibi pœnam contraxit.

1557. Enunciativam *nullius Diœcesis* usurpat.

Anno 1557. cogitavit de resignanda Abbatia in favorem Ludovi *de Bilistein* sui ex germana sorore nepotis profiteri cupientis. Quamvis autem ab hac sententia statim discessisse videatur, extant nihilominus pleraque acta super hoc negotio confecta, in quibus omnibus Medianum monasterium *nullius Diœcesis* nuncupatur.

Eodem anno cum pravum antedicti Claudii *Houin* exemplum sequerentur nonnulli alii Hurbacenses incolæ, & prædicto jure *Mortuario* se liberare prætenderent, Jacobus Abbas ad Hurbacum se contulit, & ut in instrumento ibidem die XXVIII. mensis Martii confecto legitur, *stante synodo ejusdem Reverendi in Christo Patris Domini Jacobi de Mesieres Abbatis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis Mediani monasterii, Ordinis S. Benedicti, nullius Diœcesis, in Parochiali Ecclesia loci de Hurbaiche* eidem monasterio perpetuò uni-

Synodum habet in Ecclesia Parochiali de Hurbaco

unita, in Notarii publici & communitatis ejusdem loci testiumque specialiter convocatorum præsentia, discretus vir Stephanus Claudii Syndicus tanquam procurator totius communitatis præfatæ, confessus est & recognovit jus illud *Mortuarium* eidem Reverendo Domino Abbati deberi. nullius Diœcesis dicta.

1558.

Anno 1558 quibusdam incolis Banni de Hurbaco adhuc detrectantibus sæpedictum jus Mortuarium solvere, Jacobus Abbas supplicem libellum obtulit Illustrissimo Principi Nicolao à Lotharingia Comiti Vademontano tanquam Tutori Serenissimi Ducis Caroli II. nepotis sui, humiliter exponens qualiter *sub prælatura & Jurisdictione sui monasterii consisterent Ecclesiæ Parochiales Bannorum de Mediano monasterio, de Ravono, de septem abietibus & de Hurbaco ac Vepria*, quæ omnes eidem Jurisdictioni immediatè subjacebant, & quarum fructus, redditus, proventus & emolumenta quæcumque eidem monasterio perpetuò annexa, unita & incorporata fuerant: inter quæ jus illud reperiebatur, quod quotiescumque ex hac vita decedit vir, mulier aut quælibet alia persona in ætate discretionis constituta, sive nupta sive cœlebs, toties hæredes illius personæ defunctæ debent sex bicheta siliginis consuetæ in locis mensuræ, quorum Abbas etiam ante earumdem Parochiarum unionem tria solebat percipere in Prælaturæ suæ recognitionem; quibus non obstantibus, nonnulli prædictarum Ecclesiarum Parochiani detrectantes solutionem dictorum sex bichetorum siliginis ac propterea ad Curiam spiritualem monasterii citati, non tantum ejusmodi citationes contempserant: verum etiam contumeliosis ac minacibus verbis usi fuerant, dicentes se fores Ecclesiæ Capellano seu Vicario occlusuros potiùs ac missa carituros, quam ut pro hujusmodi mortuariis excommunicarentur. Ac re quidem ipsa quidam Hurbacensis incola Claudius *Houin* dictus, cum de dictis sex bichetis adhuc tria deberet nec

Libellum supplicem offert Nicolao à Lotharingia & asserit sub Prælatura sua consistere parochiales Ecclesias de Mediano monasterio, de Ravono, de septem abietibus & de Hurbaco ac Vepria.

„ satis facere vellet, juridicè citatus fuerat usque ad con-
„ tumaciam ; deinde verò in plena Ecclesia monitus,
„ omnibus mandatis ac monitionibus Ecclesiasticis ita in-
„ obediens & rebellis extiterat, ut per sententias & cen-
„ suras Ecclesiasticas contra ipsum procedere necesse fuis-
„ set; Qui tamen Claudius cernens se excommunicatum
„ denuntiatum, ad exponentem tanquam ad suum Præ-
„ latum reversus, enixè oraverat ut sibi pro honore Dei
„ culpam condonare, nec non absolutionem impertiri di-
„ gnaretur; maledicens illis à quibus ad tantum facinus
„ perpetrandum incitatus fuerat, ac promittens ex toto
„ se satis facturum. Quod promissum præstare cum idem
„ Claudius *Honin* in maximum fidelium scandalum & Ec-
„ clesiæ Mediani monasterii præjudicium renueret, nul-
„ lum aliud huic malo remedium exponens invenire po-
„ tuerat, quam recursum ad Principis auctoritatem.

Ab eo tanquam Prælato suo excommunicationis absolutionem petit incola de Hurbaco.

Hoc supplici libello in consilio Serenissimi Ducis viso & examinato, totum negotium judicio Baillivi Nanceiani, nec non Procuratoris in Lotharingia generalis permissum est, à quibus cum utraque pars sufficienter audita fuisset, Dominus Bertrandus *Le Hongre* Procurator generalis ad locum Medianum se contulit, ubi coram illo comparuerunt Scabinus Ecclesiæ S. Johannis de Hurimonte, omnesque ejusdem loci incolæ, à quibus quæsivit 1.° An parati essent ad Mortuaria de quibus agebatur Domino Abbati & Capellanis suis deinceps absque ulla contradictione solvenda, & responderunt se paratos esse. 2.° An haberent aliquam querimoniam vel expostulationem faciendam adversus præfatum Dominum Abbatem, & responderunt se nullam habere, sed ipsum ab eis spectari & teneri *pro bono suo Prælato & Domino spirituali*. Quibus auditis idem Dominus Procurator generalis vigore commissæ sibi auctoritatis, nec non prædictæ recognitionis, omnes incolas Sancti Johannis de Hurimonte illorumque posteritatem tam natam quam nascendam in

Incolæ S. Joannis de Hurimonte spondent mortuarium solvere & Dominum Abbatem pro bono suo Prælato & Domino spirituali habent.

in perpetuum, ad antedicta Mortuaria exsolvenda condemnavit. De quibus omnibus & singulis confectum fuit instrumentum die XIX. mensis Decembris anni 1559.

Obstinato adhuc animo perstiterunt habitatores loci de Hurbaco, verum post nonnullas Vadimonii denunciationes & desertiones, tandem coram Domino Baillivo Nanceiano die sexta Januarii anni 1560. comparuerunt & ad eandem conditionem descenderunt quam prædicti S. Joannis incolæ, *Mortuariorumque* solutionem spoponderunt; declarantes pariter se habere Dominum Abbatem *pro bono suo Prælato & Domino spirituali.*

Idem præstant incolæ de Hurbaco coram Baillivo Nanceiano.

Anno 1559. prædictus Abbas Reverendissimo Episcopo Tullensi Magistrum Nicolaum Dominici Canonicum Ecclesiæ S. Deodati præsentavit ad Ecclesiam Parochialem loci de Barbonvilla instituendum, nec dubitavit in hujusce præsentationis instrumento Medianum cui præerat monasterium *nullius Diœcesis* enunciare.

1559. Medianum monasterium nullius Diœcesis nuncupat Jacobus Abbas.

Anno 1566. à sancta sede litteras monitoriales obtinuit pro recuperandis variis supellectilibus & chartis sibi furto ereptis directæ fuerunt eædem litteræ ad Episcopum Tullensem seu ejus officialem cum enunciativa Mediani monasterii *nullius Diœcesis*, & venerabilis Dominus Franciscus de Roseriis Ecclesiæ Tullensis Archidiaconus major, nec non Reverendissimi Episcopi Vicarius generalis, prædictarum litterarum Executor ab eodem Episcopo subdelegatus, idem monasterium Tullensis seu *nullius Diœcesis* nuncupavit in litteris executorialibus Tulli ab eo datis initio sequentis anni.

1566. Eandem enunciativam illi tribuit Archidiaconus major & Vicarius generalis Tullensis.

Quotidianam Medianensium Religiosorum præbendam, id est victualia illis tribuenda singulis anni diebus, idem Abbas definitè constituit, & in tabulas referri curavit, sed nulla adjecta temporis nota.

Præbenda Medianensium ordinatur.

1567.
B. Anthonius *Le Noir* in Abbatem electi sabsque effectu.

Anno 1567. die verò vigesima nona mensis Augusti Domnus Anthonius *Le Noir* qui se dicit *Mediani monasterii nullius seu Tullensis Diœcesis Abbatem electum & ab Illustrissimo & Serenissimo Domino Carolo Lotharingia Duce approbatum*, præsentavit unà cum Conventu venerabilem & Religiosum virum Domnum Gerardum de *Louves* præfati monasterii Religiosum Presbiterum tanquam habilem, idoneum & sufficienter Apostolica auctoritate ad hoc dispensatum, ad Parochialem Ecclesiam loci de Montiniaco Metensis Diœcesis, ut patet ex instrumento. Verùm quænam fuerit causa prædictæ electionis ejusdem Domni Anthonii *Le Noir* quæ vivente adhuc Jacobo Abbate facta est, nos prorsus latet.

1568.
Jacobus Abbas resignat Abbatiam Joanni de *Mesieres* nepoti suo.

Anno 1568. Jacobus Abbas resignavit Abbatiam suam in manibus Papæ, in favorem Joannis de *Mesieres* sui ex fratre nepotis, qui die VII. mensis Septembris ejusdem anni possessionem adeptus est, præsentibus Mediani monasterii (*nullius seu Tullensis Diœcesis* nuncupati) Priore & Religiosis: qui quidem hujusmodi possessionis adeptioni consenserunt, *sed tanquam obedientiæ filii & non aliàs*; quod factæ priùs ab ipsis electioni de persona Domni Anthonii *Le Noir* adscribendum putamus.

Joannes de *Mesieres* Abbas. 1568.

Joannes de *Mesieres* competitorem habuisse videtur aliquem ex filiis Illustrissimi Principis à Lotharingia Comitis Vademontani de quo suprà ad annum 1534. Hunc fuisse Carolum ejus filium arbitramur, pro quo licet adhuc septenni Commendam Mediani monasterii impetratam fuisse suspicamur; Nam de Abbatia inter præfatum Comitem ex una parte & Jacobum ac Joannem de *Mesieres* ex altera dissidium fuit, quod à Serenissimo Principe Carolo II. Lotharingiæ Duce ita compositum est, ut iidem Abbates totusque Mediani monasterii Conventus ipsi Comiti ejusque hæredibus integrum Dominium loci de Barbonvilla cum decimis de Hassonvilla, pignori dare ac

Cum Comite Vademontano de Abbatia Jurgium habuit.

relinquere tenerentur, donec eidem Comiti seu ejus hæredibus summam quadraginta millium Francorum semel ac simul exolvissent. Id constat tum ex epistola ab eodem Nicolao Vademontano ad Priorem & Religiosos Mediani monasterii hac de re scripta, die ultima mensis Augusti, anno 1568. tum ex mandato ab ipsomet eadem die dato Guillelmo *Gleisenouve* suo ac Serenissimi Ducis Secretario, pro conficiendis hujus oppignerationis litteris, quarum exemplar in nostro deest Archivo.

Eidem Comiti oppigneravit Dominium Barbonvillæ & decimas Hassonvillæ pro quadraginta Francorum millibus.

Nemini dubium esse, potest quin prædictam oppignerationem ægrè tulerint Religiosi Medianenses, & hinc insuper factum esse opinamur, quod adeptæ possessioni per prædictum Joannem de *Mesieres* virum cæterà regendo monasterio parum idoneum, *tanquam obedientiæ filii & non aliàs* consenserunt.

Anno 1570. idem Joannes libertatem incolarum totius Banni Mediomonasteriensis à servitute manus mortuæ confirmavit, & usque ad nonam generationem extendit.

1570. Libertatem incolarum confirmavit & auxit.

Eodem anno novam de præbenda pactionem cum Religiosis fecit, quotidianis victualibus ac cæteris præstationibus cum summa quadringentorum Francorum monetæ Lotharingicæ unicuique Religioso annuatim persolvenda commutatis.

Præbendam Fratrum pecunia commutavit.

Anno 1571. Dominus Leonardus de *Seraucourt*, Anthonium de *Seraucourt* nepotem suum minori ætate puerum, vice ac loco patris ejus Christophori de *Seraucourt* Deo obtulit in Mediano monasterio & monasticæ Religioni addixit, juxta præscriptum à divo Benedicto Regulæ suæ cap. 59. ritum, quem post Tridentinum Concilium adhuc observatum fuisse mirum forte videbitur; sed nondum publicatum & receptum fuerat in his partibus prædictum Concilium.

1571. Puer Deo oblatus in Mediano cœnobio juxta antiquum morem.

An-

1572. Joannes Abbas Patri suo monasterii administrationem committit.

Anno 1572. Joannes Abbas Romam intentatæ sibi (ut putamus) cujusdam litis causâ profecturus, Domino Christophoro de *Mesieres* parenti suo administrationem Mediani monasterii commisit, cum amplissima auctoritate omnes illius redditus percipiendi, locandi, dispensandi, oppignerandi nec non alia quælibet negotia gerendi.

1574. Collatio Ecclesiæ Parochialis de Gogneio Mediano monasterio asseritur.

Anno 1574. orta est contentio inter R. Dominum Sebastianum *Malria* Abbatem de Domno Apro & Conventum Mediani monasterii super Parochialis Ecclesiæ de Gogneyo collatione, quam RR. Domini Joannes Perini Abbas de Alta Sylva & Joannes de *Maisieres* Abbas Styvagiensis assumpti ex utraque parte Arbitri Conventui Mediani monasterii perpetuò adjudicarunt.

1585. Joannes Abbas creditam Patri suo pecuniam spondet.

Anno autem 1575. Joannes Abbas Medianensis ex Italia redux, cuncta à præfato parente suo Christophoro gesta approbavit confirmavitque; omnium magno numero mutuatarum pecuniarum solutionem spondens, & ad eam se suosque successores Abbates astringens.

Abbatiam resignat.

Sub finem ejusdem anni seu lubens seu invitus (quod decidere non valemus) Abbatiam dimisit ac resignavit Domno Anthonio *Le Noir*, qui tunc Mediani monasterii Prior, nec non Curiæ ejusdem Clericus juratus seu Notarius existebat.

ANTHONIUS *Le Noir* Abbas 1575.

ANTHONIUS *Le Noir* (qui etiam Illustrissimi Principis Nicolai Comitis Vademontani Elemosinarius dicitur) mediante prædicta resignatione Abbatiam à San. memoriæ Gregorio XIII. Papa obtinuit, die prima Decembris prædicti anni 1575., illiusque possessionem adeptus est die tertia mensis Martii, anno 1576. præsentibus Nicolao *Bertrand* priore cæterisque Mediani monasterii Religiosis, qui tunc non erant nisi quinque, computato etiam ipso Joan-

Joanne de *Mesieres* anteà Abbate. In adeptæ hujus possessionis instrumento legitur enunciativa *nullius seu Tullensis Diœcesis* prædicto monasterio de more adscripta, soliusque supplicationis á Papa admissæ & permissionis a Serenissimo Lotharingiæ Duce concessæ sit mentio; unde nondum tunc temporis, nec fortè posteà expeditas fuisse Pontificias hujusce resignationis bullas suspicamur, quod & paupertati monasterii tribuendum esse existimamus. Enunciativa nullius seu Tullen. utitur.

Post aliquot menses in dicta possessione transactos, præfatus Comes Vademontanus intermissam litem de Abbatia, in quam Carolo filio suo jus aliquod competere prætendebat repetiit, sicque novus Abbas novam cum illo pactionem facere compulsus est. Jurgium de Abbatia instaurat Comes Vademontanus.

Anno 1577. adaucto ære alieno quo in dies Medianum monasterium magis ac magis gravabatur Anthonius Abbatia cessit, in favorem antedicti Nicolai *Bertrand* Prioris. 1577. Abbatia cedit Anthonius.

Nicolaus *Bertrand* vigore litterarum Apostolicarum resignationis hujusmodi, possessionem adeptus est die tertia mensis Martii, anno 1578. Non extant in Archivo nostro Pontificiæ illæ litteræ, sed reperitur prædictæ possessionis instrumentum, in quo Medianum monasterium *nullius seu Tullensis Diœcesis* nuncupatur. Nicolaus Bertrand Abbas. 1578.

Ante hanc possessionis adeptionem præfatus Nicolaus *Bertrand* nomen & vices Abbatis jam gessisse reperitur; unde inferendum videtur ipsum prædecessoris sui exemplo, vi solius supplicationis à Papa admissæ possessionem statim apprehendisse: deinde verò litteris desuper expeditis, illam iterasse dicta die tertia mensis Martii. Enim verò cum Judices Laici oppidi S Deodati, Rectores Ecclesiæ ac scholæ oppidi de Ravono flagitii cujusdam accusatos incarcerare & in illos inquirere præsumpsissent

Duo Presbiteri ex oppido Ravonensi ad Abbatem Mediani monasterii tanquam ad competentem suum judicem remittuntur.

Sereniſſimus autem Dux Lotharingiæ de Conſilio Senatorum parlamenti Samiellani, die decima menſis Januarii prædicti anni 1578. decreviſſet quod iidem Rectores ambo Presbyteri ad Abbatem Mediani monaſterii tanquam ad ipſorum competentem Judicem remitterentur, ideoque in locum Medianum ſine mora deducerentur, in ejuſdem Abbatis poteſtatem tradendi: Præpoſitus dicti oppidi S. Deodati nec non Subſtitutus ſeu Vicarius Domini Georgii de *Mainbourg* Procuratoris in Lotharingia generalis, cui hoc negotium à præfato Sereniſſimo Duce demandatum fuerat, ad Medianum monaſterium ſe contulerunt die octava menſis Februarii ejuſdem anni, & coram Notario publico *Reverendum Dominum Dominum Nicolaum Bertrand Abbatem ejusdem Mediani monaſterii alloquentes* declaraverunt, quod quæcumque eatenus in oppido ſancti Deodati geſta fuerant, circa detentionem & cauſam prædictorum Rectorum, nullatenus facta erant animo uſurpandi ſeu labefactandi *Jurisdictionem Eccleſiaſticam quâ in dicto oppido Ravonenſi & aliis locis ad Medianum monaſterium pertinentibus ipſe Abbas potiebatur*, ſed ob incertitudinem legitimi illorum Judicis, cum nullus ſe pro tali agnoſcere aut exhibere voluiſſet, antè reſponſum ſibi ab eodem Nicolao Abbate datum menſe Novembri ultimo. Quapropter præfato Nicolao Abbati denunciaverunt ſe paratos eſſe ad dictos Rectores in Medianum locum proximè ſequenti die deducendos, ipſumque interpellaverunt ut eoſdem cum criminationibus & inquiſitionibus reciperet ac de illorum cauſa ſtatueret. Quæ cum audiſſet Nicolaus Abbas, petiit declarationem, denunciationem & interpellationem prædictas in acta referri, nec non eorumdem actorum exemplar ſibi tradi cum congruenti temporis ſpatio ad conſilium capiendum; quam moram interpoſuit præfatus Abbas, quia audiverat ſæpe dictos Rectores eſſe quorumdam Ordinum (quos temerè deſeruerant) Religioſos expreſsè profeſſos, ac propterea

Præpoſitus S. Deodati & ſubſtitutus ibidem Procurator Juriſdictionem Eccleſiaſticam Mediani monaſterii agnoſcunt.

reà dubitabat num essent ad Regulares dictorum Ordinum superiores remittendi.

Anno 1581. idem Nicolaus *Bertrand* Abbatiam resignavit in favorem Illustrissimi Principis Caroli à Lotharingia Cardinalis de *Vauldemont* vulgò nuncupati, qui filius erat Nicolai Comitis Vademontani, de quo plura prælocuti sumus. Causa hujus resignationis de titulo in Commendam sic exprimitur in litteris Apostolicis desuper expeditis: *Cum itaque postmodum monasterium Sedi Apostolica immediatè subjectum Mediani monasterii Ordinis S. Benedicti Tullensis seu nullius Diœcesis, ex eo quod dilectus filius Nicolaus Bertrand nuper ipsius Mediani monasterii Abbas considerans inter tot renascentes quotidie præcipuè in regno Franciæ bellorum tumultus, dominia & bona ejusdem monasterii ab hæreticis & incursantibus militibus assiduè turbari, atque in hoc inquieto rerum statu se in illis tuendis & administrandis non sufficere, periculumque fore nisi de aliquo potente & industrio, cujus auxilio, operâ, opibus & autoritate adversus imminentia pericula & detrimenta jam orientia maturè provisum fuerit, ne bona & dominia hujusmodi usurpentur, eâ ac aliis de causis animum suum moventibus regimini & administrationi dicti monasterii in manibus nostris sponté & liberé cessit, nos quoque cessionem hujusmodi duximus admittendam, apud Sedem prædictam vacaverit & vacet ad præsens, Nos &c.*

1581. Nicolaus Abbas resignat de titulo in Commendam.

Exposita summo Pontifici resignationis hujus rationes.

CAROLUS à *Lotharingia* Cardinalis Vademontanus nec non Ecclesiæ Tullensis administrator Mediani monasterii Commendam sic consecutus, illius tamen administrationem saltem quoad spiritualia non suscepit, sed reliquit prædicto Nicolao Bertrand, qui sub nomine antiqui Abbatis & Vicarii generalis illa potitus est usque ad obitum præfati Cardinalis, qui annos natus duntaxat viginti sex Tulli defunctus est, tertio Cal. Novembris, anno 1587.

Carolus à Lotharingia Commend. 1581.

In bullis ejus Commendæ appositum legitur sequens

Decretum appositum in Bulla hujus Commendæ.

Decretum: *quodque te cedente vel decedente aut ipsum Medianum monasterium alias quomodolibet dimittente, illud ulterius in Commendam non concedatur sed in pristinam, tituli naturam redeat ac illi de persona regulari provideri debeat ac si tibi minimè commendatum fuisset.* Quamobrem statim post renunciatum Caroli obitum, hoc est Calendis ejusdem mensis Novembris, capitulariter congregati Religiosi ejusdem monasterii *ad quos* (ut ipsi ajunt) *quandocumque pro tempore vacat, electio Abbatis virtute privilegiorum Apostolicorum eidem monasterio concessorum, confirmatio verò ad sanctissimum Dominum nostrum Papam pro tempore existentem, ab antiquo pleno jure spectare & pertinere* dignoscebatur, venerabilem ac nobilem virum Joannem Ludovicum de *Thullieres* Confratrem suum & Priorem, in suum & prædicti monasterii (quod *Tullensis seu nullius Diœcesis* dicitur) Abbatem elegerunt.

Obitus Caroli à Lotharingia & electio Domini Ludovici de *Thullieres.*

1588. Conventus mille trecentos auri nummos à Domino de Tanvillari mutuos accipit.

Anno 1588. die verò XVIII. mensis Martii præfato Joanni Ludovico de *Thullieres* ut electionem suam tueri ac defendere posset, Conventus commodavit mille trecentos auri nummos, quos à Joanne Frederico Domino de Tanvillari mutuos acceperat. Verùm ob præcedentis Commendæ affectionem ejus electio Romæ admissa non fuit.

Erricus à Lotharingia Commendatarius, 1588.

Erricus à *Lotharingia* præfati Cardinalis Vademontani & Ludovisiæ Francorum Reginæ frater, in quartodecimo vel circà suæ ætatis anno constitutus, nec non in Universitate studii generalis Parisiensis actu studens, & pro quo Serenissimus Princeps Carolus II. Lotharingiæ Dux per suas litteras ad Papam directas supplicaverat, Mediani monasterii *Tullensis seu nullius Diœcesis* nuncupati commendam obtinuit, pridie Cal. Aprilis, anni 1588 cum derogatione antedicti Decreti, quod tamen in hujusce Commendæ bullis iterum appositum est.

Enunciativa Tullen. seu nullius Diœcesis.

Claudius Heynart Canonicus Tullen.

Claudius *Heynart* Canonicus Ecclesiæ Tullensis prædictas bullas executioni mandavit, nec omisit in processus ful-

fulminati litteris ab eo datis Tulli vigesima septima die mensis Junii ejusdem anni, Mediano monasterio adscribere solitam enunciativam *Tullensis seu nullius Diœcesis*, de qua ne Lectoribus tædium pariamus, nullam deinceps mentionem faciemus, nisi cum ab ipsismet Tullensibus Episcopis aut illorum officialibus usurpata nobis occurret.

commendam executioni mandat cum eadem enunciativa.

Sibi proposuerat Cardinalis Vademontanus omnia Mediani monasterii debita persolvere & oppignerata bona redimere, eoque consilio sub finem vitæ suæ quamdam omnium ejusdem monasterii bonorum ac redditum meditabatur elocationem, ex qua hoc emolumentum se consequi posse sperabat; at morte præventus cogitata perficere non potuit. Hanc illi mentem fuisse summo Pontifici non tantum significaverunt qui novam Mediani monasterii commendam Errico concedi postulabant: verum etiam sanctitati suæ denunciaverunt præclari hujus consilii executionem ab eodem Errico incunctanter suscipiendam, Quamobrem ubi primùm expeditæ fuerunt bullæ hujus commendæ, Illustrissima Princeps Catharina de Albamala Nicolai Comitis Vademontani relicta, Erricique mater, prædictæ elocationi de consilio Serenissimi Lotharingiæ Ducis ultimam manum apposuit die XXIV.ª mensis Maij ejusdem anni; quo tempore possessionem Abbatiæ necdum apprehenderat Erricus.

Motivum hujus commendæ debitorum monasterii solutio fuit.

Præcipuæ autem hujus elocationis conditiones erant 1.° quod per quindecim annos continuos & successivos à prima die Januarii anni 1589. computandos duraret. 2.° Quod illa durante conductor cuncta monasterii onera supportaret ac summam mille scutorum in farciendis ejus ædificiis semel expenderet. 3° Quod quinque Religiosos computato Domno Anthonio *Le Noir* olim Abbate & duos Novitios in eodem monasterio tunc existentes aleret & sustentaret, unicuique Religioso quadringentorum & Novitio centum Francorum summam monetæ

Bonorum ac redditudum monasterii elocatio pro solvendis debitis & pignori datis redditibus redimendis.

Lotharingicæ annuatim persolvendo. 4.° Quod Errico commendatario singulis annis summam novem millium Francorum ejusdem monetæ penderet. 5.° Quod ejusdem Vicario generali, hoc est Domno Nicolao *Bertrand* olim Abbati, pensionem annuam mille ducentorum Francorum tribueret. Quo onere plane exemptus fuit prædictus conductor per mortem ejusdem Nicolai *Bertrand*, quæ contigit die XVIII mense Septembris, anni 1588. 6.° Denique quod monasterium majori parte debitorum suorum liberaret, nec non oppignerata pro iisdem debitis bona usque ad summam quadraginta quatuor millium & centum Francorum redimeret: singulis creditoribus satisfaciendo, ac specialiter præfatæ Dominæ Catharinæ quadraginta Francorum millia pro recuperatione dominii de Barbonvilla numerando.

1594. Confraternitas inita inter Senonienses, Medianenses & Styvagienses.

Anno 1594. die verò mensis octobris XIII. Abbates & Religiosi Senoniensis, Medianensis & Styvagiensis monasteriorum charitatis societatem seu confraternitatem quam à quibusdam annis tam pro vivorum quam mortuorum solatio observabant, indissolubilem & inviolabilem deinceps fore sanxerunt. Qua de re, in Mediano monasterio confectum fuit instrumentum, cui Erricus jam tum Episcopus & Comes Virdunensis subscripsit tanquam ejusdem monasterii Abbas.

1598. Redditus de camera ad triginta duos annos elocati.

Anno 1598. die verò VII. Mensis Maij mutuatam à Joanne Frederico Domino de Tanvillari anno 1588. pecuniam Conventus refundere non valens, omnes monasterii redditus vulgò de Camera dictos, in ejusdem pecuniæ solutionem præfato Joanni Frederico ad triginta duos annos, de consensu Errici Abbatis elocavit seu pignori dedit.

1599. Anno 1599. die verò XXII. Januarii, cum ita imminutus esset Religiosorum Medianensium numerus ut divinis

ritè

ritè peragendis impares essent, & in monasterio S. Vitoni Virdunensis, in quo tunc temporis introducta fuit Reformatio, plures reperirentur qui eam suscipere detrectarent, Erricus assumptos quinque ex ipsis ad Medianum monasterium direxit, præcipiens ut in eo reciperentur; quod & factum est sub his conditionibus, nimirum ut Vitoniani illi Domno Joanni Ludovico de *Thullieres* priori claustrali tanquam suo superiori in omnibus obtemperarent: Officiales monasterii in suis officiis nullatenus turbarent, & locum post Medianenses semper & ubique haberent; de cætero eundem inter se servantes ordinem quem in monasterio Vitoniano tenuerant.

Quinque Religiosi Vitoniani Reformationem recusantes ad Medianum cœnobium diriguntur & in eo jussu Errici Abbatis recipiuntur.

Eodem anno die verò ultima mensis Aprilis, cum Religiosis Mediani monasterii Erricus mentem suam de dismembratione & alienatione Dominii de Barbonvilla, pro fundatione & dotatione Seminarii Societatis JEsu, in oppido S. Nicolai de portu, per litteras suas patefecisset; tantum abest ut prædicti Religiosi dismembrationi & alienationi hujusmodi consensum præbuerint: ut contrà Capitulariter congregati unanimi pactione facta promiserint ac protestati sint, se dismembrationi & alienationi prædictis, quæ in tantum vergebant Mediani monasterii detrimentum, nunquam consensuros, sed potius interposituros ac totis viribus obstituros.

Propositam ab Errico dismembrationem dominii de Barbonvilla abnuit conventus.

Verùm non obstante firmo illo Medianensium Religiosorum proposito, Erricus cæterà pius ac Religiosus Princeps, dismembrationem & alienationem dicti Dominii in Curia Romana prosecutus est per agentes suos, qui sanctissimo Pontifici Clementi VIII. exponere non dubitarunt, quod omnia & singula bona, jura & emolumenta quæcumque in pago de Barbonvilla illiusque territorio ac finibus consistentia & ad Medianum monasterium pertinentia, olim per tunc existentes ejusdem monasterii Abbates seu Commendatarios *accepto ære alieno* „op-

Resistente licet conventu fit hæc dismembratio.

„ oppignerata, hypothecata & distracta, nuper *suis pro-*
„ *priis pecuniis*, summam decem millium scutorum exce-
„ dentibus, redimi cœpissent, & infra quinquennium
„ proximum integrè recuperarentur. Quæ quam longè à vero absint ex antedictis manifestum est. Verum hæc & alia quæ contra bullam hac de re datam sexto Cal. Augusti ejusdem anni, opponi possunt, libenter hic silentio præterimus.

1601. Anno 1601. die verò XIX. mensis Maij Erricus temporale damnum quod Mediano monasterio intulerat spirituali lucro compensare volens, Breve Apostolicum obtinuit pro illius Visitatione & Reformatione.

Eodem anno die verò XXII. mensis Octobris, Dominæ Claudiæ de *Grammont* relictæ Joannis Friderici Domini de Tanvillari, prædium quod in loco S. Petri ad Nemus * ex cunctis bonis Cellæ de Tanvillari Mediano monasterio unicum supererat, vendidit Erricus & exinde summam duorum millium & ducentorum quinquaginta Francorum accepit, quam deinde anno videlicet 1605 acquirendo Molendino dicto de *Honru* prope *Portcieu* adhiberi voluit in compensationem. Qua ratione penitùs extincta remansit prædicta Cella de Tanvillari, quæ à longo jam tempore cæteris bonis spoliata & dirutis ædificiis destructa jacebat in vicinia ejusdem S. Petri ad Nemus, in loco qui etiam num ab incolis Claustrum nominatur & in ipsius nemoris introitu reperitur.

* *S. Pierre-bois.*

Cella de Tanvillari penitùs extincta.

Eodem iterum anno die verò tertia mensis Novembris, vigore supradicti Brevis Apostolici Reformationem S. Justinæ aliàs montis Cassini in Mediano monasterio introduxit, ut ex sequenti desuper confecto instrumento Lector accipiet.

Erricus à Lotharingia Dei & sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Episcopus & Comes Virdunensis, monasterii S. Hidulphi Mediani mo-

monasterii vulgariter nuncupati Abbas Commendatarius, nec non sanctissimi Domini nostri Clementis Papæ VIII. *& Apostolicæ Sedis in præsenti dicti monasterii visitatione delegatus, omnibus tam præsentium quam futurorum temporum ad quorum notitiam præsentes devenerint salutem in Domino sempiternam. Notum facimus quod cum in dicto monasterio S. Hidulphi regularis disciplina jam à multis annis collapsa & neglecta jaceret, nos pro paterna sollicitudine animarum saluti & Ecclesiæ ædificationi prospicientes, jamque aliàs tam per legatos nostros, quam per nos ipsos huic malo remedium afferre cupientes, aliquoties paternis monitionibus Religiosos dicti monasterii ad meliorem vitam adhortati fuissemus, ipsique nihilominus in inveterata vivendi licentia perseverantes summo Ecclesiæ Dei offendiculo essent, nonnullique etiam criminosi & incorrigibiles reperirentur, ut Religiosæ non solum observantiæ sed etiam Christianæ pietatis zelus & disciplina à cordibus dictorum Religiosorum excidisse videretur. Cumque jam ante duos annos dictum monasterium visitantes paterna correctione & monitionibus eos ad ordinis sui instituta reducere conati fuissemus, & salutaribus dictæ visitationis decretis & ordinationibus illis relictis ad residentiam nostram Virdunensem rediissemus, novos iterum clamores & querimonias de dictorum Religiosorum scandalosis moribus & excessibus audientes, efficacius aliquod huic malo remedium meditati sumus, prævidentesque non nisi dissolutorum & sui instituti neglectorum Religiosorum translatione, regularem inibi disciplinam ulla ratione restitui posse, re tota sanctissimo Domino nostro Clementi Papæ* VIII. *exposita, ut ordinariam nostram auctoritatem suprema sua potestate in tam salutaris operis executione augeret & fulciret, nos suum & Apostolicæ Sedis in hac parte Legatum per litteras in forma Brevis, subdata Romæ apud S. Marcum die decima nona Maij præsentis anni millesimi sexcentesimi primi, Pontificatus sui anno decimo delegârit, ad disciplinam Religiosam & Regulæ S. Benedicti observationem cum plenitudine potestatis Apostolicæ in dicto monasterio restituendam, omniaque & singula facienda, quæ dictæ restitutioni & hujus monasterii Reformationi necessaria, efficacia & opportuna esse judicaremus; quarum quidem litterarum Apostolicarum tenor sequitur & est talis:* Clemens Papa VIII.

Introductio Reformationis in Mediano monasterio per Erricum Abbatem tanquam S. Sedis delegatum, 1601.

* Hic omittitur solita enunciativa seu nullius quod nonnisi scriptoris incuria adscribendum videtur.

*Venerabilis frater salutem & Apostolicam benedictionem. Cum sicut nuper nobis exponi fecisti in S. Hidulphi Mediani monasterii Ordinis S. Benedicti Tullensis * Diœcesis, nec non Belli loci, in Argonna Cluniaconsis Ordinis, Virdunensis Diœcesis monasteria quæ ex concessione & dispensatione Apostolica in Commendam ad tui vitam obtines, ac in quibus nonnulli Monachi scandalosi & forsan incorrigibiles reperiuntur, visitare intendas, nos dictorum monasteriorum salubri directioni & prospero statui quantum cum Domino possumus consulere volentes, de tua pietate, prudentia ac Religionis zelo plurimum in Domino confisi, tibi ut tanquam noster & Apostolicæ sedis delegatus, per te vel alium seu alios à te deputandum vel deputandos, monasteria prædicta semel tantum visitare, ac tam in capite quam in membris corrigere & reformare, ac in singulorum Monachorum vitam, ritus, mores & disciplinam diligenter inquirere, nec non Evangelicæ & Apostolicæ doctrina sacrorumque Canonum & Conciliorum generalium decretis, sanctorumque Patrum traditionibus ac ordinum dictorum monasteriorum institutis inhærendo, quacumque mutatione, correctione, reformatione, emendatione, revocatione, renovatione, aut etiam ex integro editione indigere agnoveris, renovare & de novo constituere, condita sacris Canonibus & Concilii Tridentini decretis non repugnantia confirmare, abusus quoscumque tollere, bonas ac laudabiles institutiones ac inprimis divinum cultum, monasticam disciplinam & observantiam regularem ubicumque exciderint modis congruis restituere, monachosque prædictos ad debitum & honestum vitæ modum reducere; si aliquos in aliquo delinquentes repereris, eos juxta Canonicas sanctiones & eorum regularia instituta punire & castigare, illosque prout expediens judicaveris ad alia monasteria seu regularia loca ejusdem ordinis per te in Commendam aut alias forsam obtenta transferre; quæcumque verò graviora repereris, ea in scriptis redacta ad nos diligenter deferri facere, contradictores quoslibet ac rebelles, eisque auxilium, consilium vel favorem, publicè vel occultè, directè vel indirectè, quovis quæsito colore vel ingenio præstantes, cujuscumque status. gradus, ordinis ac conditionis fuerint, per privationem eorum officiorum & dignitatum, ac inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda &*

& quascumque alias arbitrio suo vel à te deputandas, imponendas & infligendas pœnas, ac demum per aliquas censuras Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione postposita compescere, ac legitimis super his habendis servatis processibus, pœnas & censuras ipsas iteratis vicibus aggravare, interdictum Ecclesiasticum apponere, ac etiam si opus fuerit auxilium brachii sæcularis invocare, omniaque alia quæ ad visitationem, correctionem & reformationem pertinent, pro dictorum monasteriorum prospero statu dirigendo, necessaria & opportuna facere & exequi liberè & licite possis & valeas, auctoritate Apostolica, tenore præsentium licentiam concedimus & impartimur. Non obstantibus præmissis ac quibusvis Apostolicis, nec non in provincialibus & synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, ac dictorum monasteriorum & illorum ordinum etiam juramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis & litteris Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus & formis ac cum quibusvis clausulis & decretis in genere vel in specie ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & approbatis; quibus omnibus & singulis, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo piscatoris die XIX.a *Maij* MDCI. *Pontificatus nostri anno decimo. Postquarum quidem litterarum Apostolicarum receptionem, nos vigore earumdem præfatum nostrum monasterium visitantes, cum inveterata vivendi licentia & dissolutioni nullum aliud efficacius & tutius remedium esse videremus quam eorum Religiosorum tanslationem qui vel incorrigibiles, vel regularis observantiæ contemptores aut minus studiosi inventrentur, attendentesque unius negligentiam multorum offendiculo & detrimento esse posse, de coassumptorum Consiliariorum nostrorum assensu & consilio, præfatos incorrigibiles & scandalosos Religiosos aut negligentes prout in decretis visitationis plenius continetur, propter scandalosam eorum vitam & incorrigibilem ab omni voce activa & passiva in dicto Capitulo privavimus & à dicto monasterio relegavi-*

mus & ad alia loca transtulimus, absque ulla spe ulterius ad dictum monasterium redeundi; alios verò qui vel ob inveteratam vivendi licentiam, aut corporis infirmitatem, prædictæ Reformationi aut Regulæ observationibus se submittere noluerunt, ne dictæ Reformationi impedimento & perturbationi forent, ad alia itidem loca cum salutaris obedientiæ merito in perpetuum transtulimus, aliosque Religiosos infra scriptos videlicet RR. Patres Claudium Franciscum & Petrum Rosset *Presbiteros nec non Fratres Nicolaum Fabium & Bernardum* Poterlot *Religiosos professos Ordinis S. Benedicti, quos ex reformato monasterio nostro S. Vitoni Virdunensis transtulimus, aliosque ab eis receptos seu eorum successores, juxtà regula S. Benedicti observantiam viventes in hoc monasterium S. Hidulphi introduximus & in vera & legitima dicti monasterii membra seu filios & Religiosos instituimus; conferentes eis prout contulimus omnia & singula jura, privilegia, fructus, redditus, proventus & obventiones quæ ad Conventum seu Capitulum dicti monasterii pertinere dignoscuntur, aut futuris temporibus pertinere poterunt, eosque in realem & actualem dicti monasterii possessionem per nos ipsos immisimus. Assignantes eis stalla in Choro & loca in Capitulo ejusdem monasterii. Statuentes & decernentes prout per præsentes statuimus & decernimus, ut dicti Religiosi per nos in dictum monasterium introducti & in aliorum locum suffecti, nec non ab eis recepti seu eorum successores, futuris ex tunc in posterum temporibus regulam S. Benedicti, juxtà declarationem Patrum ejusdem ordinis, Congregationis S. Justinæ seu Montis Cassini perfectè observent perpetuamque à carnibus abstinentiam extra casum infirmitatis, jejuniumque hyemale & matutinas vigilias juxtà regulæ constitutiones observent, & lineis indusiis juxta regulam non utantur. Abrogantes prout auctoritate Apostolica nobis in hac parte delegata abrogamus, quasvis in contrarium facientes consuetudines, privilegia, statuta & constitutiones quascumque quavis autoritate firmata & roborata esse possint. Et ut per nos introducta regulæ restitutio firmius & stabilius futuris temporibus conservetur, eadem auctoritate statuimus & ordinamus, ut omnes & singuli tam præsentium quam futurorum temporum Religiosi, qui in dicto monasterio recepti fuerint, ultra professionem juxtà ver-*

verba regulæ emitti solitam peculiari quoque juramento ad sancta Dei Evangelia in manibus nostris seu Prioris nostri, aut successorum nostrorum pro tempore existentium præstito, sese obstringant jurentque se nullo unquam tempore à dicta regula observantia & reformatione discessuros nec recepturos quemlibet Religiosum qui ejus observandæ piam voluntatem non præ se ferat, nullumque electuros in superiorem qui dicta observationis regularis studiosus non existat. prævidentesque maximum ad dicta reformationis confirmationem adjumentum fore, siqua in præsenti visitatione salutaria instituta plantavimus prudenti ac pia sæpius sollicitudine excolantur, statuimus insuper ut Prior dicti monasterii S. Vitoni Virdunensis pro tempore existens, quam diu sub regulari dicta reformationis observantia præfatum monasterium S. Vitoni remanebit, possit & debeat singulis tribus annis hoc S. Hidulphi monasterium & Religiosos inibi degentes visitare, corrigere & reformare eaque statuere & ordinare quæ ad regularem disciplinam juxtà dicta Congregationis S. Justinæ declarationem conducentia & salutaria in Domino videbuntur; citrà tamen quorumcumque bonorum temporalium mobilium vel immobilium usurpationem aut dispositionem, quæ in bonum dicti monasterii non cederent; ita ut Prior visitans possit quidem præter ea quæ ad regularem disciplinam spectant, ea etiam statuere quæ ad bonorum alienatorum recuperationem, Ecclesiæ & domus restaurationem, ornamentorum emptionem cæteraque quæ in dicti monasterii utilitatem cederent statuere & ordinare, non tamen ex dictis bonis mobilibus aut immobilibus quidquam aliò destinare, transportare aut alias disponere possit; salvò quod dicto Priori visitanti & Comitatui ejus tam in eundo quam redeundo sumptus ad victum duntaxat necessarii subministrabuntur. Non possit autem dictus Prior visitans plusquam duos secum & famulum adducere, teneaturque dictam visitationem quam citissime fieri poterit absolvere, ne huic monasterio oneri sit, super quo conscientiam ejus oneramus. Volumus autem ut initio cujuslibet visitationis postquam dictus Prior visitans adventus sui rationes in Capitulo exposuerit, hæc nostra decreta quæ ad regularem disciplinam spectant in dicto Capitulo alta & intelligibili voce legantur, ut tam ipse visitans quam visitati suum munus & dicta visitationis finem intelligant,

gant,

gant, ad eamque utilius in Domino se disponere possint. Non intendimus autem per præsentes ullum nobis aut successoribus nostris Abbatibus commendatariis quoad jus hoc monasterium per nos seu delegatos nostros visitandi præjudicium generare. Quod si dictus Prior S. Vitoni pro tempore existens dictam visitationem occupatione, impedimento vel negligentia intermitteret, non teneantur Religiosi ullam illi procurationem seu censum in signum subjectionis solvere nec ad id se submittere possint; non intendentes ulla ratione hoc monasterium neque in eo commorantes Religiosos monasterio S. Vitoni Virdunensi submittere, nisi in supradictis ad regularem disciplinam conservandam visitationibus. Si autem (quod absit) dicta regularis disciplina in monasterio S. Vitoni relaxaretur, ut exempli gratia si restituta juxta regulam à carnibus perpetua abstinentia extrà casum infirmitatis inibi non observaretur, vel lineis indusiis contra dictæ regulæ restitutionem uterentur, Religiosi hujus monasterii S. Hidulphi dictam visitationem admittere non tenerentur, ipsoque facto ab eorum essent visitatione exempti. Quæ omnia per nos in præsenti visitatione ordinata Apostolica autoritate nobis in hac parte concessa decernimus, statuimus & confirmamus eisque perpetuæ firmitatis robur adjicimus, excommunicantes prout excommunicamus contradictores quoslibet & rebelles in detrimentum dictæ reformationis aliquid molientes, eisque favorem & auxilium quovis colore præbentes, si postquam per Priorem dicti monasterii pro tempore existentem moniti fuerint, non destiterint. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, ordinationibus, statutis aut privilegiis quibuscumque quæ sanctissimus Dominus noster litteris delegationis nostræ voluit non obstare. In quorum omnium fidem præsentes manu nostra & Notarii Apostolici subscriptas sigillique nostri majoris appensione communitas dedimus easque alta & intelligibili voce in Capitulo dicti monasterii legi & publicari fecimus, die tertia Novembris ante meridiem, anni Millesimi sexcentesimi primi. Præsentibus ibidem Reverendo Domino Joanne Lignario Abbate Senoniensi & venerandis Domino Nicolao Henart *Vicario nostro generali, D. Jacobo Boucherio nostro in Abbatiis & monasteriis nostris Vicario, D. Claudio Jacobo aliàs* Chamagne *Priore Senoniensi, D. Nicolao* Oulry *Priore & Nicolao* Grillot *Re-*

Religiosis monasterii Stivagiensis & quam plurimis aliis Presbiteris & Rectoribus parochialium à præfato nostro monasterio dependentium. Signatum Erricus à Lotharingia Episcopus & Comes Virdunensis & super plicam de mandato Illustrissimi & Reverendissimi Domini Domini mei Episcopi & Comitis Virdunensis Abbatis monasterii S. Hidulphi. J. Ruyr *publicus autoritate Apostolica Notarius.*

Eadem die in gratiam prædictæ Reformationis Erricus officia claustralia, videlicet præposituram monachalem sylvarumque Præfecturam & Thesaurariam cum annexa illi Cantoria officio Prioris & mensæ Conventuali authoritate Apostolica qua fungebatur perpetuò univit & incorporavit: de officio Camerariæ idem procul dubio facturus, si hoc officium in titulum dari consuevisset; verùm nonnisi manuale & amovibile erat, illiusque bona ac redditus ad Conventum semper pertinuerant & etiamnum pertinent, ut ex illorum oppignerationeàn. 1598. & redemptione an. 1615. à Conventu factis plusquam satis apparet. Camerarius itaque Mediani monasterii id est rerum ac redituum ejus procurator identidem eligebatur à Conventu, cui tam de sui officii, quam de ejusdem proventibus rationem reddere tenebatur.

Unio Præposituræ.

Erricus à Lotharingia Dei & S. Sedis Apostolicæ gratia Episcopus & Comes Virdunensis, monasterii S. Hidulphi Abbas Commendatarius, nec non sanctissimi Domini nostri Clementis Papæ VIII. *& Apostolicæ Sedis in hac visitatione delegatus, universis præsentes litteras visuris salutem in Domino sempiternam. Notum facimus quod cum hoc monasterium S. Hidulphi auctoritate Apostolica nobis ab Apostolica Sede delegata visitaremus, interque alia ad regularis observantiæ stabilitatem conducentia à nobis decreta & ordinata, cum experimento præteritorum temporum in dicta visitatione & aliàs comperissemus officii Præposituræ administra-*

strationem & exercitium per Religiosos dicti hujus monasterii teneri & exerceri solitum, regulari observationi minus conveniens esse, ex eoque varias discurrendi & extra monasterium vagandi occasiones distractionesque oriri solitas, gravioraque inde animarum detrimenta provenire, dum Religiosi hujusmodi occupationibus & vagandi occasionibus distracti, pietatem Religiosam sæpe omnem amittunt, cupientesque huic periculo remedium aliquod afferre, omnemque proprietatem & rerum temporalium particularem administrationem & à superioribus independentem auferre, cum dictum officium Præpositura, per Domni Samsonis Le Thillier *olim hujus monasterii Præpositi Religiosi puram & liberam cessionem, in manibus nostris coram Notario & testibus sponte factam, de die ultimo Octobris præsentis anni, vacaverit & vacet ad præsens. Nos præfatum officium præpositura & silvarum præfectura cum omnibus juribus, proventibus & emolumentis Domno Claudio Francisco Priori hujus monasterii contulimus & conferimus, illudque officio Prioratus hujus monasterii perpetuò univimus & annexavimus, prout per præsentes perpetuò unimus & annexamus. Ut autem supradictis periculis, distractionibus & vagandi occasionibus Religioso statui minus convenientibus provideamus, statuimus & ordinamus ut dictus Prior & Præpositus, dicta Præpositura Vicegerentem habere teneatur, qui dictum Præpositura officium in rebus saltem minoris momenti, & qua Religiosum statum & professionem minus decent exercere possit & debeat. In rebus verò majoribus & lignorum silvarum hujus monasterii à nobis vel successoribus nostris venditorum mensurationem & traditionem, aut alias jurium hujus monasterii dispositionem concernentibus, dictum Priorem & Præpositum consulere & de ejus licentia & consensu illa præstare teneatur. Declarantes irritum & inane si quidquam prædictorum contra dicti præpositi voluntatem fecisse compereretur. Et ut dicta Præpositura dignitas, officium & Jurisdictio penes priorem præpositum & nostrum hac in parte Vicegerentem remaneat, volumus & ordinamus ut dictus Vicegerens quoties annalia comitia seu causæ ut vulgò dicitur annales audienda erunt, dictus Vicegerens teneatur earum audiendarum licentiam à dicto Præposito obtinere. Pro cujus quidem Vicegerentia exercitio dictus Vicegerens habebit jus per-*

percipiendi & percipies duas tertias partes omnium proventuum, emolumentorum & obventionum dictæ præpositurae; reliqua tertia parte penes Conventum dicti monasterii remanente in signum & recognitionem authoritatis & jurisdictionis dictæ præpositura. Custodes verò silvarum solus præpositus Prior præficere & creare ab eisque juramentum accipere possit. statuimus insuper ut dictus Prior præpositus pro tempore existens vacante dicta Vicegerentia præpositura officio, unum nobis ad id idoneum, fidelem & capacem præsentare possit ad dictum debitum officium debitè & fideliter exercendum. Nos verò & successores nostri eundem præficere teneamur, nisi ut incapacem judicaremus repellendum. Quo casu intra mensem dictus præpositus nobis alium capacem & idoneum præsentare tenebitur, aliàs per nos Vicegerentiæ officio provideri poterit, dictusque Vicegerens litteras à nobis & nostris successoribus dictæ vicegerentiæ recipere, juramentumque de eo sub nostra & dicti Prioris præpositi manibus fideliter exercendo, aut successorum nostrorum respectivè præstare teneatur. Quæ omnia in dicti officii unione, connexione, limitatione & ordinatione per nos constituta & ordinata, Apostolica autoritate statuimus & confirmamus, eisque perpetuæ firmitatis robur adjicimus. Non obstantibus constitutionibus, privilegiis & consuetudinibus quibuscumque, quibus omnibus ad effectum præsentium derogamus. In quorum omnium fidem præsentes manu nostra & Notarii Apostolici subscriptas dedimus, easque alta & intelligibili voce in Capitulo dicti monasterii legi & publicari fecimus, die tertia Novembris ante meridiem, anni Millesimi sexcentesimi primi, præsentibus Reverendo Domino Joanne Lignario Abbate Senoniensi & venerandis Domino Nicolao Henart *Vicario nostro generali, Domino Jacobo Boucherio nostro in Abbatiis & monasteriis nostris Vicario, D. Claudio Jacobo aliàs* Chamagne *Priore Senoniensi D. Nicolao* Oulry *Priore & Nicolao* Grillot *Religiosis monasterii Stivagiensis & quampluribus aliis presbiteris & Rectoribus Parochialium à præfato nostro monasterio deppendentium. Postmodum verò præsentes sigilli nostri majoris quo in talibus utimur fecimus & jussimus appensione communiri. Signatum: Erricus à Lotharingia Episcopus & Comes Virdunensis & super plicam J.* Ruyr *publicus auctoritate Apostolica Notarius.*

Unio Thesaurariæ.

Erricus à Lotharingia Dei & S. Sedis Apostolicæ gratia Episcopus & Comes Virdunensis, monasterii S. Hidulphi Abbas Commendatarius, nec non sanctissimi Domini nostri Clementis Papæ VIII. *& Apostolicæ Sedis in præsenti visitatione delegatus. Universis præsentes litteras visuris salutem in Domino sempiternam. Notum facimus quod ex commissione Apostolica hoc nostrum monasterium visitantes inter alia quæ ad Religiosa disciplinæ juxtà S. Benedicti Regulam per nos in dicto monasterio restituta conservationem opportuna & utilia nobis visa sunt, illud in primis necessarium judicavimus ut omnes proprietatis abusus qui prætextu perpetuorum officiorum inter Religiosos irrepserant tollerentur, omnisque particularis & à superioribus independens temporalium rerum administratio quantum fieri posset supprimeretur. Cum itaque officium perpetuum Thesaurariæ hujus monasterii quod alias Domnus Joannes Ludovicus de* Thullieres *Religiosus hujus monasterii in titulum obtinebat, per ejus à dicto officio depositionem, ob causas in depositionis sententia per nos prolata contentas, de die vicesima nona Octobris præsentis anni vacaverit & vacet ad præsens: nos dictum officium Thesaurariatus hujus monasterii cum annexis Juribus, proventibus & emolumentis, Apostolica auctoritate qua in hac visitatione fungimur, mensæ Conventuali hujus monasterii S. Hidulphi perpetuò unimus & incorporamus & futuris in posterùm temporibus unita & incorporata fore inviolabiliter statuimus & declaramus, ita ut dicti officii debitis & consuetis supportatis oneribus, siquid ex ejus redditibus singulis annis superesset, id totum in necessitatem & utilitatem Ecclesiæ aut Conventus dicti monasterii, prout major suaderet necessitas applicari possit. Si verò dicti forsan redditus ad dictorum onerum sustentationem sufficientes aliquando non essent, Conventualis mensa dicta onera suppeditare tenebitur, nullusque Religiosorum quavis dignitate præmineat, audeat amplius sibi dictum officium usurpare, seu ejus proventus in suum particularem usum convertere, sub pœna privationis in perpetuum ab omni officio & voce passiva in dicto monasterio. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus, statutis, privilegiis & consuetudinibus qua-*

vis

vis autoritate roboratis. In quorum omnium fidem præsentes manu nostra & Notarii Apostolici subscriptas & sigilli nostri majoris appensione communitas dedimus, easque alta & intelligibili voce in Capitulo dicti monasterii legi & publicari fecimus, die tertia Novembris ante meridiem anni Millesimi sexcentesimi primi. Præsentibus ibidem Reverendo Domino Joanne Lignario Abbate Senoniensi &c. ut in præcedenti instrumento.

Eadem rursus die Erricus Wolfgango de *Andlau* prænobilis familiæ de *Andlau* seniori continuavit jura prædiaque beneficiaria, quæ prædecessores ejus à Mediano monasterio receperant & tenuerant, cum speciali expressione Curiarum in *Brectenbach* & in *Leure*, nec non hominum de *Scherveiler*.

Septima autem prædicti mensis die Vicariatum spiritualem seu quasi Episcopalem Mediani monasterii officio Prioris in perpetuum univit, sub hac forma.

Unio Vicariatus quasi Episcopalis.

Erricus à Lotharingia Dei & S. Sedis Apostolicæ gratia Episcopus & Comes Virdunensis, Abbas Commendatarius monasterii S. Hidulphi, nec non sanctissimi Domini nostri Clementis Papæ VIII. *& Apostolicæ Sedis in præsenti hujus monasterii visitatione delegatus &c., omnibus & singulis præsentes litteras visuris salutem in Domino sempiternam. Notum facimus quod cum Jurisdictionem Episcopalem in certis pagis à monasterio nostro S. Hidulphi dependentibus habeamus, ejus Jurisdictionis debitæ administrationi providere cupientes; Cumque Prior seu Vicarius noster in dicto monasterio eam per se ipsum hactenus exercere solitus fuerit, non sine regularium observationum & officiorum dispendio & disturbatione, nos ut huic malo remedium aliquod afferremus & nostram in dicta Jurisdictionis exercitio conscientiam exoneraremus, Dominum Claudium Franciscum Priorem dicti nostri monasterii & suc-*

Ad Abbates Medianenses pertinet Jurisdictio Episcopalis in certis à suo monasterio dependentibus pagis.

cessores suos Priores pro tempore existentes deputavimus, creavimus & instituimus prout per præsentes Apostolica autoritate nobis in hac parte commissa deputamus, creamus & instituimus nostrum in spiritualibus in dicti monasterii districtu Vicarium, omnem nostram spiritualem Jurisdictionem in utroque foro ei plenariè in absentia nostra committendo; cum potestate omnia & singula faciendi, gerendi & præstandi quæ de jure & consuetudine ad Vicarium Episcopi pertinere dignoscuntur & quæ ipsi facere & præstare possemus si præsentes essemus: citra tamen quorumcumque beneficiorum collationem, institutionem & præsentationem, quas nobis & successoribus nostris reservamus. Ut autem supradictis distractionibus & occupationibus quæ Religiosos ab officio sui muneris & observatione regulari distrahere possunt, remedium afferamus, statuimus & ordinamus per præsentes, quod dictus Prior & Vicarius noster pro tempore existens subdelegatum à nobis deputandum habere tenebitur, cujus quidem deputationis, institutionis, aut subdelegationis facultatem nobis & successoribus nostris reservamus, qui dictum Vicarii officium saltem in iis quæ ad contentiosam Jurisdictionem spectant, exercere possit & debeat, quique singulis quindecim diebus constituta die, videlicet Jovis aut si dies juridica non fuerit, immediatè subsequenti teneatur ad monasterium nostrum se conferre & in domo nostra Abbatiali pro tribunali sedere, jurisdictionemque nostram administrare & exercere tanquam noster & dicti Prioris subdelegatus. Pro cujus quidem officii exercitio & jurisdictionis sub dicto Vicario nostro administratione, assignamus dicto subdelegato pensionem annuam quadraginta Francorum super redditibus dicti monasterii nostri. Sigillum verò Curiæ nostræ spiritualis penes Priorem & Conventum dicti monasterii nostri remaneat, in recognitionem Jurisdictionis nostræ spiritualis Priori monasterii nostri per nos delegatæ. Quæ omnia ita à nobis instituta, unita, constituta, limitata, assignata & contenta Apostolica autoritate nobis in hac parte concessa confirmamus, eisque perpetuæ firmitatis robor adjicimus. Non obstantibus constitutionibus, ordinationibus, statutis, privilegiis quibuscumque, aliisque omnibus & singulis quæ sanctissimus Dominus noster in delegatione commissionis nostræ voluit non obstare. In quorum fidem præsentes

Prior Mediani monasterii pro tempore existens est Vicarius generalis Abbatis in utroque foro.

Subdelegatum habere debet quoad Jurisdictionem contentiosam.

ma-

manu nostra subscripsimus sigillique minoris nostri impressione & appensione muniri fecimus. Datum in monasterio nostro S. Hidulphi, die septima Novembris anni Millesimi sexcentesimi primi. Signatum: Erricus à Lotharingia Episcopus & Comes Virdunensis &c.

Eadem pariter die privilegia Congregationis S. Justinæ alias montis Cassini Mediano monasterio communicavit, ut sequitur.

Erricus à Lotharingia Dei & S. Sedis gratia Episcopus & Comes Virdunensis Abbas monasterii S. Hidulphi &c. omnibus præsentes litteras visuris salutem in Domino sempiternam. Notum facimus quod cum in præsenti hujus monasterii visitatione juxtà delegatam nobis à sanctissimo Domino nostro Clemente Papa VIII. *Apostolicam autoritatem, observationem Regulæ S. Benedicti secundum declarationem Congregationis Patrum S. Justinæ ejusdem Ordinis in dicto monasterio introduxerimus, & restituerimus futuris in posterum temporibus observandam, justitiæ & æquitati consentaneum judicavimus & ipsi etiam per nos introductæ in hoc monasterio reformationi pernecessarium, cum oneribus dictæ Regulæ, gratias, privilegia, autoritates, facultates & indulgentias dictæ Congregationis, Religiosis dicti hujus nostri monasterii eandem Regulam observantibus largiri & communicare; ut qui earumdem observationum oneribus ad Dei gloriam & Ordinis reformationem voluntariè se submiserunt, eisdem etiam possint Constitutionibus dirigi & facultatibus privilegiisque & gratiis spiritualibus confoveri & adjuvari. Eapropter authoritate Apostolica nobis in hac visitatione delegata, dictos Religiosos a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti censuris & pœnis à quibus quomodolibet innodati existerent, ad effectum præsentium duntaxat consequendum absolventes & absolutos fore censentes, omnes & singulas gratias, indulta, privilegia, facultates, immunitates, prærogativas, authoritates, indulgentias quæ ab Apostolica Sede aut superioribus dicti Ordinis, Congregationi Patrum S. Justinæ seu montis Cassini unquam data & collata sunt, omnibus & singulis communiter & divisim Religiosis hujus monasterii & eorum in dicto mo-*

Collatio privilegiorum Congregationis montis Cassini per Erricum facta Mediano monasterio.

monasterio successoribus largimur, concedimus & communicamus; Quarum omnium gratiarum, facultatum, & privilegiorum tenores præsentibus habemus pro expressis. Declarantes prout declaramus dictos Religiosos & eorum successores in dicto monasterio Breviario dictæ Congregationis, maximè eo quod typis anno 1600. excusum est, in dicto monasterio & extra illud, tam in choro quam extra illum, ex dictarum gratiarum & facultatum constitutionum & privilegiorum dictæ Congregationis communicatione uti posse & debere, commissosque seu conversos fratres juxtà dictæ congregationis constitutionum declarationes recipere & ad professionem simplicium & conditionalium votorum, juxta dictas constitutiones ab Apostolica Sede confirmatas admittere & recipere, cum potestate super dictis votis conditionatis simplicibus quando id juxtà dictas constitutiones necessarium judicarent, per priorem dicti monasterii de consensu & judicio omnium vel saltem majoris partis Capituli dispensandi, absolvendi & dictos commissos ab eorum obligatione liberos dimittendi. Non obstantibus ordinationibus, constitutionibus, indultis & privilegiis quibuscumque quavis autoritate roboratis, aliisque omnibus & singulis quæ sanctissimus Dominus noster in delegatione commissionis nostræ voluit non obstare. In quorum fidem præsentes manu nostra subscripsimus sigillique nostri appensione & impressione muniri & corroborari fecimus. Datum in monasterio nostro S. Hidulphi, die septima Novembris anni Millesimi sexcentesimi primi Signatum: Erricus à Lotharingia Episcopus & Comes Virdunensis.

Anna 1603. die verò trigesima mensis Aprilis Medianenses & Vitoniani Religiosi reformati arctissima inita societate, congregationi sanctorum Vitoni & Hidulphi initium dederunt.

Eodem anno die verò decima tertia mensis Decembris, pro commodiore statu Religiosorum Mediani monasterii & faciliori manutentione mensam conventualem ab Abbatiali separavit: quam separationem sanctæ memoriæ Clemens Papa VIII. confirmavit per Bullam Romæ datam anno sequenti, Calendis Aprilis.

Anno

Anno 1604. die verò septima prædicti mensis Aprilis, Congregatio sanctorum Vitoni & Hidulphi per præfatum Pontificem erecta est, hujusque erectionis Apostolicæ litteræ executioni demandatæ fuerunt die octava mensis Julii, in modum qui sequitur.

Gabriel de Raynette *Dei & S. Sedis Apostolicæ gratia, insignis Ecclesiæ collegiatæ ad dictam Sedem immediaté pertinentis S. Deodati oppidi de S. Deodato nullius seu Tullensis Diœcesis Præpositus & Canonicus, Judex & executor Apostolicus ad infrascripta omnia cum nonnullis aliis collegis nostris & in solidum à sanctissimo Domino nostro Papa Clemente* VIII. *specialiter deputatus. Universis & singulis præsentes litteras visuris & audituris, quosque infra scriptum tangit seu tangere poterit negotium quomodolibet in futurum, quibuscumque nominibus censeantur & quacumque præfulgeant dignitate & auctoritate salutem in Domino & nostris imo verius Apostolicis firmiter obedire mandatis. Litteras Apostolicas ejusdem sanctissimi Domini Papæ Clementis* VIII. *in forma Brevis sub annulo piscatoris, nobis pro parte Illustrissimi & Reverendissimi Domini D. Errici à Lotharingia Episcopi & Comitis Virdunensis, monasterii S. Hidulphi Mediani monasterii,* Tullensis seu nullius Diœcesis, *Ordinis S. Benedicti, perpetui Commendatarii, nec non priorum & Conventuum tam dicti monasterii quam S. Vitoni Virdunensis ejusdem Ordinis, mensæ Episcopali Virdunensi perpetuò uniti præsentatas, nos eâ quâ decuit reverentiâ recepisse noveritis hujusmodi, sub tenore videlicet: Clemens Papa* VIII. *ad perpetuam rei memoriam. Quantum ex monasteriis piè institutis & rectè administratis in Ecclesia Dei splendoris atque utilitatis oriatur perpendentes, id unum ex debito pastoralis officii præstare cupimus ut vetus & regularis disciplina, ubi collapsa est restauretur, & constantius ubi conservata est perseveret, ac regulares personæ ad Regulæ quam professi sunt præscriptum, vitam suam instituant & componant; cui rei aliàs sicut accepimus cum venerabilis frater Erricus Episcopus Virdunensis diligenter incumberet superioribus annis, divini Numinis providentiâ ac curâ & diligentiâ dicti Errici Episcopi in S. Vitoni Virdunensis quod unitum est mensæ Episcopali Virdunensi & S. Hidulphi*

Enuntiativa Tullensis seu nullius Diœcesis.

Eadem enunciativa repetita.

dulphi lo i Mediani monasterii, Tullensis seu nullius Diœcesis, *quod ipse Erricus Episcopus ex concessione & dispensatione Apostolica in Commendam ad sui vitam obtinet, Ordinis S Benedicti monasteriis, reformatio observantia regularis juxtà instituta & constitutiones Congregationis Montis Cassinensis introducta fuit, ac monachi utriusque monasterii hujusmodi etiam sponte acceptaverunt, omnibusque hujusmodi institutis, constitutionibus hactenus sese exactè conformaverunt & in futurum conformare intendunt. Cum autem credibile non sit ejusmodi reformationem fore diuturnam nisi annuis visitationibus excolatur, quæ tamen fieri non possunt nisi inter illos aliqua Congregatio in qua superiores deputentur, qui hujusmodi munera & alia ad observantiam & reformationem conservandam necessaria subeant, instituatur. Pro parte Errici Episcopi ac dilectorum filiorum Priorum & Conventuum dictorum monasteriorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus congregationem dictorum duorum monasteriorum erigere & instituere aliasque in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur pium ac nunquam satis laudandum propositum Errici Episcopi ac Priorum & Conventuum prædictorum plurimum in Domino commendantes, ac eos & eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ex sententia reformationi præfectorum quibus hoc universum negotium diligenter examinandum & nobis referendum commisimus, Congregationem perpetuam dictorum monasteriorum S. Vitoni & S. Hidulphi, ad instar Congregationis Cassinensis seu S. Justinæ de Padua, Apostolica autoritate tenore præsentium erigimus & instituimus; ita ut generale Capitulum & ab eo electi Præsides & Visitatores eandem habeant autoritatem in dictæ Congregationis monasteria prædicta ac Regulares in eis commorantes, quam alii Præsides & Visitatores in dicta Congregatione Montis Cassinensis seu S. Justinæ de Padua. teneanturque suæ Congregationis omnia monasteria frequenter visitare & illorum reformationi incumbere*

&

& ea observare quæ in sacris Canonibus & Concilio Tridentino sunt decreta, nec non eidem Congregationi per præsentes sic erectæ & institutæ omnia & singula privilegia, gratias, indulgentias, immunitates, exemptiones, libertates, favores & indulta prædictæ Congregationis Montis Cassinensis seu S. Justinæ de Padua illiusque singulis monasteriis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros & Sedem Apostolicam, aut aliàs quomodolibet concessa & in futurum concedenda eisdem auctoritate & tenore concedimus & impartimur, ac omnibus & singulis dictorum monasteriorum personis ac præsidentibus & visitatoribus ut illis potiri & gaudere, nec non quæcumque alia monasteria illarum partium quorum Conventus & monachi regularis disciplinæ observantiam seu reformationem acceptare illamque subire voluerint, eidem Congregationi prædictæ erectæ aggregare, illisque omnia & singula privilegia, gratias, indulgentias, immunitates, exemptiones, libertates, favores & indulta eis concessa & concedenda communicare liberè & licitè valeant indulgemus, Et quamvis etiam sicut accepimus quodam statuto ejusdem Congregationis caveatur & expresse prohibeatur nequis ad aliquem superioritatis gradum assumi possit, nisi completo septennio post sacerdotium in Congregatione susceptum, aut ad curam Novitiorum nisi completo novennio, neque illi qui Sacerdotes ad Congregationem venerint nisi decimo sexto & decimo octavo respectivè in Congregatione completo, & nemo in Priorem aut Abbatem promoveri possit nisi quinquennio in Decanatu aut Prioratu respectivè laudabiliter vixerit, nihilominus quia nulli vel saltem pauci adhuc sunt juxtà dictum statutum qualificati & difficile est ut in futurum semper reperiantur, Præsidenti futuro Congregationis per præsentes erectæ hujusmodi ac successoribus suis super hujusmodi statuto dispensandi quoties necesse erit facultatem tribuimus & potestatem; sicque per quoscumque Judices & Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & autoritate, ubiq. judicari & definiri debere; nec non irritum & inane quidquid secus super his quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis causarum curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori & Decano Ecclesiæ Virdunensis & Preposito Ecclesiæ Collegiatæ S. Deodati Tullen. seu nullius Diœcesis

per præsentes committimus seu mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios præsentes litteras & in eis contenta quæcumque ubi & quando opus fuerit publicantes, faciant auctoritate nostra præmissa omnia observari; contradictores quoslibet & rebelles & præmissis non obtempeuantes per sententias, censuras & pœnas Ecclesiasticas aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione postposita compescendo; invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus fœlicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. *prædecessoris nostri de una & Concilii generalis de duabus diætis, dummodo vigore præsentium ad judicium ultrà tres dietas non trahatur, aliisque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non prædictis & aliis dicti Ordinis statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque indultis & litteris Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus & formis ac cum quibusvis clausulis & decretis in genere vel in specie quomodolibet concessis, approbatis & innovatis; quibus omnibus etiamsi de illis specialis, specifica, expressa & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio habenda foret, illorum tenores pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die* VII. *Aprilis M.DC.IV. Pontificatus nostri anno* XIII. *M. Vestrius Barbianus. Post quarum quidem litterarum præsentationem & receptionem nobis & per nos ut præmittitur factas, fuimus pro parte eorumdem Illustrissimi & Reverendissimi Domini Errici Episcopi & Comitis ac Priorum & Conventuum dictorum monasteriorum S. Vitoni Virdunensis & S. Hidulphi instanter requisiti quatenus ad earum executionem procedere vellemus; cui petitioni annuentes ac volentes mandata Apostolica nobis directa reverenter exequi ut tenemur, prædictas litteras Apostolicas & hunc nostrum processum ac in eis contenta quæcumque vobis omnibus & singulis supradictis & vestrum cuilibet intimamus, insinuamus & notificamus ac vestram & cujuslibet vestrum notitiam deducimus & deduci volumus per præsentes, vobisque & vestrum cuilibet sub infrascriptis sententiarum pœnis auctoritate Apostolica nobis commissa inhibemus, ne dictum Illustrissimum Dominum Erricum & pro tempore dictorum monasteriorum Abba-*

bates ac eorum Priores & Conventus omnesque alios quos præinserta litteræ concernunt, per vos vel alium seu alios, directè vel indirectè, quovis quæsito colore vel ingenio impediatis quo minus ipsi prædictarum litterarum Apostolicarum gaudeant effectu, vel eos aliquomodo molestetis vel perturbetis; alioquin nos in vos omnes & singulos qui culpabiles fueritis, & generaliter in contradictores quoslibet & rebelles ac impedientibus & molestantibus dantes auxilium, consilium vel favorem, excommunicationis: in Capitula vero Conventus & Collegia in his forsan delinquentia suspensionis à divinis, & in ipsorum delinquentium Ecclesias, monasteria & capellas interdicti Ecclesiastici sententias ferimus in his scriptis & etiam promulgamus. Cæterum cum ad executionem præsentium ulteriùs faciendam nequeamus quoad præsens personaliter interesse aliis præpediti negotiis, dilecto nobis in Christo officiali Virdunensi seu Domino Decano Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ Magdalenes Virdunensis omnibusque & singulis Presbiteris, Clericis, Notariis & Tabellionibus publicis per Civitates & Diœceses Tullen. Meten. & Virdunen. & aliis ubilibet constitutis super ulteriori executione dicti mandati Apostolici atque nostri facienda, auctoritate Apostolica supra dicta, tenore præsentium plenarié committimus vices nostras, donec eas ad nos expresse duxerimus revocandas; quibus virtute sanctæ obedientiæ & sub excommunicationis pœna mandamus quatenus infra sex dierum spatium postquam vigore præsentium fuerint requisiti, seu eorum aliquis fuerit requisitus, quorum sex dierum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos pro tertio & peremptorio termino ac monitione Canonica assignamus, ad vos omnes & singulos supradictos, nec non dicta monasteria S. Vitoni & S. Hidulphi, personasque & loca alia eis declarandas & declaranda personaliter accedant præfatasque litteras Apostolicas & hunc nostrum processum & in eis contenta quæcumque vobis & eis intiment, insinuent & fideliter publicare procurent, ac sub dictis pœnis inhibeant nec permittant ipsum Illustrissimum Dominum Erricum & pro tempore Abbates dictorum monasteriorum S. Vitoni & S. Hidulphi eorumque Priores & Conventus per eos aut quoscumque alios super præmissis quoquo modo molestari, inquietari vel perturbari & generaliter omnia & singula nobis in hac parte commissa plenariè exequantur juxta earumdem littera-

rum & præsentis nostri processus continentiam & tenorem. Per processum autem nostrum nolumus nec intendimus nostris in aliquo præjudicare collegis, quo minus ipsi servato hoc nostro processu in hujusmodi negotio procedere valeant prout eis visum fuerit expedire. Absolutionem verò omnium & singulorum qui prædictas censuras aut earum aliquas incurrerint nobis vel superiori nostro tantummodo reservamus. In quorum fidem & testimonium præmissorum præsentes litteras sive præsens publicum instrumentum processum nostrum hujusmodi in se continentes exindè fieri & per Notarium publicum infrascriptum subscribi & publicari mandavimus nostrique sigilli jussimus & fecimus appensione communiri. Datum & actum in loco Capitulari consueto dicti Mediani monasterii S. Hidulphi, sub anno à Nativitate Domini Millesimo sexcentesimo quarto indictione secunda, die verò octava mensis Julii & Pontificatus sanctissimi ejusdem in Christo Patris ac Domini nostri D. Clementis divina providentia Papa VIII *anno decimo tertio. Præsentibus ibidem RR. Dominis Joanne Lignario Monasterii S. Petri Senonensis Ordinis S. Benedicti & Anthonio Doridan monasterii B. Mariæ de Stivagio Præmonstratensis Ordinis, nullius seu Tullen. Diœcesis Abbatibus, fratre Claudio* Jaquot *aliàs* Chamagne *Priore Claustrali & fratre Francisco* Mallau *Presbiteris ac Religiosis professis dicti monasterii Senoniensis ac nobili viro Francisco* Fournier *Illustrissimi & Serenissimi Domini Ducis Lotharingiæ apud S. Deodatum & Ravonum oppida quæstore, testibus ad præmissa vocatis specialiter atque rogatis. Signatum: G.* Reynette *Et infra. Ad mandatum prædicti Domini Reverendi Præpositi, Judicis & Mandatarii Apostolici, Ego Notarius Apostolicus in Archivo Romanæ Curiæ descriptus me hìc subsignavi, cum præsens ad præmissum mandati Apostolici processum fuerim ipsumque publicaverim. Signatum* J. Ruyr *& retrò legitur.*

In nomine Domini Amen. Noverint universi quod anno, indictione, mense & Pontificatu quibus in albo retroscriptarum litterarum & processus recensitum est, simul atque Reverendus Dominus Præpositus S. Deodati Judex & Mandatarius Apostolicus easdem litteras Apostolicas venerandis Dominis Priori & Conventui mo-

monasterii S. Hidulphi per processum ab eo exindè confectum & alias voce viva coram positus intimaret & notificaret, quæreretque num ipsi DD Prior & Religiosi litteris hujusmodi Apostolicis ac earum contentis quibuscumque parere vellent & obsequi, per venerandum D. Priorem suo ac cæterorum sibi subditorum Religiosorum inibi astantium nomine responsum est, velle se omnes unanimiter, uniformiter ac sine ulla rerum aut verborum exceptione mandatis hujusmodi Apostolicis & eorum contentis quibuscumque morem gerere. Consimiliter verò venerabiles Domini Hubertus Rolet *& Jacobus* Pichard *monasterii S. Vitoni Virdunensis Religiosi professi in prædicto loco Capitulari monasterii S. Hidulphi personaliter constituti, ad hoc se specialiter destinatos, directos & missos asserentes à venerandis DD. Priore Conventuque S. Vitoni, litteras prædictas Apostolicas eorumque continentiam & tenorem, suo confratrumque suorum Prioris & Religiosorum S Vitoni nomine acceptare & ex nunc & quantum in se omnes singulosque eorum fuerit, modis omnibus observaturos promiserunt, instrumentumque acceptationis & promissionis hujusmodi tam dicti S. Hidulphi Prior & Conventus, quam prænominati Religiosi S. Vitoni monasteriorum sibi exindè confici à me Notario publico infra scripto petierunt; quod quidem illis sub modo & tenore quibus supra concessum est, præsentibus ibidem qui in retroscriptis adfuerunt personaliter testibus. Signatum* J. Ruyr publicus auctoritate Apostolica Notarius.

Acceptatio Reformationis à Religiosis tam Medianensibus quam Vitonianis.

Dum Mediano monasterio præerat Erricus oblata ei fuit sequens æri incisa B. Hidulphi imago, quam ideò hic exhibemus quod dictum monasterium repræsentet ut erat muris & fossis cinctum à tempore Joannis Mallæ Abbatis de quo egimus ad an. 1343. Quæ autem infrà hanc imaginem leguntur corrigenda sunt ex dictis à nobis in prima hujus Historiæ parte.

Anno 1607. Erricus Abbatiam resignavit in favorem Illustrissimi Principis Francisci à Lotharingia nepotis sui, in nono duntaxat ætatis suæ anno constituti Litteræ Apostolicæ super hujusmodi resignatione datæ sunt Romæ ter-

1602. Erricus Abbatiam resignat.

tertio nonas Martii ejusdem anni, Pontificatus Sanctissimi Domini Pauli V. Papæ anno tertio. Executioni verò mandatæ fuerunt anno duntaxat 1608 die vigesima sexta mensis Junii, per R. Dominum Claudium *Guyot* Archidiaconum de Vitello & officialem Tullensem qui Medianum monasterium *Tullensis seu nullius Diœcesis* nuncupavit in instrumento desuper confecto.

Officialis Tullen. Medianum monasterium nuncupat Tullen. seu nullius Diœcesis.

Franciscus à Lotharingia Commendat. 1608.

Franciscus à *Lotharingia* die sexta mensis Augusti anni 1608. in possessionem Abbatiæ per procuratorem deductus est coram Religiosis ibidem pro tempore existentibus, qui cum primùm quidem dictæ possessioni intercedere voluissent ob omissum in Bulla Decretum revertendi in titulum quod in præcedentibus Commendis reperitur, postea tamen satis habuerunt quòd præfatus Procurator in manibus R. Patris Domni Petri *Roset* Prioris sequens præstaret juramentum per eundem Principem Franciscum vel alios quoscumqne monasterii regimen & administrationem loco sui habentes perpetuò observandum. Primò se nullatenus contra clausulam in litteris provisionum Illustrissimorum & Reverendissimorum Cardinalis Vademontani & Errici à Lotharingia Episcopi Virdunensis contentam attentaturum, cujus tenor sequitur: *Quodque te cedente vel decedente aut ipsum monasterium Mediani monasterii aliàs quomodolibet dimittente vel amittente, illud ulterius in Commendam non concedatur, sed in pristinam tituli naturam redeat, ac illi de persona regulari idonea provideri debeat, acsi tibi minimè commendatum fuisset.* Secundò se Ecclesiam S Hidulphi favore prosecuturum & pro viribus Religiosos ibi agentes & acturos in omnibus suis bonis mobilibus & immobilibus cujuscumque sint conditionis, status & naturæ ad dictum monasterium spectantibus, tam intra quam extra muros illius quibus jam pacificè fruuntur, defensurum. Tertiò se nunquam alienaturum illa bona ex toto vel ex parte, nec alienari, vel in alium Conventum, monasterium aut quamcumque domum trans-

In possessionem mittitur per procuratorem à quo juramentum exigitur.

transferri, vel in alium usum sive dominium converti permissurum, neque aliquid innovaturum, immo eosdem Religiosos secundum sua fœdera, statuta, regulas, consuetudines, jurisdictiones nec non privilegia illis à fœlicis recordationis Clemente Papa VIII. concessa & posteà à Paulo V° confirmata, in observantia & regulis ab eis usitatis S. Benedicti, sub congregatione S. Vitoni conservaturum. Quartò & postremò se juribus ad quæ predecessores Abbates sive Commendatarii tenebantur & quæ persolvebant tam fabricæ Ecclesiæ dicti monasterii, quam Religiosis, tempore & termino præfixis satisfacturum. Quo præstito ad sancta Dei Evangelia juramento, nullus prædictæ possessionis adeptioni ampliùs contradixit.

Cum Franciscus ob minorem ætatem nondum aptus esset ad capessendam monasterii administrationem, Erricus ejus avunculus illam nonnullis adhuc annis retinuit. Unde anno 1609 die verò XVII. Septembris tanquam dicti monasterii administrator Ecclesiam parochialem oppidi de Ravono personaliter visitavit & in ea pleraque ordinavit ut constat ex instrumento. Erricus Abbatiam nonnullis adhuc annis administrat & Ecclesiam de Ravono visitat. 1609.

1612. & 1615. Conventus Domino de Tanvillari satisfacit & Cameriaræ reddi[tus] recipit.
Annis 1612. & 1615. Conventus mutuatam à Joanne Frederico Domino de Tanvillari anno 1588. pecuniam rependit & sic in possessionem bonorum ac reddituum ab officio Camerariæ dependentium restitutus est.

Anno 1616. Cella Bellævallis Nanceium translata & novo monasterio Ordinis S. Benedicti sub Congregatione sanctorum Vitoni & Hidulfi ibidem auctoritate Apostolica erecto unita fuit. 1616. Cella Bellævallis Nanceium translata.

Anno 1617. Confraternitas sanctissimi Rosarii in Ecclesia Mediani monasterii instituta est. 1617.

Anno 1618. nova pro recondendis beatissimi Patris nostri Hidulfi sacris exuviis capsa fabricari cœpit, cui infixæ 1618. Nova pro S.

Hildulfo capsa fabricatur.

fixæ quidem fuerunt imagines argenteæ quæ in veteri reperiebantur: sed quibusdam decurtatis, ut præmonuimus in commentario prævio §. VI.

Eodem anno Capitulum insignis Ecclesiæ S. Deodati unum ex sacris ossibus ejusdem Sancti Mediano monasterio concessit cum attestatione sequenti.

Nos Decanus Canonici & Capitulum insignis Ecclesiæ S. Deodati universis & singulis has litteras inspecturis salutem in Domino. Arctissima societate & necessitudine conjuncti fuerunt in Christo dum in hoc monte Vosago vitam vixerunt S. Deodatus Patronus noster & S. Hidulphus Mediani monasterii caput & Antistes, & ne soboles illorum spiritualis degener videretur, major Ecclesiæ nostræ cum Mediani monasterii & vice versa familiaritas & amicitia fuit, durat etiamnum, Deoque propitio futura est semper, quam ut dici facile possit. Cum igitur diebus proximis antegressis venerabilis Dominus Jacobus Pichard *Prior dicti cœnobii expostulasset à nobis nonnullas reliquias S. Deodati, cujus corpus apud nos honorificentissimè asservatur, quo ipse & fratres sacrum pignus præsens colerent quod absens tantoperè venerabantur: pia ejus petitioni & voto facturi satis, prævia matura deliberatione, os unum sanctissimi Patroni nostri è duobus quæ in brachio argenteo sacro Toreumate Ecclesiæ nostræ recondita erant, in dictum Medianum monasterium delegandum censuimus & ad id muneris DD. Bonaventuram* Rennel *Decanum & Fridericum Barraitum Scholasticum commisimus; qui quidem ut nobis ipsi renunciarunt hesterna luce sub decimā matutinam eò appulsi in cubiculum salutatorium foribus vicinum deducti sunt, unde Thure Reliquiis ingesto per Patrem Priorem genibus nixum, Religiosorum caterva trabeis alioque ornatu sacro induta, vexillo Crucis præcedente, ut fit in supplicationibus, cum cantu panegyrico, frequentatione tintinnabulorum, omnique reverentia usque ad altare majus Ecclesiæ S. Hidulphi Dominum Decanum trabeatum & os sacrum in manibus gestantem profecuta est, qui Reliquiis arabico odore iterum fumigatus & in loco decenti positis solemne Sacrificium de S. Deodato peregit. In cujus rei indubitatum te-*

Vide Ruyr sacrarum Antiquitat. Vosag. parte II. lib. V. cap. XVII. Edit. an. 1633.

Os unum S. Deodati à venerabilibus Canonicis Mediano cœnobio delegatur & in illud infertur.

testimonium has litteras sigillo nostro muniri & per Secretarium nostrum subsignari curavimus in oppido S. Deodati, quinto Idus Junii anni Millesimi sexcentesimi decimi octavi. Et infra. De mandato præfatorum Dominorum meorum. Thomassin.

Huic attestationi Venerabiles Sandeodatenses adjunxerunt copiam autenticam actus Capitularis cujus hic est tenor: *Anno Domini Millesimo quingentesimo quadragesimo, die prima mensis Octobris, consilio primitus habito maturè cum longa deliberatione, feretrum S. Deodati Patroni nostri apertum fuit magna cum reverentia, in loco capitulari in quo corpus beatissimi Episcopi reconditur & eductæ sunt tres juncturæ cum dente uno; una autem ad Dominum* Lambert *Allobrogem Episcopum Cassertanensem tunc Romæ residentem, precibus venerabilis Magistri Nicolai Wirioni de Brovilla scriptoris Apostolici ibi morantis & qui tunc duos Canonicatus & præbendas in hac Ecclesia obtinebat, delegata fuit cum dente supradicto. Reliqua duæ juncturæ in sacrario sunt reposita, ea ratione ut si nonnulli expostularent habere Reliquias divi Deodati, non foret necesse iterum ipsum feretrum aperire. Copia desumpta ex libro actuum Capitularium insignis & Collegiatæ Ecclesiæ S. Deodati & fideliter collationata per infrascriptos auctoritate Apostolica Notarios, testibus suis nominibus & Chirographis infrapositis.* Jacobus Faber *Notarius Apostolicus. J.* Thomassin *Notarius Apostolicus.*

Ex quibus duobus instrumentis liquidò patet os illud S. Deodati Mediano monasterio concessum, unam esse ex duabus illis juncturis quæ anno M. D. XL in sacrario repositæ & in brachio argenteo postea inclusæ fuerant.

Eodem rursus anno die verò XIII mensis Augusti Religiosi Medianenses unum pariter ex sacris ossibus Beati Patris nostri Hildulfi Capitulo & Canonicis S. Deodati id peroptantibus concesserunt: quod R. Pater Domnus Jacobus *Pichard* Prior è Mediano monasterio ad oppidum S. Deodati ac deinde è domo Decanali in quam venerabi-les

Medianenses vice versa os unum S. Hildulfi Sandeodatensibus concedunt & inferunt.

les Canonici convenerant in Ecclesiam processionaliter deportavit & supra majus altare collocavit, in quo solemnem de S. Hildulfo Missam continenter celebravit.

1619. Anno 1619. die verò xv. mensis Junii, præfati Religiosi iisdem venerabilibus Canonicis per Epistolam proposuerunt abrogationem antiquæ illius consuetudinis, juxtà quam singulo quoque anno in festis sanctorum Patronorum suorum Deodati & Hildulfi, hi quidem ad Medianum monasterium, illi verò ad S. Deodatum rem divinam solenniter peracturi mutuò accedebant. Qua in re Medianenses nostri his ducebantur rationibus. Primò quod a carnibus post Reformationem abstinentes & eadem semper die in monasterium suum maturè regredi cupientes, non leve Sandeodatensibus incommodum præbebant; quippe qui majores propterea impensas facere, nec non consuetam cœnæ suæ horam prævertere tenebantur. Secundò quod in solemnitate S. Hildulfi ob maximum populi concursum variis occupationibus præsertimque audiendis confessionibus præpediti, sese comites & convivas præfatis Sandeodatensibus (ut decebat) præbere non poterant. Propositæ tamen huic abrogationi Medianenses tres adjecerunt conditiones, quarum prima est quod in cæteris omnibus firma & inviolabilis permaneret antiqua Sandeodatensium & Medianensium societas. Secunda, quod consuetæ supplicationes ad Bellum campum quò sanctorum Patronorum Deodati & Hildulfi corpora annuatim deferebantur, fieri pergerent. Tertia denique, quod utriusque Sancti festus dies in ambarum Ecclesiarum Territoriis de præcepto ut priùs ab omnibus incolis ageretur & custodiretur.

Medianenses petunt à Sandeodatensibus abrogari consuetudinem mutuò celebrandi in solemnitatibus sanctorum Patronorum suorum.

Hanc propositionem cum adjectis conditionibus Sandeodatenses comiter ac benignè exceperunt & per litteras à Decano, Canonicis & Capitulo datas die xviii. Junii ejusdem anni, singulari cum urbanitate responderunt se

Sandeodatenses petitioni Medianensium assentiuntur.

ſe Medianenſium deſiderium utilitati ac honori quem ex illorum præſentia & converſatione in prædictis ſolemnitatibus percipiebant præferre, ſeque conſentire ut deinceps omnia fierent eo planè modo quo præfati Medianenſes exoptabant.

Eodem anno die verò decima menſis Julii, cum perfecta jam eſſet nova capſa de qua ſuperius mentionem fecimus, corpus beatiſſimi Patris noſtri Hildulfi in ea reverentiſſimè collocatum & reconditum fuit in præſentia R. Patris Domni Jacobi *Pichard* Prioris cæterorumque Religioſorum Medianenſium, nec non aliorum plurimorum qui ad depoſitionis ejusdem Sancti feſtum ſequenti die celebrandum convenerant: inter quos aderant RR. admodum Patres Domnus Deſiderius à Curia primus introductæ in noſtra Congregatione Reformationis Autor, & Domnus Humbertus *Rollet* Prior ſancti Nicolai de portu, unus ex primis atque præcipuis ejusdem Congregationis ſuperioribus. Corpus B. Hildulfi in nova capſa reconditur.

1623. Anno 1623. in lucem prodiit vita S. Hildulfi á Priore & Conventu Mediani monaſterii gallicè reddita & Illuſtriſſimo Principi Franciſco à Lotharingia Abbati Commendatario nuncupata. Ejus vita gallicè conſcripta prodit.

1627. Annis 1627. menſe Julio & 1628. menſe Januario, tantæ tamque horribiles commotæ ſunt procellæ & tempeſtates, ut tria Eccleſiæ noſtræ Campanilia magnam exindè ruinam paſſa fuerint. Erant tunc quemadmodum hodie excelſis & elegantibus tecta obeliſcis.* Summitas igitur obeliſci campanilis illius quod ad lævam ſacrario contiguum eſt vento diſtracta diſſiliit: integer verò obeliſcus illius quod ad dextram ſacello S. Hildulfi adjacet, omninò ſubverſus fuit & in partem collateralem chori corruens, illius tectum ac fornicem confregit. Denique quod mirum eſt, majoris campanilis obeliſcus ingentis licet magnitudinis & molis ſublatus, loco motus, atque ita

*Gallicè Fleches.

Tria Eccleſiæ Medianenſis campanilia tempeſtate ſubverſa.

confractus est, ut magna ex parte conciderit cum grandi vicinorum ædificiorum ruina. Quæ omnia suis sumptibut statim refici ac renovari jussit Franciscus Abbas.

1628. Nova S. Hildulphi vita non vulgata.

Anno 1628. novam S. Hildulfi vitam gallicè conscripsit sed non vulgavit Domnus Theodorus à Cruce Monachus Benedictinus è Congregatione nostra. In hac vita non semel laudatur historia manuscripta cujusdam Philiberti à Tinctorivo vulgò *Teintru* quam etsi diligenter conquisitam reperire non potuimus.

1630. Officialis Tullen. Medianum monasterium nuncupat nullius seu Tullen.

Anno 1630. Officialis Tullensis Medianum monasterium *nullius seu Tullensis Diœcesis* enunciavit in Decreto executoriali ut loquuntur ab se dato die 21.ª mensis Julii, pro compellendo quodam Magistro Desiderio *Martin* Rectore Ecclesiæ Parochialis de *Girsviller* ad solvendas certas expensas Priori & Religiosis dicti monasterii ab eodem officiali adjudicatas.

1635. Anno 1635. supplicationes ad Bellum campum fieri solitæ intermitti cœperunt ob rationes à nobis præallatas in Commentario prævio § III.

1656. Mons dehiscens aquas profundit.

Anno 1656. Die verò XI. mensis Julii Beato Hildulfo sacrâ, Mons inter Medianum & Senoniense cœnobia ad Lævam positus dehiscere cœpit, tantamque profudit aquarum abundatiam, ut momento fermè temporis intumescentes fluvii Rabodonis undæ in domos Mediani loci per fenestras irrumperent.

1658. Anno 1658. majus Campanile nostræ Ecclesiæ terrifico quidem sed parum damnoso fulminus ictu percussum fuit.

Eodem anno Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Andreas *Du Saussey* Episcopus Tullensis statuta synodalia edidit & typis Tulli mandari curavit, in quibus

cap.

cap. de synodo Rurali pag. 44. Præcepit sub pœna suspensionis Rectoribus Ecclesiarum Parochialium tam Vallis Senoniensis quam de Styvagio (qui tamen non paruerunt) ut synodis Ruralibus interesse non omitterent; nullam verò mentionem fecit Parochorum districtus Medianensis, sicut nec Vallis S. Deodati. Ex quo manifestè apparet præfatum Episcopum in ea tùm sententia fuisse, quod iidem Parochi tam Medianensis districtus quam Vallis S. Deodati ab omni prorsùs Episcoporum Tullensium subjectione liberi essent. Ad synodum non vocantur Rectores Ecclesiarum parochialium Districtus Medianensis.

Anno 1661. die verò XI mensis Augusti Illustrissimus Princeps Franciscus à Lotharingia Mediani monasterii Abbas Commendatarius cessit è vita Die autem XIV. dicti mensis, Medianenses Religiosi audita ejus morte in Capitulum de more convenientes elegerunt in Abbatem R. Patrem D. Philibertum *Galavaux* Priorem suum, virum de Religione bene meritum & sacrorum rituum observantissimum. 1661. Obitus Francisci à Lotharingia Abbatis Commendatarii.

Dum præfatus Franciscus à Lotharingia Mediano monasterio præesset, duo fuere contentiosæ Jurisdictionis in districtu ejusdem monasterii administratores seu subdelegati officiales, juxtà præscriptum litterarum unionis Vicariatus quasi Episcopalis à nobis ad annum 1601. relatatarum successivè creati; videlicet Jacobus *Guerin* Parochus de Hurbaco & Petrus *Bollanger* Parochus de Ravono, quorum varia supersunt acta.

PHILIBERTUS *Galavaux* sicut præfertur Electus primùm à Reverendissimo Patre Domno Arsenio *Mathelin* Congregationis Sanctorum Vitoni & Hidulphi tunc præsidente seu superiore generali facultatem obtinuit Medianensis Abbatiæ possessionem adipiscendi, nec non eandem tenendi, regendi & administrandi prout de jure & consuetudine poterat: deindè verò Serenissimum Principem Carolum III. quem quartum vulgò nominant, Lo- PHILIBERTUS Gallavaux Abbas electus. 1661.

 tha-

tharingiæ Ducem adiit, oblatoque ei supplici libello cum adjuncto suæ electionis instrumento, licentiam ab eo reportavit eandem possessionem adipiscendi quoad temporalia: quam licentiam cum subinde supremus Lotharingiæ Senatus auctoritate sua comprobasset, præfatus Philibertus in dictam possessionem nemine contradicente immissus est die XXIX. ejusdem mensis Augusti.

Abbatia commendatur Nicolao Francisco à Lotharingia.

Interea metuens perspicacissimus Princeps Carolus ne prædictam electionem Officiales Datariæ Apostolicæ respuerent & ob affectionem quam etiam ex perpetuis commendis oriri contendunt, Medianensem Abbatiam sibi vendicarent, aut de illa ad arbitrium disponerent, illius commendam pro Illustrissimo Principe Nicolao Francisco à Lotharingia Germano suo à sancto memoriæ Alexandro VII. Papa postulavit & obtinuit, per Bullam Romæ datam Kal. Octobris ejusdem anni.

Bullam Commendæ executioni mandat Episcopus Tullen. & Medianum cœnobium nullius seu Tullen. nuncupat.

Eandem Bullam executioni mandavit seu ut ajunt fulminavit die XI Novembris Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Andreas du Saussay Episcopus & Comes Tullensis, Medianumque monasterium in hujusmodi fulminationis processu *nullius seu Tullensis Diœcesis* expresse nuncupavit. Die verò tertia mensis Decembris vigore dicti processus nec non decreti Serenissimi Ducis Caroli, præfatus Nicolaus Franciscus à Lotharingia per procuratorem suum ad aspectum Campanilis & per tactum occlusæ monasterii portæ in possessionem inductus est, cui statim intercessit seu opposuit sese Abbas electus.

1662.
Electo jus suum cedit Princeps Commendatarius.

Anno 1662. die autem XXIV. mensis Julii, Illustrissimus Princeps Nicolaus Franciscus agnoscens Domnum Philibertum *Galavaux* ad Medianensem Abbatiam Canonicè electum fuisse, volensque omnem controversiam circa illius possessorium finire, de consensu Serenissimi Ducis Caroli Commendæ suæ (retenta tamen sibi pensione) cessit

sit in favorem dicti Philiberti, qui mediante hac cessione Apostolicas provisionis litteras Romæ obtinuit XII. Calend. Octobris anni 1663.

Anno 1664. die verò XV. mensis Junii, Philibertus Abbas ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino Episcopo Tripolitano suffraganeo Argentinensi in templo S. Otiliæ Hohemburgensis, unà cum Reverendissimo Domino Abbate Salinævallis Ordinis Præmonstratensis solemniter benedictus fuit.

1664. Electus Abbas benedicitur.

Anno 1665. præfatus Illustrissimus ac Reverendissimus Suffraganeus Argentinensis ad Medianum monasterium rogatus accessit, & sacrum Chrismatis seu Confirmationis Sacramentum die XXVIII. mensis Septembris subditis ejusdem monasterii, nec non Clericalem tonsuram cuidam Joanni *Vigneul* Metensis Diœcesis ritè dimisso, contulit.

1665. Suffraganeus Argentinensis in Mediano cœnobio Chrismatis Sacramentum confert.

Anno 1676. Philibertus Abbas infirma cum esset valetudine, R. P. Domnum Hyacintum *Alliot* de consensu Conventus in perpetuum & irrevocabilem cum futura successione Coadjutorem à San. memoriæ Clemente X. Papa postulavit & obtinuit die XIII. mensis Martii. Qui quidem R. Pater D Hyacintus *Alliot* hujus Coadjutoriæ possessionem adeptus est die XXI. mensis Augusti. Die verò decima octava mensis Octobris ejusdem anni, præfatus Philibertus Barroduci diem clausit extremum. Corpus ejus ibidem in Ecclesia B. Mariæ humo mandatum est, cor autem ad Medianum monasterium deportatum fuit & in apside Ecclesiæ Abbatialis sepultum, cum hac inscriptione superposito marmori incisa.

1667. Philibertus Abba obtento prius Cojutore moritur.

In hoc Sanctuario requiescit cor R. admodum Patris Domni Philiberti Galavaux primi post Reformationem Abbatis regularis hujus monasterii, cujus singularis pietas in assidua devotaque divinorum officiorum celebratione maxime enituit. Barroduci obiit

obiit in Prioratu Beatæ Mariæ anno Domini M DC. LXXVI. Sub illius regimine Jurisdictionis contentiosæ administrationem continuavit Petrus *Bollanger* Parochus Ravonensis.

Hyacintus Alliot Abbas 1676. Hyacintus *Alliot* statim ab obitu præfati Philiberti Abbatiæ regimen suscepit & in eo sic se gessit ut ab omnibus laudari meruerit.

1677. Benedicitur. Anno 1677. die verò XXVII. mensis Maij benedictionem Abbatialem sibi ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino suffraganeo Argentinensi impensam accepit Molshemii, in præclaro templo RR. Patrum Societatis JEsu.

1678. Anno 1678. Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Jocobus de *Fieux* Episcopus Tullensis nondum sibi in animum induxerat Rectores Ecclesiarum parochialium Medianensis districtus Jurisdictioni suæ Episcopali obnoxios esse; nam prædecessoris sui Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Andreæ *Du Saussay* vestigiis inhærens, præcepit quidem, quantumvis frustra, Rectoribus Ecclesiarum parochialium Vallis Senoniensis & de Styvagio sub pœna suspensionis, ut in synodis Ruralibus comparere non omitterent: sed de Rectoribus Ecclesiarum parochialium tam Medianensis districtus, quam Vallis S. Deodati omnino siluit; ut videre est in statutis ejus synodalibus Tulli Leucorum impressis cap. IV. num. III.

1680. Anno 1680. cum præfatus Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Jacobus de *Fieux* Episcopus & Comes Tullensis motam ab eo contrà Ecclesiæ Tullensis Archidiaconum majorem de Jurisdictione causam placito seu arresto Regio obtinuisset, existimavit posse se eodem arresto, Senoniensis, Medianensis & Styvagiensis monasteriorum Jurisdictionem pessumdare; quo consilio quemdam Joannem *Marchal* Rectorem Ecclesiæ de *Couvay* non

Hyacintho Abbati Decanus Salmensis jussu Episcopi Tullensis

non solum in Comitatu Salmensi, sed & in prædictorum monasteriorum territoriis Decanum instituit, qui tali vix inito munere, hoc est ab ipso initio anni 1681. omnes & singulos Parochos ac Vicarios Ecclesiarum parochialium in hujusmodi territoriis consistentium citare non dubitavit, ad comparendum coram ipso & dicti arresti communicationem accipiendam, nec non Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi Tullensis Jurisdictionem recognoscendam. Verùm nullus prætensam novelli hujus Decani authoritatem agnoscere aut coram ipso se sistere voluit. Contra verò Senoniensis ac Medianensis Abbates dictum Joannem *Marchal* tanquam proprio ac privato nomine agentem injustumque pacificæ illorum possessionis perturbatorem, ad Christianissimi Regis Lotharingiam tunc occupantis majus consilium, vigore litterarum evocationis (ut ajunt) Congregationi sanctorum Vitoni & Hidulphi concessarum, citare fecerunt & sic illum ab incœpto desistere coegerunt.

de Jurisdictione jurgium infert, sed deserit.

Anno 1681. Incolæ de Vepria ab Hyacinto Abbate licentiam petierunt & obtinuerunt fontem baptismalem erigendi in Ecclesia ejusdem loci quæ est annexa Ecclesiæ de Hurbaco; ad quam prius infantes suos baptizandos deferebant.

1681. Fons baptismalis erectus in Capella de Vepria.

Anno 1682. supradictus Illustrissimus ac Reverendissimus Jacobus de *Fieux* Episcopus Tullensis visitationem Ecclesiarum suæ Diœcesis Mediano districtui vicinarum faciens, constituit oppidum de Ravono ejusdem districtus ingredi, nec non Ecclesiam parochialem ejusdem oppidi die XVII. mensis Junii visitare. Quo de consilio ut certior factus est Hyacintus Abbas vir mirificâ diligentiâ, mox Ravonum se contulit, fores Ecclesiæ clave occlusit, audiensque Episcopi adventum instare, ad ipsum uno circiter milliari ab oppido adhuc distantem accessit, & illum quidem reverentissimè allocutus est: sed non prætermi-

1682. Episcopus Tullen. proponit visitare Ecclesiam de Ravono.

sit fidenter ac liberè protestari se prætensæ ejus visitationi fortiter obstiturum. Quod audiens Episcopus qui nec progredi nec regredi decenter poterat, in hanc compositionem facile descendit: nimirùm quod iter suum versus Ravonum prosequeretur, nullam tamen ibidem visitationem aut aliam Pontificalem functionem exerceret, sed missam privatam duntaxat tanquam Prælatus iter faciens recitaret, ac deinde ad Medianum monasterium pergeret oblatum sibi ab Abbate prandium sumpturus. Verùm paulò aliter gesta res est; nam cum in oppidum Ravonense adventasset Episcopus, seque sacrum faciendi desiderio teneri significasset, mox ad Ecclesiam parochialem deductus est; ante cujus valvas adhuc occlusas stantem reperit Abbatem, qui ipsum officiosis his verbis affatus est: Illustrissime Domine, dicere vix queo quantam mihi molestiam afferat dura necessitas in qua nunc versor prælatum tantopere mihi venerandum arcendi ab ingressu hujus Ecclesiæ; verumtamen ad id me prorsùs cogit quæ inter nos est in præsentiarum de Jurisdictione contentio. Quod si tamen Illustrissima Dominatio vestra aliud non velit nisi missam privatam transeundo hìc recitare, absque ullo Jurisdictionis aut Pontificalium exercitio, libentissimè hoc ei concedam. Respondit Episcopus: Ita Domine Abbas, Ego coram omnibus hic astantibus (erant autem quam plurimi) declaro me nullatenus juribus à vobis in hac parochia prætensis præjudicare velle, meque vobis consignatam hac de re auctoritatem talem daturum qualem volueritis. De quibus omnibus ex utraque parte dictis eosdem astantes Abbas illicò contestatus est, ac deinde coram Notario publico instrumentum confici curavit.

Hanc visitationem impedit Hyacintus Abbas.

Apertis igitur Ecclesiæ januis missam privatam in ea recitavit Episcopus; qua peracta cum adverteret Abbas se tam populo quam ipsimet Episcopo gratum facturum si nondum confirmatos sacro Chrismate ab ipso inungi pa-

patereretur, rogavit Episcopum ut Pontificalem hanc functionem exercere dignaretur: ea tamen conditione ut scripto posteà declararet à se factum id fuisse absque præjudicio Jurisdictionis Abbatis Medianensis; quam conditionem Episcopus non respuit, sed fideliter eadem die adimplevit in Mediano existens monasterio, quod insuper *Tullensis seu nullius Diœcesis* nuncupare non detrectavit, ut constat ex hujusce declarationis instrumento, in quo cum à perillustri viro Domino de *Laigle* ejus tum Secretario idem monasterium absolutè *Diœcesis Tullensis* enunciatum fuisset, jussit Episcopus ut post verbum *Tullensis* fieret nota remissiva & in loco remissionis ab eodem Secretario adderetur *seu nullius*: quam additionem manu propria approbavit ipsemet Episcopus, ut cernere est ad finem ejusdem instrumenti, quod tum demum Chirographo suo munivit & ab ipsomet Secretario subscribi fecit.

Ad preces Hyacinti Abbatis & sub proposita ab eo conditione Episcopus Tullensis Sacramentum Chrismatis confert in Ecclesia Ravonensi.

Enunciativam Tullensis seu nullius tribuit Mediano cœnobio.

Eodem anno, die verò vigesima tertia mensis Novembris, Hyacintus Abbas quinque famosarum Jansenii propositionum occasione fidei suæ possessionem emisit Tulli coram Domino Carolo de *Mageron* Canonico Ecclesiæ Tullensis, qui prædictæ professionis fidei testimonium præbens, Medianum monasterium *nullius seu Tullensis Diœcesis* nuncupavit.

Eadem enunciativa utitur Officialis Tullensis.

Anno 1690. cum jussu Hyacinti Abbatis antiqua Turris jam tum destructæ Ecclesiæ S. Petri olim adjacens everteretur, inventi sunt in ejusdem turris muro minuti quidam nummi argentei, ad formam aureorum Hispanicorum Angulosi, qui ex una parte exhibent rudem quandam effigiem humani capitis inclusi in circulo punctis signato, circum quem legitur hæc inscriptio manca tamen & imperfecta: S. Deodatus. Ex altera verò parte repræsentant Ecclesiam seu Ædem sacram in simili contentam circulo, cum hac inscriptione paulo integriore: Gerardus. Ambarum inscriptionum litteræ decimum vel undo-

1690.

Antiqui nummi reperti in turre S. Petri Medianensis.

decimum sæculum redolent; unde videntur hi nummi eo tempore cusi quo beatus Gerardus Tullensis Episcopus Abbatiâ S. Deodati potiebatur & in dicto muro tunc positi cum Nochbertus Abbas novum S. Petri templum (cujus prædictam turrim partem fuisse opinamur) construeret, anno videlicet 1035. Vide suprà histor. Joan. á Bayono cap 48.

1701. Cella Bellævallis Nanceium translata dignitate Abbatiali nobilitatur & variis bonis augetur

Anno 1701 monasterium Congregationis sanctorum Vitoni & Hidulfi per translationem & unionem Cellæ Bellævallis Nanceii ante annos octoginta quatuor erectum, Abbatiali dignitate nobilitatum fuit, atque ideo ab Abbatibus monasteriorum ejusdem Congregationis in Lotharingia existentium variis bonis auctum, vigore litterarum Apostolicarum ac nobilis decreti Regii Principis Leopoldi I. Lotharingiæ Ducis, quibus obtemperans Hyacintus Abbas eidem monasterio (quod exinde S Leopoldi dictum est) cessit & donavit quidquid ad Medianum monasterium pertinebat in locis de Brantigneio, Marinvilla & Aciaca colle vulgò *Essey la coste.*

Concessa illi ab Hyacinto Abbate bona.

Eodem anno, cum idem Hyacintus maximis pro Ecclesia Medianensi laboribus perfunctus esset infirmaque jam uteretur valetudine, me quantum vis indignum Abbatiæ manualis præfati S. Leopoldi Nanceiani recens erectæ primum à Capitulo generali Congregationis sanctorum Vitoni & Hidulfi tunc constitutum Abbatem, in perpetuum & irrevocabilem cum futura sucessione Coadjutorem sibi deputari officiosissimè procuravit. Hujus Coadjutoriæ gratiam mihi concessit sanctissimus Dominus noster Clemens Papa XI. per litteras Romæ datas die VII. mensis Septembris prædicti anni 1701. quarum vigore possessionem appreliendi die III. mensis Aprilis subsequentis anni 1702., ac deinde ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino Christophoro *Hauss* Suffraganeo Basileiensi solemniter benedictus fui, Arleshemii die XXVIII. mensis Maij ejusdem anni.

Humbertus *Belhomme* fit Hyacinti Abbatis Coadjutor perpetuus.

Idem Humbertus solemniter benedicitur.

Anno

Anno 1703. die verò vigesima mensis Junii, Celsissimus ac Regius Princeps LEOPOLDUS I. Dux Lotharingiæ in has Vosagi partes prima vice venit, secum adducens Serenissimam ac Regiam pariter Ducissam Carolam Elizabetham ab Aurelia conjugem suam, magno cum comitatu. In Villa nostra quæ *Macceriolæ* * dicitur ab Hyacinto Abbate primum excepti sunt ibique prandium sumpserunt, postea iter suum prosequentes venerunt Ravonum, ubi iterum à præfato Hyacinto Abbate tanquam loci ordinario ac Domino ex parte temporali recepti fuere extra portam oppidi; significaverant enim Religiosissimi Principes se priusquam oppidum ingrederentur, Patrum Franciscanorum Ecclesiam quæ in proximo est invisere ibique benedictionem sanctissimi Sacramenti recipere velle; quare mox ad eandem se contulit Hyacintus Abbas ibique in Pontificalibus celebrans, hocce benedictionis munus tam ipsis quam illorum comitatui, cunctoque populo solemniter impendit.

1703. LEOPOLDUS I. Dux Lotharingiæ prima vice venit in montem Vosagi.

* *Mazerules.*

Ab Hyacinto Abbate excipitur apud Ravonum.

In Ravonensi oppido pernoctarunt Illustrissimi Conjuges, postridie verò ad S Deodatum profecti sunt, unde paucos post dies ad Medianum accesserunt monasterium. Præivit Serenissimus Dux, quem Hyacintus Abbas Pontificalibus insignibus ornatus omnesque Religiosi albis & cappis induti ad primam monasterii portam exceperunt & hinc ad Ecclesiam processionaliter sub Baldachino deduxerunt, choristis interim intonantibus hymnum *Te Deum laudamus*, quo in Ecclesia absoluto subjunctoque versu *Domine salvum fac Ducem*, cum orationibus propriis, tam pro gratiarum actione, quam pro ipsius Ducis salute & prosperitate, Claustrum nostrum ingressus est Celsissimus Princeps; cumque monasterium perlustrasset ac interim Serenissima Ducissa advenisset, majorem hospitum cameram simul ingressi, apparatum ac oblatum sibi ab Hyacinto Abbate prandium accipere dignati sunt.

Ad Medianum accedit monasterium.

1705. Hyacintus Abbas moritur.

Anno 1705. die verò XXII. mensis Aprilis Hyacintus Abbas ex hac vita migravit & postridie in medio chori sepultus est, maximum apud omnes sui desiderium relinquens. Curavi ejus sepulchro marmoream tumbam imponi cum sequenti Epitaphio.

Ejus Epitaphium.

Hic jacet admodum Reverendus in Christo Pater Dominus Hyacintus Alliot Barroducęus, Abbas hujus monasterii, quod non eximiis tantum animi dotibus dum viveret illustravit, verum etiam incredibili studio & labore per continuos viginti & octo annos quibus sedem tenuit, collapsa intùs & foris ædificia instaurans, amissa prædia juraque recuperans, neglecta colens, nova comparans, sic exornavit, auxit, Locupletavit, ut constanti ac diuturno illud splendore cumulaverit. Præstantissima etiam fuere optimi Abbatis in Congregationem sanctorum Vitoni & Hidulfi sub qua regularem professionem emiserat, officia vel potius merita; pro quibus ad summum in ea dignitatis apicem evectus atque in præsidentem omnium voto cooptatus, ipsam dum sapientissimè moderatur, è vita decedit, anno ætatis suæ septuagesimo, Incarnationis Dominicæ M. DCC. V. die XXII. *Mensis Aprilis.*

Dominicus Varquelot officialis.

Ejus tempore contentiosam Jurisdictionem tanquam subdelegatus officialis exercuit D. Dominicus *Varquelot* Ecclesiæ Ravonensis pastor.

Humbertus Belhomme Abbas.

Humbertus *Belhomme* Egomet qui præsentem historiam collegi, ut primùm monasterii administrationem consecutus sum, totis viribus contendere cœpi ut illud in optimo & congruentissimo statu constituerem.

1705. Ecclesiam reparat & exornat.

Anno 1706 Ecclesiam reparare ac lapideo pavimento marmoribus in choro & sacellis collatoralibus intermisto sternere, amplificatisque fenestris lucidiorem reddere, nec non sacris vestibus auro intextis decorare studui, ut festum sanctissimi Patroni nostri Hildulfi anno sequen-

quenti qui millesimus ab ejus depositione numerabatur, quam possem honorificentissimè celebraretur.

Annis 707., 1708 & 1709 antiquo monasterii septo longius prolato novis illud circumcinxi muris & intrà amplificatum ejus ambitum novam domum Abbatialem & horrea, stabula, aliaque chortilia tam Abbati quam Conventui necessaria ædificia construxi. 1707., 1708. & 1709. Monasterium amplificat.

Anno itidem 1709. cum Eremita *Mortuæ* aliàs *Malæ fossæ* à monasterio nostro dependentis terram foderet in horto suo, qui Claustrum Cellæ olim ibidem constructæ nunc occupat, tumbam lapideam reperit, circum quam legebatur in margine majusculis litteris semigothicis inscriptum: *Hic jacet Abbas Altifontis. Orate pro eo.* In medio autem ejusdem tumbæ à dextra quidem legentis sed finistra defuncti Abbatis insculpta erat figura baculi pastoralis, a sinistra verò legentis & dextra ejusdem defuncti Abbatis figura sacri calicis cernebatur. Quod cum accepissem, eò me contuli jussique ut revolutâ prædicta tumbâ, præfati Abbatis ossa (si quæ subtùs reperirentur) ad sacellum Eremitorii transferrentur, ut ibidem decentiùs recondi possent. Cui rei cum adjuvante Eremitâ fratres quidam nostri operam impertirent, invenerunt exigui admodum hominis cadaver in duplici Sarcophago, utroque abiegno & incorrupto inclusum, cujus quidem tota caro penitùs absumpta erat, cuncta verò ossa remanserant, sed atro colore infecta, & (quod valde miratus sum) partes vitales propè modum integras habebat, inprimisque cerebrum: in cujus superficie apparebant seu venæ seu arteræ fluido adhuc & rubicundo sanguine manantes. In aqua quæ ibidem frigidissima, & idcircò hos effectus producere fortè potuit, uterque natabat sarcophagus, in cujus interiore parvulus calix cereus & humile candelabrum cupreum cum cadavere reperta sunt. 1709. Abbatis Altifontis ossa transferri jubet. Vitales ejusdem Abbatis partes post 300 annos integras reperit.

Ex

Ex superioris Inscriptionis caracteribus colligi quidem potest sæculo XIV.° saltem desinente inhumatum ibi fuisse hunc Abbatem; at cur Abbas *Alti fontis* dicatur? an quia monasterio *Alti fontis* Ordinis Cisterciensis & Diœ-Catalaunensis Præfectus fuerat priusquam in horridam Mortuæ fossæ solitudinem se reciperet? an verò quia in quovis alio monasterio Abbas factus, dimissâ vel amissâ postmodum dignitate, sed servato (ut fit) Abbatis nomine ad Cellam in prædicta solitudine olim existentem & quæ tunc *Alti fontis* Cella fortassè dicebatur, secesserat? nullatenùs scire potui. Certum est illam Cellam eodem loco olim sitam fuisse in quo nunc cernitur Eremitorium Male fossæ dictum, juxta scaturientem videlicet in excelso montis latere fontem; ideoque Cellam *Alti fontis* denominari potuisse.

Novum officialem creat. Eodem rursùs anno, officium Judicis Ecclesiastici seu subdelegati officialis in Curia Medianensi ab obitu Dominici Varquelot vacans, contuli Magistro Francisco *Mongenot* Presbytero Juris utriusque Licentiato & Ecclesiæ S. Gregorii ad septem abietes Parocho.

1710. Monasterii officinas instaurat. Anno 1710 die verò XXVII. mensis Junii, Dormitorium, Claustrum, Bibliothecam, Hospitum Infirmorumque Cellas, nec non alias omnes monasterii officinas instauraturus, primum lapidem in angulo Refectorii fluvio Rabodoni & Vivariis contiguo in nomine Domini posui, illaque omnia ædificia sequentibus annis constanter persecutus sum: donec Deo Juvante confecta & ad eam formam redacta fuerunt, quam in adjecta ad calcem hujus historiæ tabula lector conspicere poterit.

1711. Anno 1711. in civitate Tullensi jussu Illustrissimi & Reverendissimi Domini Francisci de *Camilli* Episcopi Tullensis typis impressum fuit Registrum omnium beneficiorum ejusdem Diœcesis (quod vulgò *Polium* vocant) à R. Patre

Patre Benedicto Capucino Tullensi editum, in cujus præfatione pag. 30 pro certo traditur Senoniensis & Medianensis monasteriorum Abbates Jurisdictionem ordinariam in suis territoriis obtinere, nec non illam ex concessione Tullensium Præsulum habere: verum ut primum à nemine negari posse puto, ità secundum ex æquo indubitatum esse minimè arbitror, saltem quoad Medianenses Abbates attinet; nullum enim hujusmodi concessionis vestigium hactenus reperire potui & jam inde ab initio & origine Mediani monasterii ordinariam Abbates illius Jurisdictionem in suo territorio habuisse videntur, ut dictum est in Commentario prævio §. v. n. 11.

Ordinariam Jurisdictionem Abbatum Medianensium agnoscit Episcopus Tullensis.

Annis tam præcedentibus quam subsequentibus, prædictis licet intentus ædificiis negligentior esse nolui circa Fratrum meorum studia: sed optimos quosque libros colligens amplam & selectam instruxi Bibliothecam, cujus ope in omni scientia Ecclesiasticis & Religiosis viris consentanea docti & eruditi evadere possent.

Humbertus Abbas Bibliothecam instruit.

Anno 1716. medio circiter mense Septembri, Serenissimus ac Regius Dux Leopoldus I. Veredis vectus & cum pauco Comitatu venit ad S. Deodatum, Illustrissimam Marchionissam Badensem quæ illic exspectabatur invisurus. Cum autem accepissem Celsissimum Ducem per oppidum Ravonense transiturum ibique apud Patres Franciscanos Missam auditurum, ad venerationem cultumque ejus ire volui. Præsto igitur eram in Præsulis habitu ante fores Ecclesiæ prædictorum Patrum, cum eò devenit præfatus Princeps: cui post brevem de fœlici adventu gratulationem, porrectum mihi à R. Patre Guardiano asperforium aqua lustrali intinctum obtuli Deinde celsitudinem suam ad chorum ejusdem Ecclesiæ secutus, ibidem ad obsequia paratus toto Missæ tempore remansi. Absolutâ Missâ Rhedam cursoriam iterum conscendit Se-

1716. Leopoldus I. Dux Lotharingiæ ad montem Vosagum & ad Medianum monasterium secunda vice venit.

 reniffi-

vit ac postridie pransit. Cum autem litterarum valde studiosus videretur & ad Lausanensem civitatem & Diœcesim Legatio ejus sese extenderet, Reverendus Pater Domnus Remigius *Ceillier* monasterii nostri Decanus consilium cœpit & ab humanissimo Præsule licentiam obtinuit, librum quem ad propugnandam Sanctorum Patrum moralem doctrinam, contra injustas Joannis *Barbeyrac* Ministri Lausanensis accusationes tunc absolvebat, ipsi Nuncupandi; quod & posteà præstitit, ut apparet ex Epistola dedicatoria ejusdem libri Parisiis anno sequenti typis mandati. Ipsi liber dedicatur.

Anno 1718. cum jam pridem obiisset Dominus Franciscus *Mougenot* nostri Districtus Officialis, in ejus locum suffeci Dominum Franciscum *Maget* Presbyterum & Parochum in oppido Ravonensi; cujus quidem tardioris suffectionis occasione, non abs re erit hic annotare, quod ob causarum ad contentiosam Jurisdictionem spectantium infrequentiam in tam angusto districtu, nec non ob defectum Sacerdotum in Jureperitorum qui sint ejusdem districtus, decedentibus officialibus non semper novi statim substituti fuerunt, sed nonnunquam Priores monasterii tanquam primarii ac præcipui Officiales partibus interim jus dixerunt. 1718. HUMBERTUS Abbas novum Officialem constituit.


Anno 1719. minorum Ecclesiæ nostræ Campanilium alteram turrim ad Austrum positam valde ruinosam resarciri ac vinculis ferreis constringi feci; quod ideo hic annotandum esse duxi, ut posteris innotescat quandiu durabit hujusmodi refectio. 1719. Turrim Ecclesiæ reparat.

Eodem anno qui fuit ætatis meæ sexagesimus sextus, cum monasterium post obitum meum à Commendæ periculo tutum efficere cuperem, suffragante Con-

Coadjutorem perpetuum cum futura successione impetrat.

Huic Historiæ finem imponit an. 1720.

ventu & annuente Serenissimo ac Regio Duce Leopoldo I.°, perpetuum & irrevocabilem cum futura successione Coadjutorem à Sancta Sede obtinui Reverendum Patrem Domnum HUMBERTUM *Barrois* meum ex germana Sorore Nepotem, monasterii nostri Alumnum, nec non Philosophiæ & Theologiæ Professorem, qui die decima mensis Augusti præsentis anni 1720. Officii sui cum futura Abbatiæ successione possessionem adeptus est. Deum optimum maximum enixè precor ut & mihi fœlicem præstet exitum & hunc meum futurum Successorem diu servet incolumem ac fidelem Domus suæ efficiat dispensatorem. Amen.



IN-

INDEX
Rerum ac Verborum.

A.

Alta

Neque

Hum-

Me-

N.

omnes

Theu-

ERRATA

Primæ Partis.

PAg. 6. lin. 14. *codiaibus* deleatur. p. 13. in nota marg. *vacabulis* leg. *vocabulis* ibid. *vitiaſa* leg. *vitioſa*. pag. 15. lin 8. *Childerium* leg. *Childericum*. ibid. lin. 15. *Honaugienſi* leg. *Honaugienſis*. p. 16. lin. 26. *Theoarico* leg *Theoderico*. p. 17. lin. 11. *Haunagienſi* leg. *Honaugienſi*. p. 18. lin. 24. *Agonoueta* leg. *Agonoteta*. ibid. lin. 31. *Aliot* leg *alios*. p. 22. lin. 22. *abſtituerunt* leg. *abſtinuerunt*. p. 23. lin. 7. *cuius* leg. *cum*. ibid. lin 16. *capſiis* leg. *capſis*. ibid. *facollum*. leg. *facellum*. p. 25. lin 17. *tempas* leg. *tempus*. p. 27. lin. 18. *patribus* leg. *patribus*. p 28. lin. 20. *quibus* leg *quibus*. ibid. lin. ult. *Theodarici* leg. *Theodorici*. p 30. lin. 21. *Trevirentium* leg. *Trevirenſium*. ibid. lin. 19. *adornabuut* leg. *adornabant*. p. 33. lin. 15. *recipis*. leg. *recepit*. p 34. lin. 21. *Epiſſopus* leg. *Epiſcopus*. p. 37. lin. 15. *Lutharingiam* leg. *Lotharingiam*. p. 45. lin. 24. *plaeuit* leg. *placuit*. p. 63. lin. 26. *ſidelis* leg *fidelis*. p. 66. lin. 6. *dititur* leg *dicitur*. p. 74. lin. 30. *ſonſolatar* leg *conſolatur*. p. 87. lin. 4. *ſecun* leg *ſecundam*. ibid. lin. 27. *verſatum* leg. *verſatus*. p. 97. lin. 1 *detrimenrum* leg. *detrimeutum*. p. 105. poſt ỽ. *erigebaut*. pon.) p. 106. lin. 11. poſt ỽ. *omnibus* pon.) p. 110. lin. 18. mut.) in(. p. 111. lin. 4. poſt ỽ. *contulerunt* pon. (p. 116. lin. 1. *colloloquia* leg. *colloquia*. p. 117. lin. 1. *reditum* leg. *redituum*. p. 125. lin. 16. *quidam* leg. *quidem*. p. 116. lin. 11. *monaſterio* leg. *à monaſterio*. p. 128. lin 14. *irſpirato* leg. *inſperato*. p. 138. lin. 20. *crederetu* leg. *crederentur*. p. 140. lin. 21. *in* leg. *ad*.

Secundæ Partis.

Pag. 47. lin. 10. *iſcius* leg. *iſtius*. p. 156. lin. 6. *cuntenenti* leg. *continenti*. ibid. lin. 15. *insmanitate* leg *immanitate* p. 157. lin. 33. poſt ỽ. *exercere* adde *operam*. p. 163. *Fortuoatus* leg. *Fortunatus*. p. 167. lin. 22 *monaſterio* leg. *monvſterii*. p. 171. in not. marg. *Religionis* leg. *Religioni*. p. 174. *Theuderico Reginardo*. leg. *Theuderico & Reginardo*. p. 183. lin. 18. verbo *exceptis* præpon. c. p. 184. lin. 20. *manaſterium* leg. *monaſterium*. p. 193. lin. 4. *ſuppllcio* leg. *ſupplicio*. p. 197. in not. marg. *Annedotorum* leg. *Anecdotorum*. p. 198. lin. 25. *Barrivillæ* leg. *Barrivilla*. p. 200. lin. 1. M. CCCCLXXIV. leg. D. CCCCLXXIV. p. 203. *ſuper fluviolum* leg. *ſuper Horbach fluviolum*. p. 210. lin. 9. *addiit* leg. *adiit*. p. 211. in not. marg. *Allobrogrum* leg. *Allobrogum*. p. 215. lin. 22. *illo* leg. *illò*. p. 218. lin. 16. *flnes* leg. *fines*. p. 223. *matetnam* leg. *maternam*. ibid. lin. penult. *quotide* leg. *quotidie* p. 226. lin. 18. *grandinls* leg. *grandinis*.

Tertiæ Partis.

Pag. 232. lin. 12. LXII. leg. XLII. ibid. lin. 24. LXIII. leg. XLIII. p. 237. lin. 5. *Menſueti* leg. *Manſueti*. p. 243. lin. 19. *Viſillum* leg. *Viſrvallum*. ibid. in not. marg. *Vaſeval* leg. *Veſeval*. p. 248. lin. 13. *regerit* leg. *reperit*. p. 252. lin. 16. *Lazeri* leg. *Lazari*. p. 254. lin. 22. *Apulcia* leg. *Apuleia*. p. 256. lin. 30. *principium* leg. *principum*. p. 257. lin. 11. *Menemenſi* leg. *Monemenſi*. ibid. lin. 21. *cænobi* leg. *cænobii*. p. 261. lin.

10

10. *cni* leg. *cui*. p. 266. *lin*. 28. *concambinm* leg. *concambium*. p. 267. in not. marg. *Gesardi* leg. *Gerardi*. p. 271. *lin*. 22. del. *autem*. ibid, in penult. *chaata* leg. *charta*. p. 277. *lin*. 17. *Gedefridus* leg. *Godefridus*. p. 278. *lin*. 4. M.C.XI. leg. M.C.VI. p. 281. *lin*. 15. *dehito* leg. *debito*. p. 283. *lin*. 22. *publicam* leg. *politicam*.

Quartæ Partis.

Pag. 303. *lin*. 10. *ordinriam* leg. *ordinariam*. p. 304. *lin*. 14. *Stivagieusis* leg. *Stivagiensis*. ibid. *lin*. 32. *præseutibus* leg. *præsentibus*. ibid. *lin*. penult. *Romout* leg. *Romont*. p. 307. *lin*. 28. *pulsaiione* leg. *pulsatione*. ibid. *lin*. penult. *frnt*. leg. *funt*. p. 308. *lin*. 4. *frncti* leg. *sancti*. ibid. *lin*. 29 *Domini* leg. *Domine*. p. 310. *lin*. 14. *consuali* leg. *censuali*. p. 311. *lin*. 23. *Barroduceensium* leg. *Barroducensium*. p. 312. *lin*. 28. *Simimonis* leg. *Simonis*. p. 314. *lin*. 25. *stro* leg. *nostro*. p. 316. *lin*. 21. *potuerunt* leg. *poterunt*. p. 322. *lin*. 25. *omui* leg. *omni*. ibid. *lin*. 32. *quoquo* leg. *quoque*. p. 323. *lin*. 23. *quibns* leg. *quibus*. p. 324. *lin*. 3. *conventui* leg. *conventu*. p. 325. *lin*. 18. *Domint* leg. *Domini*. p. 326. *lin*. 7. *nt* leg. *ut*. p. 327. *lin*. 14. *talis* leg. *talis*. p. 334. *lin*. 11. *voluutatis* leg. *voluntatis*. p. 340. *lin*. 25. *succossoribus* leg. *successoribus*. p. 351. *lin*. 14. *autorirate* leg. *autoritate*. p. 354. *lin*. 9. *nos modo* leg. *nos pro modo*. p. 356. *lin*. 2. *promissorum* leg. *præmissorum*. p. 379. *lin*. 13. *Coadjutori* leg. *Coadjutore*. p. 381. *lin*. 24. *inte* leg. *inter*. p. 402. *lin*. 4. *Cluniaconsis* leg. *Cluniacensis*. p. 409. *lin*. 17. *Qua* leg. *Quæ*. p. 414. *lin*. 26. *Anna* leg. *Anno*. & *lin*. 32. *faciliori* adde *ejus*. p. 430. *lin*. 14. *sancto* leg. *sancta*. p. 432. *lin*. 14. *Jocobus* leg. *Jacobus*.

FINIS.







